



INV. 1920

will show number of items in the
collection

ENOPHON

S ATHENIENSIS

XYRI REGIS PERSARVM
ATQVE DISCIPLINA, LIBRI

necnon alia quaedam eiusdem autoris

ta, in sermonem Latinum conuer-

sa, explanationibus alicubi additis,

studio et diligentia IOACH.

CAMERARII.

Hic est Index, rerum & verborum hoc
opere memorabilium, locupletissimus.

Paris 18
1682
Bibliothèque de la ville de Paris



PARISIIS,

apud Wechelum, sub Pegaso, in
Bellouaco, Anno salutis

1572.

PRIVILEGIO REGIS.

W

INV. 1920

will have a number of items to be
P. 1. 1920

2

5

XENOPHON-

TIS ATHENIENSIS

DE CYRI REGIS PERSARVM

VITA ATQVE DISCIPLINA, LIBRI

VIII. necnon alia quadam eiusdem autoris

scripta, in sermonem Latinum conuer-

sa, explanationibus alicubi additis,

studio et diligentia IOACH.

CAMERARII.

Adiectus est Index, rerum & verborum hoc
opere memorabilium, locupletissimus.

*En laus b. mar. ex
m. b. p. r. m. o.*



1682



PARISIIS,

Apud Andream Wechelum, sub Pegaso, in
vico Bellouaco, Anno salutis

1572.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

INV. 1920

will have a number of the
the collection

XENOPHON-

TIS ATHENIENSIS

DE CYRI REGIS PERSARVM

VITA ATQVE DISCIPLINA, LIBRI

VIII. necnon alia quaedam eiusdem autoris

scripta, in sermonem Latinum conuer-

sa, explanationibus alicubi additis,

studio et diligentia IOACH.

CAMERARII.

Adiectus est Index, rerum & verborum hoc
opere memorabilium, locupletissimus.

In libris b. m. a. r. d. s. v. v. m. t. a. u. r. e. l. C. a. t. a. l. o. g.
u. s. c. r. i. p. t. a. u. n. o. 1692.



PARISIIS,

Apud Andream Wechelum, sub Pegaso, in
vico Bellouaco, Anno salutis

1572.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

LIBRORVM XENOPHONTIS
PER IOACHIMVM CAMERARIVM
*in sermonem Latinum conuersorum, qui hoc
volumine continentur, Elenchus.*

Xenophontis de Cyri regis Persarum vita atque
disciplina, libri VIII.

De vectigalibus, liber.

De re equestri, liber.

De forma ciuitatis Lacedæmoniorum, liber.

De Republica Atheniensium, liber.

De præfectura, seu disciplina militari, liber.



GENEROSO AC NO-
BILI DOMINO, DN. ANTONIO
COMITI ANTIQVÆ DOMVS
*Ortenburg, etc. Domino suo submissè colen-
do, Ioachimus Camerarius S. D.*

LITTERAS Generosæ clæmen-
tiæ tuæ scriptas Pragæ & verbis
eruditè, & sententiis prudenter,
& singularis fauoris erga me &
meos tui plenas, submissa cum
læticia accepi, quo quidem tem-
pore valde erat infirma valetudo mea, vt tunc re-
scribere non potuerim. Interea accidit, vt tibi Im-
peratoriam Maiestatem sequenti non consisten-
di vno in loco concederetur facultas: & venit in
mentem, quod clæmenter mihi, in opt. existima-
tione de studiis meis, significasses, generosam a-
dolescentiam tuam, quæ iam ad præcipua consi-
lia, & actiones Reip. grauiss. adhiberetur, à mea
senectute expectare aliquid, quod rectè & vtiliter
isto in loco versanti monstrari videretur. Ob hæc
clæmētīæ tuæ opinionem, & iudiciū istud de me,

E P I S T O L A.

cogitauī dandā mihi esse operam, ne vel omnino, vel vlla etiam ex parte illa falleretur : id quod ita scilicet fieret, si non modò perscriberem hoc argumento aliquid, sed perficerem quoque vt opus egregium elaboraretur. Atque ego omnia quasi recondita in animo totius vitæ meæ studio atque industriâ percensens, & in illa copiola quærens quid promere eiusmodi possem, vt & tuæ clæmentia satisfaceret, & per se esset laudabile, cùm etiam mea qualiacunque ob maximum fauorem, clæmentia tuæ non improbatum iri arbitrarer : iam pridem autem aliorum doctissimorū virorum libris hoc in genere editis, nisi à me afferretur, quod non solùm bonitatis sed nouitatis quoque haberet commendationem, non reperiebam cur opera ista vel mihi ipsi magnopere placere, vel spem facere deberet, vt me in gratia aliqua ampliore apud tuam clæmentiam poneret. Quapropter in ista etiam dubitatione, mora illata fuit responsioni meæ. Cùm autem neque quo pacto excusaretur perpetuum silentium meum, neque quid, quod momenti aliquid haberet, scribēdo explicaretur, inuenirem : conquirens chartas mearum scholasticarum operarum notus & clæmenter carus generosæ nobilitati tuæ Ludouicus filius meus, quod ille nunc apud me desidens agendum sibi potissimum duxit, credens scilicet non nihil in illas esse coniectum quod conseruari quàm interire sit melius. Is igitur tūc attulit mihi
inspicien-

E P I S T O L A.

inspiciendam interpretationem librorum Xenophontis de vita atq; disciplina Cyri Regis Persarum, ante aliquot annos ab explicante me eos cōfectam, & simul explicationis illius commentariolos: méque hortatus est, vt quoad per valetudinem liceret, recognoscendo omnia sic perpolirem, vt in lucem proferri edendo rectè possent. Visum mihi est nō prorsus fortuitò hoc accidisse, vt offerretur inter deliberationem illam meam; quod rem expediret, & me solitudine liberaret: & fui occasione ista lætatus, inque manus sumsi opellas has, & siue mei quasi fœtus amore, siue nō praua sententia de adhibita attentione, censui fore tuæ clæmentix lectione nequaquam indignas, & contineri his ea, quæ abs te requirerētur: quòd nihil omnium, quæ ab aliquo capeffente Rempublicam, & huius munera gerente, vtiliter cognosci possent, non vel demonstratum vel saltem indicatum his libris esset. Non sanè præcepta eadem omnibus præcisè temporibus, itémque hominū conditionibus conueniunt. Sed est tamen quiddam commune atque generale, quod varietatem multiplicem admittit, & accommodari ab aduertentibus animum præsentibus negotiis aptè fructuosèque semper potest: cùm honesti & utilis, addam iucundi quoque, veritas naturæ sit, neque mutantur illa arbitrio humanæ voluntatis. De quibus, quemadmodum de turpibus quoque & nocentibus & insuauius, rectè decernunt pru-

E P I S T O L A .

dentes quos Græci *Φερίμοις* appellant, & id statuunt, quod virtutis nomen pulcherrimum, & vbi-
 que ac semper admirationē prædicationēque
 habet, applicando tam personis quàm negotiis.
 Hæc intelligo obscuriùs quodãmodo dici, quòd
 verborum subtilitas non illustretur appositione
 exemplorū. Verùm tuam generosam eruditæ do-
 ctrinæ copiam facilè ea assumturam scio, neq; hac
 in parte prolixiorē esse disputationem meam
 oportere duco. Non habuit Africanus, vt impera-
 toriæ personæ mentio fiat, occasiones causasque
 easdem rerum gerendarum quas Cyrus. Diuersi
 mores, alia vita, nihil vel legibus eodē modo san-
 citum, vel institutis vsurpatum in ætate gentēque
 Africani, sicuti in Cyri fuit. Nisi autem tantam v-
 tilitatem sese ille percipere sentiret ex iis, quæ de
 Cyro Xenophon narrasset, nunquam iis legendis
 tantum studij quantum accepimus, impendisset.
 Neq; enim credibile est hunc virum inanem mo-
 dō voluptatem illa occupatione captauisse. Ad-
 dērem Ciceronis mentionē, qui in prouincia bel-
 lum administrans, istos libros se contriuisse legen-
 do ait: nisi ipse sibi, in quadam ad Atticum episto-
 la, rei bellicæ non esse facultatem datam, versibus
 infertis Homericis perhiberet: cùm tamen & Im-
 peratoris nomen adeptus sit: &, si pristinus man-
 sisset Reip. status, triumphare potuisset. Verùm
 generosa diligentia solertiæ tuæ, vt aiebam, ita &
 colligendo, & applicando, & disponendo, & con-
 ciliando.

E P I S T O L A.

ciliando hæc quemadmodum decebit & tempus atque res feret, ad laudem vtilitatẽque adiumentum non contemnenda, cum honestis delectatione est habitura. Facile autem perspicit generosi animi tui acumen : non proponi istas lectiones, tanquam ad doctrinam cuiuslibet quasi promiscuè vniuersam, sed quemadmodum Lucretius ait:

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant:

Cùm tamen hæc ex omnibus illis id tantum auferant, quod conducit : sic lectores non oscitantes scriptorum huiusmodi excerpere solere, non dicta modò congruentia rationib. & rebus suis, sed facta quoq; idonea ad imitandum loco ordinẽq; & statu ac conditione cuiusque. Atque ego, quæ Xenophonteis his vberiora meliorave præcepta vitæ bene & præclarè, & in terreno hoc curriculo feliciter degendæ ab vlllo tradi possint, non video. Nam pertinentia ad verã felicitatem, & πολιτεύμα καίμον, quod est eorum, qui Christianos sese perhiberi volunt, alia aperitur schola, & doctrina est aliorum librorum. Quos tuam generosam pietatem, religionis sinceræ amantem, & requirere & studiosè legere, & ea cognoscere, quæ veneratio casta Dei æterni, & spes salutis ac vitæ beatæ carentis sine, postulat, habeo exploratum. Neque hæc tamen cura excludit vitæ in terra & in hominum societate transigendæ, & præstandis officiis sedulitatem. Multò certè minus, quàm officinæ & artificiorum opera ac quæstus. Vt quemadmo-

EPISTOLA.

dum hæc disci exerceriq; nequaquam Deo æterno displicet, ita statuendum sit, placere huic virtutis & sapientiæ studia, ac multo quidem magis, quòd hæc sit disciplina & ars vitæ humanæ vniuersæ. Sed etiam ista ad tuam generosam intelligentiam verbosius differenda non sunt. Etsi autem comperi eam esse eruditionem generosæ adolescentiæ tuæ, vt ipse & Xenophontis & Græcos libros alios legere cum fructu possis: nescio quo pacto tamen meam interpretationem quoque latinam, libenter te esse inspecturum putavi. Nam quæ iam pridem extat Philelphi, ea vt *καὶ πάλιν* illa quidem, & tanquam signi antiqui minus scitè effecti, neutiquam est despicienda, sed eiusmodi tamen certè, vt aliquid omnino elegantius atque politius fieri posse videatur. Mihi etiam hæc nostra iam retractati allatus fuit liber alterius interpretationis, Iulij Gabrielij Eugubini, & verbis & compositione, si quid in meo iudicio momèti est, custodiētis proprietatem Latini sermonis, & sententiam auctoris accuratè exprimentis. Vt non semel cogitarim: posse ab editione meæ operæ huius rectè superfederi. In voluntate tamen proferendi mea quoque perseueraui, ideo etiam quod scirem vnus argumenti tabulas diuersorum artificum peritos comparare, & ex contemplatione earum nonnihil capere voluptatis. Multa enim sunt quæ in iisdem simili bonitate effecta, dissimili tamen specie considerantes delectare solent. Sanè si Iulij Gabrielij

E P I S T O L A.

Gabrielij interpretatio prodiisset, ante istum quasi partum ingenij mei, haud scio an nunquã ego animo meo concipere voluissem talis operæ consilium. Sed postquam enitendo hæc perfecta iam erat, cur interemtam quàm superstitem mallet, caussa videbatur esse nulla. Atque eam quàm potui bene & liberaliter eductam exornatamque ad te, Generose comes, mittendam tuæque clementiæ dicendam propriam submissa consideratione putavi: & cuiuscunque modi illa esset, gratam acceptamque futuram tibi fore speravi, quem clãmenter me & meos diligere, multis clarissimis signis esset declaratum. Nihil autem omnium est potentius ad amorem conciliandum, affectionis propensione. Itaque sæpe tunc errant homines:

Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda verè,
 secundum poëtam eundem, cuius paulò antè versum recitauimus. Sed liceat etiam spem meliorem fouere de euentu, & mihi persuadere, tuam generosam benignitatem legendis his meis etiã quod operæ precium sit facturam, & veræ commoditatis iucunditatisque inde aliquid percepturam esse. Quædam autem nostra iam antea edita, his libris De vita ac disciplina Cyri, vt denuo prodiret, adiungere & ipsa placuit, itemque libellum De vestigalibus nuper in sermonem Latinum à me conuersum eiusdem autoris. Quo quasi cumulo auctum hoc opusculum plus momenti ac ponderis apud clementiam tuam habiturum esse speravi. Tua quidem generosa clãmentia cū me & meos:

eo favore sua sponte cōplexa sit, qui summis pro
 meritis vix deberi videretur, id scilicet omnibus
 viribus conandum nobis est, vt quibuscunque re-
 bus concedatur, eos nos præbeamus, submisso stu-
 dio inseruendi generosę voluntati tuę, qui tanta
 clementiæ tuę humanitate non prorsus indigni
 fuisse videantur. De quo cū policeri nominatim
 nihil possimus, tua generosa clæmentia prompti
 animi cupiditatem boni consulat, & quicquid o-
 peræ studiique vt nauetur, aliqua occasio tulerit,
 id sibi submissa à nobis diligentia semper paratū
 fore non dubitet. De meo quidem conuertendo
 Græca in Latina labore, si quid dicendū est, id ni-
 mirum dixerō: studuisse me ea, que Græco sermo-
 ne luculentè essent cōmemorata, non alieno neq;
 futili Latino exponere. In quo & verborū signifi-
 catio & orationis proprietates attendenda seruan-
 dāq; fuit. Nam facere de quocūque scripto quod
 in alium sermonem transferatur, quicquid fortè
 non tam in mentem venerit, quā temere occurre-
 rit, & cū verba noua fingere, tū illa coniungen-
 do nullam veritatis rationem habere, quale sit, re-
 linquo cogitandū iis, qui non nihil referre putant,
 vt oratio pura sit, quacunque de re verba fiant, nō
 modo ad disertam ornatāmque elocutionem, sed
 eā omnino vt ab audientibus legentibusve, quid
 dicatur possit intelligi. Ad explanationē quidem,
 & interdū veluti relatas rationes interpretationis
 meę, quod attinet: quā illa, si persequi omnia vo-
 luissē, longè produci, & occupari multū chartæ
 posset

posset, euidens est. Sed non fuere ea, quæ, vt dice-
 rentur, enarratio subiecit, & expetere visi sunt au-
 ditores, etiam perscribenda cuncta quasq; elucu-
 branda. Quid fanè à me præstitum sit, quibus li-
 buerit nostra legere, eorum, sicut æquum est, æsti-
 matio erit. Quam vsque adeò liberã esse volo, vt
 notandi repræhendendiq; potestas à me fiat om-
 nibus. Sic tamen vt cogitetur: Siquis meritò ali-
 quid repræhenderit, ei gratiam à me debitũ iri ob
 demonstratã veritatem: sin immeritò, ipsum de
 se sibi supplicium grauissimũ daturum esse, quòd
 meliora relinquendo deteriora sit secutus, suique
 voluerit esse erroris patronus, potius quã verum
 & intelligere & amplecti. Sed de his in hac com-
 pellatione plura quasi disputata sunt quàm oportuit.
 Quod restat, Deum æternũ autorem & largi-
 torem bonorum omniũ ardentibus votis precor,
 vt hoc curriculũ in Reip. spacio tuũ misericordiã
 suã propitio respectu prouehat, ac dirigat ad for-
 tunatũ atque felicem finem, procedẽte eo ac per-
 ueniente ad laudem sanctissimi nominis ipsius, &
 Ecclesiã Iesu Christi profuturas effectiones: Qui-
 bus & Reip. patriãq; prosperitatẽ, tuãmq; & ve-
 strã ab antiquo generosã familiã salutem digni-
 tatẽmq; & nominis celebritatem cõprehendi ne-
 cesse est. Tuã generosã clementiã bene valere
 ex animo submissa cupiditate opto. Vale. Lipsiã,
 D. IX. M. Septembris, Anno Christi Iesu, 1571.

PRIVILEGII SENTENTIA.



*Autum est auctoritate Regia, ne quis alius præter
Andream Wechelum iuratum in alma Parisiensæ
Academia Librariū, hos Xenophontis libros, Ioachimi
Camerarij studio & diligentia in Latinum sermonem
conuersos, ante decennium ab editione proximum, in hoc Fran-
corum regno imprimat, nève tibi impressos vendat: idque om-
nibus perinde clarum, notum, indiētum habeatur, ac si Regij di-
plomatis sententia Operis initio præfigatur, finie postponatur.
Secus qui faxit & libris ipsis, & mille librarum Parisien. multa
pænas pendito. Datum Rhemis, Regio consensu subsignatum,
D. Villamoro supplicum libellorum magistro præfente. 3. id. Iun.*

L 557.

COIGNET.

VITA



VITA XENOPHONTIS
EXPOSITA ALIQVAN-
DO PROOEMII LOCO AN-
TE EXPLICATIONEM
quorūdam illius libellorum, à
IOACHIMO CA-
MERARIO.



TSI existimabā gratius fortasse futurum aliquibus vestrum, si statim ad interpretationem libelli eius, quem me enarraturum vobis esse nuper significavi, accederem, neque prooemio longiore tempus tererem: tamen, cū & huius Academia vetus mihi consuetudo nota esset, (qua semper hoc servatū scimus, ut qui primū alicuius auctoris scripta enarrare inciperent, sua opera quadam praefarentur) & me huius auctoris admiratio & amor singularis hortaretur, ut cum honorifica quadam mētionē atque memoria nominis & famae ipsius, aggredi vellem explicationem eorum operum, qua ille ad lectionem salutarem posteritati reliquisset, statui hanc horam consumere dicendo, non quidem aliena quadam, ut sepe penuria meliorum facere & solemus & cogimur, sed recitando ea, qua de hoc autore literis mandata nobis que comperta sunt. Hac autem cura, veterum sapientia & virtute illustrium virorum mores & vitam, omnibus partibus suis tanquam pictura quadam exprimendi, non solum cognitionis suavisimam & honestissimam voluptatem habet, sed eximios etiam fructus affert, similitudinis referendae, in quodam veluti conuictu & familiaritate illorum, quod quidem commodum etsi maximè is, qui huiusmodi descriptionibus operam na-

uant, tamen abunde & aliis paratur, cum quibus illa fortè communicata fuerint. Quemadmodum autem Socrates dicere solebat, bonorum consuetudinem virtutis esse exercitationem, malorum exitium, utebaturque Theognidis testimonio, affirmantis: A bonis disci bona: qui autem inter malos versentur, eos etiam si quid fortè bonæ mentis habeant, celeriter amittere: ita profecto fieri nequit, quin contemplatio singularum quasi partium honestatis in uno veluti corpore narrationis, iusticiæ, sapientiæ, magnitudinis animi, continentie, moderationis, ad amorem atque cupiditatem laudis ac decoris excitet. Ac Democritus quidem, quæ sint illa simulacra ipse viderit, quorum de circumfuso nobis aere felicem sortem optandam esse censebat, ut consentanea & commoda nobis obtingeret: hæc verò imagines historiæ veterum quin moueant atque magnopere afficiant animos intuentium, nemo negare potest, nisi forte communis etiam, ut dicitur, sensus expers fuerit. Quò magis ea memoriæ & literis mandanda, in quibus recti atque honesti species elucet, & turpia aut silentio premenda, aut si res postulet, cum debita reprehensione exponenda sunt, ut ab his oculi mentis auertantur, & statim sese ad illa salutaria referant. Quæ cum ita sint, non solum hoc consilium meum in recitanda Xenophontis vita boni consulere, sed probare quoque & gratum acceptumque vobis esse pati debetis. XENOPHON traditur fuisse filius Grylli, à maioribus suis Atheniensis, Erchiesum popularis, facie perquam venusta & pulcro corpore, & mirabiliter pudens. Hic liberaliter secundum patriæ morem educatus quodam tempore fertur Socrati obuiam factus, in angiporto quopiam prohibitusque fuisse obiecto scipione transire, priusquàm ad interrogata responderet. Solebat autem, ut notum est, eo quo quenque volebat, interrogationibus crebris, Socrates adducere, atque ita rem de qua agebatur concludere, vnde & hæc argumentorum forma Epagoge appellata fuit. Interrogauit autem tum, ut accepimus, Xenophontem ecquid sciret ubi vinum sincerum, & panis ubi candidus, & carnes, & reliqua obsonia venirent. atque illo ad singulas percontationes annuente, scire se, postremò quaesuit, ubi boni viri ac honesti ciues, qui Atheniensium verbò uno $\chi\alpha\lambda\omicron\nu\alpha\gamma\alpha\theta\omicron\iota$ vocantur, perficerentur. In quo illo hærente neque reperiente quid responderet

deret: *Quin tu igitur, inquit, sequere me, ut videas. Ex eo tempore ad Socratem se contulit, & assiduo illum audiens à latere, senis non discessit. Ac tantum profecit hoc magistro, ut non solum doctior consuetudine eius, sed multò etiam vir melior redderetur. Itaque inter omnes Socratis discipulos Xenophon præcipuam laudem habuit integritatis, iusticia, religionis. Ingenio autem visus est esse propter summam lenitatem infirmiore, id quod unum reperit quod ei exprobraret ille. Philiastus syllogographus, omnium philosophorum criminator. Primus autem Socratis magistri (à quo etiam seruatum fuisse eum delapsum ex equo in fuga Atheniensium ad Delium, proditum est) amore & admiratione incitatus, literis mandauit sermones ipsius, ut ad posteritatem memoria eorum propagaretur, quibus libris nomē fecit $\Sigma\tau\omicron\upsilon\mu\mu\omicron\upsilon\epsilon\upsilon\mu\omicron\alpha\tau\omicron\varsigma$, id est dictorum memorabiliū, qui & ad nos peruenerunt. Scripsit & historias philosophorum, quæ cum aliis quibusdam operibus illius, interciderūt. Cum autem esset rei equestris studiosissimus, non ipse modo equitibus suæ atatis facile præstitit, sed ad parem laudem eduxit filium suum Gryllum, de cuius virtute mox dicemus. Xenophon autem particeps fuit illius nobilissima & præclarissima expeditionis Cyri minoris aduersus fratrem Artaxerxem, & huius consiliis atque etiam virtute, decem Græcorum millia, tot enim collegerat Cyrus, cum quidē vicissent Persas, interfecto Cyro, fraude & perfidia Persica ducibus summis viris spoliata, inclusa inuiuis montibus ac fluminibus, instantibus maxima vi atque impetu barbaris, in patriam reducta fuere, amissis paucis nam tam hostili ferro cæsis, quam morbis aut cali grauitate confectis, quod Antonium, hominem profectò militarem & audacem, ac ducem nequaquam contemnendum, ita admiratum fuisse Plutarchus scribit, ut in fuga illa Parthica, crebrò in ore haberet, & $\mu\upsilon\epsilon\upsilon\alpha\iota$, quo verbo significatur is, quem paulo antè dixi, numerus, cum incredibilis constantia & fortitudo Græcorum illis in lasis representaretur animo cogitationeque ipsius, unde multò pauciores illi per longè maiora discrimina euassissent. Peruenit autem Xenophora in noticiam & familiaritatem Cyri humanissimi regis hoc pacto. Habebat necessarium & hospitem paternum nomine Proxenum patriam Bæottum, qui audierat Gorgiam Leontinum, & à Cyra di-*

4
 ligebatur. Hic cum Sardibus apud Cyrum maneret, misit epistolam Athenas Xenophonti, adolescenti quidem adhuc, sed laudis & gloriae bellica cupido, qua accersebat illum ad se, policebaturque futurum ut in amicitiam Cyri reciperetur, quem scripserat se pluris facere quam patriam. hac lecta, communicat rem Xenophon cum Socrate, petitque ab eo, ut consilium det, quid de itinere illo faciendum esse videatur. Socrates vero veritus, ne si ille cum Cyro se coniungeret, hac ei ad ciuitatem criminofum esset, quod Lacedaemonius Cyrus aduersus Athenienses bellum gerentibus auxilium cupide tulisset, suadet, ut de itinere illo Delphicum Apollinem interroget. Nam nostrum quidem, inquit, (ut Cicero hac retulit) humanum est consilium, sed de rebus & obscuris & incertis ad Apollinem censeo referendum, ad quem etiam Athenienses publice de maioribus rebus semper retulerunt. Tunc igitur Xenophon Delphos profectus, interrogauit Apollinem, cuiusnam Deorum rem diuinam fieri & vota nuncupari oporteret, ut felici fortuna & prospero euentu in via, quam ingredi in animo haberet, ueretur, & re bene gesta saluus rediret. Ibi respondit Apollo, quid agere, & quibus diis rem diuinam facere deberet. Reuersus inde ad Socratem, oraculum illi exponit. quo audito, obiurgauit eum Socrates, quod non prius de Deo quaesuisset, utrum ire melius esset an manere, sed ipse decreuisset sibi eundem, hoc modo sciscitatus, quo pacto feliciter proficisci posset. Verum quia talis interrogatio tua fuit, exequi, inquit, oportet ea quae Deus iussit. Xenophon itaque sacrificiis peractis, nauem conscendit & peruenit paucis diebus Sardes, ibique reperit apud Cyrum Proxenum iam paratis rebus ut discederent, commendatusque Cyro, perbenigne habitus ab eo fuit, & rogatus, ut secum remaneret, cum pollicitis admodum liberalibus, & quod bello mox confecto dimittere eum munifice tractatum uellet. Ferebatur autem expeditio suscepta esse contra Pisidas. Ita secutus Cyrum cum Proxeno fuit. fefellerat autem ambos Cyrus, dissimulato consilio suo, neque ulli indicata voluntate, nisi Clearcho soli, antequam in Ciliciam peruentum esset. Ibi re patefacta, cum manifestum iam esset omnibus, exercitum duci aduersus Regem Persarum, inuisti plerique & cum metu pergebant, sed cum mutuo, tum Cyri ipsius pudore retinebantur, inter quos & Xenophon

phon fuit, qui & expeditionem illam, ac praelium & reuersionem Græcorum elegantissima narratione exposuit libris septem. quos Themistogeni tamen Syracusio ipse, mirifico quodam & incredibili studio conciliauit testimonio suo. Ipse dies noctesque, vigilansque ac dormiens, consilio, oratione, manu aduersus improbos vehemens, erga alios humanissimus, & omnibus omni momento affabilis, plurimū opis attulit exercitui, & pæne solus salutis & incolumitatis illius autor fuit. Laborum patientior quàm atas ferre videretur. Atque aliquando, missus ad collem præripiendū hostibus, cum celeritate opus esset, ac ipse equo vectus militem hortaretur, ut gradum adderet, vnus de turba: At tibi, inquit, Xenophon, hæc ex equo concionari facile est, ego verò difficulter ingredior sub clipeo. Tum ille repente desiliit de equo, & erepto castigatori suo clipeo in ipsius locum subiit, oneratus etiam thorace equestri, sed ita tamen per aspera & ardua loca ante alios enitens, donec ad equū redire à militibus coactus fuit. Sape autē perturbatos erexit, sape tumultuantes repressit, sape errantes in viam reduxit, consolando, increpando, monendo, ad omnia tēpora & quasvis occasiones accomodata oratione satisque documenti dedit, nihil esse in bello auxiliij aut salutis sperandū neque à virtute sine prudentia, neque à prudentia sine virtute. Apollonidē quendā videtur odisse, quem ut barbarū increpat, & quendā introducit illi exprobrantē auriū perforationē. Exercuit & cum Menone inimicitias, itaque ea reliquit elogia de illo, de quibus deterrimū eum mortalem videri necesse est. Sed exponamus de virtute & laude bellica Xenophōtis, ea quæ in epistola Chionis Heracleota referuntur scripta ad patrē. Vidimus Xenophontē Socraticum. Hic est vnus eorū, qui ex Græcia milites contra Artaxerxē adducti fuere inter auxilia Cyri. Ac primum quidem ille cum vno ex ducibus versatus fuit placidē, neque quicquam agens aliud quàm militem agere decet, qui in eorum numero esset, quos magni Cyrus faceret. postquam verò & Cyrus primo in prælio cecidit, & duces Græcorum falso fide data, circumuenti interfectique fuere amputatis capitibus: ibi ipse Dux creatus fuit, quod de eo opinio esset, cum virtutis tum sapientiæ nomine posse ipsum præclarissimè perficere, ut salui incolumesque Græci discederent. Neque spem istam illorum hic fefellit. Ac non

magnum numero exercitum saluum per mediam hostium regionem abduxit, cum indies castra cum regionum ducum castris committerentur. Atque sunt hæc quidem digna admiratione: sed istud longè dignius ac maius, cuius ipse ego modo spectator fui. Græci enim laboribus longæ & difficilis expeditionis confecti, neque alio potiti præmio periculorum, nisi salutis & vitæ, cum Byzantijs illos metu maioris mali in urbem admisissent, consilium inierunt urbis diripiendæ. Magnus tum tumultus in subita Byzantium perturbatione ortus: cumque arma caperent milites, & signum tuba daretur, ego mox clipeo & lancea arrepta, cucurri ad mœnia, ubi adolescentes quosdam conuenisse cernebam. Erat autem defensio mœnium nihil profutura, cum hostes urbem occupatam tenerent. Nihilominus tamen opportunitate loci ad resistendi facilitatem vsuros nos sperabamus, aut saltem serius mortem appetituros esse. Interea cum Græci tumultuarentur, aspiciamus circinnatum quendam virum pulcrum & mitem, ut apparebat, transeuntem quidem per illos, & vniuscuiusque impetum sedantem. (atque erat hic Xenophon.) Cum verò contrà hortarentur milites, ut vnus ipse morem gereret multis, & in tranquillitate tandem sese collocaret de calamitosa & difficili iactatione: Retrocedite igitur, inquit, & abducite ordines, & deliberate. non enim metuendum, ne inter consultandum, res que in nostra potestate est, nobis elabatur. In quo illi eos aduersari cum puderet, constitit in medio Xenophon, & mirificos habuit sermones, id quod exitus declarauit. nam planè exaudiri à nobis non poterant. Sanè qui paulo antè consilium ceperant urbis diripiendæ, eos cernebamus in foro moderatè versantes, & euentes quibus opus esset, haud aliter quàm Byzantios ciues, non magis iam inflatos illo iniusti & rapacis Martis spiritu. Hoc spectaculum demonstrabat animum Xenophontis, & vim sapientiæ ipsius ac eloquentiæ. Neque ego sanè quiescendum putavi, & ita prætercundum hominem, præsertim vnà cū alijs Byzantijs beneficio ab eo affectus. nã ventii impediens nauigationem meam, fuissent caussa, ut inter alios præda fierem & ipse dixi igitur illi qui essem. At ipse etiam reminiscebatur, tibi cum Socrate amicitiam intercessisse, & me ad philosophandum cohortabatur: & de alijs neutiquam certè militari consue

consuetudine, sed admodum humaniter colloquebatur. Atque nunc in Thraciam copias ducit. Seuthes enim rex Thracum bello aduersus vicinos quosdam suscepto, has accersit, integris stipendiis promissis. Huic obsequendum illi putarunt, quod inopes & egentes dimitti nolint, ac aliquid potius parare laboribus suis cupiant, donec adhuc durat exercitus. Hæc vertendo de epistola illa transtulimus, siue verè huius Chion autor, seu alterius hoc viri docti & eruditi opusculum est. In qua quidem deinceps præclara sententia commemoratur, de utilitate studij philosophici ad omnes partes vitæ: quòdque non modo iusticiæ & moderationis fons sit philosophia, sed fortitudinis quoque & virilium actionum: neque de studio illius boni tantum & honesti viri, sed bellatores quoque & victores hostium existant. Itaque & autor epistolæ hanc clausulam addidit: καὶ γὰρ οὐν ἐλπίζω φιλοσοφῆσαι τὰ τε ἄλλα κρεῖττον ἔσεσθαι καὶ οὐδὲν ἥττον ἀνδρείος, ἀλλ' ἥττον ἡρασύς. Quæ autem in illa Chionis epistola commemorantur, eorum narratio extat in septimo libro τῆς ἀναβάσεως. Sed redeamus ad institutam nobis narrationem. Xenophon igitur post varios casus, & Põtica mala, & Odrysiam perfidiam, in Asiam tandem ad Agesilaum perduxit copias, quibus ille mercedes præbuit, & Xenophontem summa benevolentia cõplexus fuit: quo tempore tanquam Laconicæ factionis vnus, & quod aduersus Regem Persarum, qui tum amicus Atheniensium esse existimabatur, arma tulisset, damnatus absens voluntario in exilio mansit. Tantum autem absuit vt priuatis commodis studeret aut lucra sectaretur, vt etiam equum, quem carum habebat, nisi liberalitas amici subuenisset, alienare coactus fuisset. Cùm autem Ephesum venisset haberetque aliquantum auri exempti diis, dimidium illius reliquit depositum apud sacerdotem Dianæ Megabyzum, dimidium impendit in dona, quæ Delphico Apollini consecrarentur. Nam religionis & cultus Deorum obseruantissimus fuit, vt plerique omnes Socratis discipuli. Etsi autem hanc curam ad veri Dei honorem illos non contulisse, & hoc studio opinatæ pietatis, impietate sese extrema contaminasse scimus, tamen ex hoc licet perspicere, quantopere fallantur ij, qui non putant strenuos milites aut fortes duces esse illos, nisi feroces & sauos, ac planè Messentios, non modo humani sed etiam diuini

iuris contemtores. Sed cum Agesilaus à patria rebus maximis in Asia gestis & in spe optima pulcherrima victoria reuocaretur, decessit cum illo Xenophon, & reuerso in Graciam publicè à Lacedaemoniis honores habiti fuerunt. Sed ipse relicta Sparta in regionem Elea Scillantam se contulit, non longè ab urbe Elide distantem. Secuta autem eum fuisse perhibetur & muliercula, Philesia nomine, & filij duo, Gryllus ac Diodorus, qui Castores appellarentur. Venit autem & aliquanto post ad ludorum Olympiorum celebritatem & Megabyzus, à quo reliqua pecunia depositi recepta, agrum emit quem Diana consecrauit, & lucum illi dedicauit, ad praterfluentem Scilluntis, quo nomine & Ephesi fluuium appellari audierat. Scilluntem autem sunt qui dono eum à Lacedaemoniis ereptum Eleis accepisse scribant, ubi postea vixerit delectans se venando & scribendo, & hospitum humanissima tractatione. Misisse quoque Philopidam Spartiatem multa ei mancipia è Dardano muneri perhibent, quibus bene venditis rem fecerit. Pausanias addit etià templum extruxisse consecrasseque Dianae Ephesiae. Fuisse autem regionem Scilluntis amoenissimam & suppeditasse venandi copiam, inprimis abundantem apris & ceruis. Quodam vero tempore Elei exercitum ad Scilluntem duxerunt, quod contra se Pisaeis auxilium misisse agere ferrent Scilluntios, ac Lacedaemoniis morantibus in suppetiis ferendis ceperunt regionem, tum Xenophontem primum Elin, deinde Lepreum coecepisse, quod antè filij ipsius venissent cum paucis seruis, atque ita assumtis filiis migrasse Corinthum, ubi postea habitavit, retulit Laertius. Pausanias vero ait, enarratores Eleorum dicere: cum recepissent Scilluntam Elei, quod Xenophon affirmaret se eam regionem dono à Lacedaemoniis accepisse, de eo iudicium Eleos dedisse, & ita bona ipsorum gratia Xenophontem in possessione Scilluntis permansisse, nemine illum offendente. Quin etiam non longè à templo, sepulcrum ostendi solitum cum effigie pentelici saxi, quod Xenophontis esse perhiberetur ab accolis. Sed dum hæc gererentur, interea mutata voluntate Atheniensium ciuitas decreuit auxilia laborantibus Lacedaemoniis aduersus Thebanos, ibi Xenophon defensuros Lacedaemonios remisit in patriam filios suos, qui disciplina Spartana instituti essent, hoc enim perfecerat Agesilaus, ut Plutarchus in Laconicis scripsit,

cùm oportere adolescentibus illis doctrinam tradi censeret, imperandi & parendi. Commisso autem prælio ad Mantincam, alter cui nomen Diodoro, cùm nihil gessisset dignum memoria, rediit incolumis, ac filium reliquit Gryllum, at Gryllus in pugna equestri post multa fortia facinora, cõfesso etiam à se Epaminonda, mortẽ occubuit, duce equitatus Cephisodoro. Cum autem nuncijs adueniret de interitu filij, fortè operatum sacris Xenophõtem, habuisse coronam in capite traditur, ac cognita re illam statim deposuisse, moxque certiozem factum de virtute & glorioso interitu filij, rursum illam sibi imposuisse. Quidam ne illacrimasse quidem scripsere, atque hoc dixisse, quod nunciata filij morte ferunt Anaxagoram: sciebam me genuisse mortalem. Citatur à Laërtio autor Aristoteles, quòd permulti, cùm antè laudationes Grylli edidissent, tum epitaphia composuerint, in patris quoque gratiam. Hermippum etiam ait retulisse, quòd & Socrates suo illum scripto aliquando laudauerit. Floruisse scribunt Xenophontem quarto maximè anno Olympiados nonagesimæ quartæ, urbis cond. fermè CCC L. prætoze Athenis Xenaneto, quo tẽpore & ad Cyrum profectus fuit, isque annus proximè antecessit mortem Socratis. Excessit autem è viuis anno primo quintæ & centesimæ Olymp. prætoze Atheniensium Callidemide, & iam potito rerum in Macedonia Philippo patre Alexandri admodum senex, Corinthi. Sed de hoc diuersam sententiam paulo antè exposuimus. Aliqui retulerunt hunc in Olympiadem octogesimam nonam, aliqui in nonagesimam octauam, quibus maximè temporibus alijs Socratici floruerint. Sed repugnat expeditio Cyri, in qua Xenophõtem adhuc adolescentulum fuisse constat. Est & hoc traditum, patria illum excessisse decreto Eubuli pulsum, decretoque eiusdem restitutum in patriam rediisse. Fuit vir cùm omnibus in partibus vitæ integer ac bonus, tum equestris rei perquam studiosus & valde peritus, nec non venationum cupidus, & tam miles quàm dux laudatissimus, atque instruere aciem doctus, sed inprimis religionis amans, plurimum deditus sacrificijs, & extorum inspectioni, nec nõ somniorum coniecturis, & alijs diuinationibus, omnibus modis imitari Socratem querens, cùm oratione tum vita, quæ omnia de scriptis ipsius manifesta sunt. Reliquit suauissimi ingenij sui & melle dul-

cioris sermonis, de quibus & apicula nomen & Musæ Atticæ adeptus fuit, monumenta comprehensa libris circiter quadraginta, aliis aliter distinguentibus. De historia autem expeditionis Cyri, supra diximus. quam quidem orsus à narratione nuda, in sequentibus libris præmiolis contextendo narrationem utitur. Cyri prædium quam Cicero & se contrinisse legendo, & Africanum non fuisse de manibus ponere solitum scripsit, octo libris composuit, de Cyri Persici regni autoris vita ac disciplina, non ad historię fidei sed ad effigiem iusti imperij, ut ait Cicero. Illi autem libri, quibus nomen fecit ἀπομνημονεύματα, sermones optimorum præceptorum Socratis continent, quorum ultimus est æconomicus, id est de re familiari, à Cicerone in adolescentia, latinus factus. Lusit & hilari coniuuij descriptione, & de re equestri elegantissimum libellum, & alterum quo instruit præfectum equitibus, & unum de venatione conscripsit: itemque defensionem Socratis: deque vegetigalibus: de vita tyrannica: formam reipublicæ Atheniensium & Lacedæmoniorum, cuius cur illū autorem esse negarint aliqui non video: laudationem Agesilai, quam sædè allucinati quidam Plutarcho attribuerunt, cum nulla sit similitudo neque comparatio illorum quos apud Theocritum pastor memorat, florum cum rosis. Omnium autem scriptorum ipsius præstantissimum est, & haud scio an nullius alterius operi postponendum, rerum gestarum à Græcis narratio, comprehensa libris septem, quibus vel simplicitate expositionis, vel perspicuitate orationis, vel diligentia & fide commemorationis, vel prudentia in explicando præcipua, vel facundia in declarandis ac describendis rebus, locis, temporibus, personis, causis, occasionibus, nihil candidius, nihil disertius, nihil sincerius, nihil eruditius, nihil doctius fieri potuisset. Reperio etiam mentionem fieri unius libri illius de veritate, & librorum de arte Rhetoricæ. semper dubitatum tamen fuit cuius hi autoris essent: sed horum nihil nobis videre licuit. Cum autem multa dignissima summa laude tradita de Xenophonte retulerim, unum tamen factum huius omnia illa exæquare videtur non comparabilis iusticiæ & integritatis. Cum enim historię Thucydidis libri penes unum illum essent, facileque suppressi nomen autoris posset, ut omnes homines fallerentur, non solum id non fecit, neque externis bonis

bonis se exornauit, & alieno labore parta in se trāstulit, sed etiam libros illos edidit in lucem atque famam eorum existimationemque sua predicatione auxit. O vere ingenuum animum, & voluntatem rectam. Hiccine existimandus vir, cum altero similitatem exercuisse, vel quòd odisset vel quòd inuideret? Menoni, inquit, Thessalo inimicus fuit, & maledixit. Etiāne amaret ac laudaret vel aduersarium suum, vel eum quem tam leuem, tam impudicum, tam perfidum, tam facinorosum esse compererat? Sed hunc Plato ornauit scriptis suis. Hinc iam colligunt fuisse amulos, viros optimos & doctissimos, & hac opinione præcepta, multa alia conquirunt quibus illa confirmetur. Quæ quidem omnia magis de errore prauitatis quàm veritatis iudicio constitui mihi videntur. Inuidebat inquit illi Plato, & offendebatur splendore nominis & celebritate famæ condiscipuli, vel potius naturalis quedam animorum dissensio in ipsis fuit, & in cupiditate principatus ac conscientia virium creuit mutua malevolentia. Quid cogit suspicari? nam erat æquius atque humanius arbitrari vtrunque suo studio indulgentem, de altero minùs cogitasse, ac sequentem proprias quasdam rationes, in diuersa abiisse. Nam non eadē spectantibus alij atque alij fines propositi esse solēt. Et vt quadā saepe est magna naturarū in duobus similitudo & animorū quasi cognatio: sic & abhorrēt sine manifesta causa sinēque odio ac acerbitate aliquorum & dissident inter se voluntates ac studia. Cuius rei causam exquirere in præsentia non libet, sed hoc quod dixi fieri omnibus exploratum est. Quid autem coniecturarum odij & inimicitiarum quæ intercesserint inter philosophos illos, afferant, si placet, videamus. Vterque conuiuij cuiusdam pertexuit narrationem, ne alteri cedere videretur, vterque defensionē Socratis edidit. Quid, si fortè vterque ex eadem lana vestem sibi fieri voluisset, aut eadem forma materiæque poculum, idne æmulationis signum esset? At enim de industria diuersa, in conuiujs maximè memorant, vnus tibicinas introducens, alter eiiciens: vnus Socratem faciens recusare grandia pocula, alter bibere ingenti quodam è vase producentem potum sub auroram vsque. Nescio quid certi in his esse dicam. diuersis enim tēporibus & apud diuersos commutari certè illa potuerunt, præsertim cum Socrates omnium, vt dicitur, hō-

rarum homo fuisse perhibeatur. Sed addunt, neuter in suis scriptis alterius mentionem fecit. Et si fecit quidem Platonis Xenophon. Verum hoc iam signum potius venerationis cuiusdam & præclari iudicij illorum mutui, quàm malevolentia & liuoris existimandum, cum sic statuerit uterque, sua alterum virtute proprioque ingenio eminere seseque attollere facile posse, neque alterius quasi præconis voce indigere. Hoc autem difficile: Cyrum Xenophon optimis præceptis à prima pueritia, & honestissimam disciplinam fuisse institutum, Plato disciplinam ne attigisse quidem scripsit. Dicit Plato quidem se hoc argumentis quibusdam, quæ & commemorat, colligere, & pertinebat ad ea quæ tum agebantur. Sed quis tam humili tamque misero ingenio (nisi infelicissimi atque abiectissimi animi) fuisse Platonem suspicetur, ut hac mentiuncula aut conaretur aut posse crederet, pulcerrimam illius operis famam infuscare? Opposuisse verò hoc Xenophontem libris illius de Republica componi inceptis, suspicionis est non iam stultæ aut incogitantis, sed insanæ & dementis. Quid enim obsecro simile, aut quæ laus communis? quæve quasi palma in medio posita, quam contentione & certamine uterque tanto peteret? Mihi enim certè Plato quasi Olympicam laurum, Xenophon Delphicam videtur obtinuisse. At amulos & aduersarios de eisdem præmiis eisdem ludis congregari oportet. Nam quod Plato Menonem ornauerit, Xenophō infamauerit, utrunque tempore commutato verè potuit, non ad alterius obtretationem fieri. Etiam hoc notum est, sæpenumero simulatam esse laudationem, & habere cohortationis ad virtutem vim, cum non qui sit is, qui cum loquimur, sed qualem esse vellemus, dicitur. Ad damus sanè & hoc: Platonem in defensione Socratis mentionem fecisse estimationis pænæ cum iudicibus, quam Xenophon in sua defensione, à Socrate prorsus refutatam fuisse scripserit. Ne hoc quidem eiusmodi videri debeat, ut vnus illorum alterum refellere voluisse videatur. Illa enim ironica estimatio Socratis nulla prorsus fuit. id quod Xenophon in studio præsertim breuitatis, planè indicasse satis scilicet habuit. Verum de his satis vel potius nimio plus. Nam & alij ante nos opinionem dissidij inter hos improbarunt, quam nos quidem planè repudiare, atque impiam ducere par fuerit. Athenæus quidem ventilator dissidij istius, &

philoso

philosophorum parcens nemini, Xenophontem quoque præterire nolens (quem tamen ἠδίστον ἔχει χαλεπίτατον vocat) vix reperit quod carperet, & ex tertio libro ἀπομνημονευμάτων arripuit exagitantium colloquium Socratis cum muliercula Theodota, quasi impudicè expositum, & libidinis irritamenta flagitiosè perdocens. Cuiusmodi sanè sunt reprehensiones philosophorum Athenæi, nunc exquirèdum non est, sed calumnia profecto est hoc loco manifesta: cum & ironia Socratis rem per se non honestam, sed legibus nequaquam prohibitam, oratione ibi tam verbis quàm sententiis pudica sic notet, ut improbari appareat: & questus illius turpitudine indicetur, ut talis vitæ vitiosa perversitas demonstraretur. Sed ut muscæ ad dulcissimam maximè aduolant, sic qui studio sibi habent alios criminari, optima quoque & pulcherrima attractare consueverunt. Hoc itaque falsæ accusationis conuitio vera defensione & ipso confutato, ad rem redeamus, & absoluamus narrationem institutam. Xenophon cum à pueritia innocentem vitam egisset, & virtuti bonisque artibus sese totum addixisset, fuissetque vir optimus & amicis atque reipublicæ utilis, exacta iam etate ipse quidem terras deseruit, sed memoriam sui reliquit posteritati sempiternam. De hoc non admodum bella epigrammata duo Græca extant apud Laërtium, quæ nos in Latinum conuertimus, ac fecimus, ut mihi quoque videtur, illis aliquantò deteriora, hoc modo:

Non modò te in Persas Xenophon est Cyre secutus,
 Vestigans sed quæ ferret ad astra viam.
 Nanque suis libris Graiùm de fortibus actis,
 Sermones studuit iungere Socraticos.

Item:

Quamvis te Cranai, Xenophon, Pelopisquæ coloni
 Eiecerint cari vrbe gratia Cyri,
 Accepit tamen hospitio non dura Corinthus,
 Tam grata tibi putaris vt manendum illic.

Exponitur & epigramma appositum statuæ Xenophontis Chrestodori cuiusdam, quod & ipsum Latinum factum subiecimus:

Scutiferæ Xenophon hos ciuis Pallados inter
 Resplendebat, Achæmenidæ qui fortia Cyri

Concinuit Musæ de more Platonidos, acta,
Egregij historiæ cum partus vbere fructu
Peruigiles apium miscens scribendo labores.

*Non putavi autem silentio prætereundum, quod perquam audacter iudicarem factum esse à Polluce barbaricæ originis homine. Hic enim non dubitavit quasdam esse apud hunc autorem λέξεις, φορτικῆς, quasi dicamus iniucundas ac molestas. de quo ipsum profecto pronuntiare nequaquam decuit, neque nos verum esse credere debemus. Quod autem notarunt eruditi quidam in Xenophonte quasi poetica quedam vocabula, ea omnino Attica esse statuendum est, τῆς ἀρχαίας μάλιστα ἀτιδός, quæ neutiquam putaret ille obliteranda, aut patiendum esse, ut non usu illa obsolescerent: cum præsertim sese verborum doctrinæ studiosum non esse ipse scripserit, ut quæ essent in medio, ea usurpanda, neque noua elegantia studendum duxerit. sic enim ille in libro de venatione: ἴσως οὖν τοῖς μὲν ὀνόμασιν οὐ σεσοφισμένως λέγω. οὐδὲ γὰρ ζητῶ τοῦτο. Et mox: ὀνόματα μὲν γὰρ ὄσα ἂν παιδεύσθαι, γινώμεται δὲ, εἰ καλῶς ἔχοιεν. Negat se sapiētiam in dicendo nominibus seu verbis persequi. Et, nominum seu verborum non esse institutionem, ait, liberalem, sed bonarum sententiarum. Verum, istam enim appendiculam longius producendam non existimauimus, hic narrationis nostræ de Xenophonte hoc Atheniensi finis esto. Fuere eodem nomine & alij. Nam & maiorem hunc appellari reperio. Et à Laërtio septem numerantur Xenophontes. Primus is, de quo tam multa iam diximus. Secundus & ipse Atheniensis frater Pythostrati cuiusdam auctoris Theseidos, qui cùm aliis tum de Epaminōda & Pelopida, libros composuit. Tertius, Medicus Cous. Quartus scriptor historia Hūnibalicæ. Quintus cōditor præstigiærum commentitiarum. Sextus, fictor simulacrorum Parius. Septimus, antiquæ comædiæ poëta. Suidas tres etiam historicos huius nominis memorat. Vnum Antiochenum, qui scripserit Babylonica. Alterum Ephesium, qui Ephesiaca. Tertium, qui Cypria, argumentis omnia amatoris. Nomen etiam hoc perhibetur fuisse ὀρχηστῆς, id est saltatoris Smyrnæi, cuius senis Græcum epigramma lib. IIII. admixatur Ἰελλῷ Ὀρχηπιστῆ. Habetis narrationem de autore susceptorum ad explicandum libellorum nostram non
admo*

admodum illam quidem elegantem, sed in qua cum voluntatem boni consulere, tum studium meum gratum acceptumque vobis esse pati debere videamini. Quod superest ad indicati vobis libelli interpretationem crastini hora prima pom. diei, Deo volente accedemus.



DE XENOPHONTE
IOACH. CA-
MERA R.



VT Plato doctrina sapientis nomine claret,
 Utq; acri ingenio præstat Aristoteles,
 Ut sermonis habes laudem Theophraste disertæ,
 Utq; alios alius Musæcus ornat honor,
 Sic Xenophonteo suavi sedet ore Thalia,
 Mellâque more leuis dulcia fingit apis:
 Vnde fluunt puro latices de fonte perennes,
 Et placida illimi flumine fertur aqua.
 Quæ, quanquam hæc alia est tractu non lenior vlla,
 Pondera magna tamen sustinuisse potest.
 Nam non sola huius solenni pocula luce,
 Nunc etiam nitido rore minuta madent,
 Nec modo Socraticis sermonibus irrigat hortos,
 Lætâ fouet nascens in quibus aura decus:
 Sed simul illa duces, & plenos milite campos,
 Mænia, equos, classès, prælia, castra, vehit.
 Hunc ego, definire licet rem si mihi tantam,
 Nec leue iudicium creditur esse meum,
 Censeo non urbem minus illustrasse paternam,
 Tàmque esse hoc Cranai nobile ciue solum,
 Quàm quo sunt terra fusi Marathonide Persæ,
 Quique horum æquoreas sanguine tinxit aquas,
 Eximij bello. Careat collatio culpa,
 Magni hi, dux certè magnus & iste fuit.
 Addita doctrina est quòd si clarissima virtus,
 Iam fuerit nostri gloria summa ducis.

Xeno



XENOPHONTIS DE CYRI DISCIPLINA

LIBER PRIMVS.



COGITATIO aliquando nobis iniecta est, permultas popularis generis ciuitates ab iis, quibus alia potius quàm illa administrationis forma placuisset, euerfas : similiter & principatus tam singulorum quàm paucorū quorundam sæpe iam à multitudine sublatos:

ex iis verò qui regnum inuassent, quosdam perquam celeriter euerfos, quosdam, qui imperium quocumque tempore retinere potuissent, in admiratione sapientiæ & opinione felicitatis fuisse. Quin etiam animadvertere uisum sumus, quosdam priuatos domi suæ magnam familiam alere, quosdam modicam : & ne hos quidem tamen assequi, ut pauci isti dominis pareant. Præterea venit in mentem, habere bubulcos imperiū & ipsos in boues, & equorum custodes in equos, & omnes eos qui pastores appellantur, rectè existimari imperium habere in eas animantes quibus præsumunt. Atque hos uniuersos greges uisum uidere magis obtemperare uelle pastoribus, quàm homines magistratibus suis. Vadunt enim greges quocumque pastores direxerint, & pascuntur iis in locis, in quæ illi dimiserint, & ab iis abstinent unde prohibetur. Insuper & fructibus, qui ex iis percipi solent, ita sinunt uti pastores, ut libet. Nec compertum est ullum gregem unquam aduersus pastores coitionem fecisse, uel quòd parere re-

cufaret, vel quòd nollet permittere, vt pastor fructu gregis vteretur. Sùntque adeo infestiores greges omnibus aliis, quàm iis, quos & gubernatores habent, & ipsi commodis augent, homines verò potissimùm coeunt aduersus eos, quos regnum inuadere senserunt. Hæc confidentibus nobis visum fuit, ei, qui homo natus sit, magis in promptu esse imperium in quascunque animantes, quàm in homines. Cùm autem cogitaremus fuisse Cyrum Persam qui haberet & homines & ciuitates & gentes complures subiectas & obœdientes sibi: ex eo iam coacti fuimus mutare sententiã, vt arbitraremur, Non esse omnino negatam vel difficilẽ rem, imperium in homines exercere, si quis scitè hoc ageret: quippe cùm ij Cyro parere voluerint, qui cùm dierum, tum mensium complurium interuallo abessent, quidam etiam qui nunquam eum vidissent, & nonnulli qui se visuros nũquam esse scirent, attamen voluerunt huic obœdire. Itaque tãtum ille præstitit cæteris regibus, tam iis qui paternum regnum accepissent, quàm qui ipsi per se peperissent, vt Scytha quidẽ quamuis Scytharum ingens multitudo sit, neque imperium suum ad aliam gentem proferre vllam, & si retinere in suam possit, bene secum agi existimet, quemadmodum & Thrax in Thracas, & Illyrius in Illyrios: de quẽ aliis eadem gentibus audimus. Europæ sanè gentes nunc quoque sui iuris & disiunctæ inter sese esse narrantur. At Cyrus cùm incidisset in Asiæ gentes, similiter sui illas iuris, adortus has cum parua Persarum manu, principatu fuit potitus Medorum quidem & Hyrcaniorum yolũtario: subegit autem Syros, Assyrios, Arabes, Cappadoces, Phrygas vtrosque, Lydos, Cares, Phœnices, Babylonios, subiectosque ditioni suæ habuit Bactrios, Indos, Cilicas, itẽmque Sacas, Paphlagonas, Magadidas, & alias gentes complures: quarum nomina etiam referri nequeãt. Idem protulit imperium suum & in Græcos incolentes Asiam, & mare ingressus, in Cyprios quoque & Ægyptios. Atque his gentibus præfuit, quæ neque eadem cum ipso, &

diffimili inter se lingua vterentur, & potuit tamen tantum telluris obire formidine sui, vt & terreret omnes, neque adoriri eum auderet quisquam. Potuit etiam tantum desiderium gratificandi sibi excitare in omnibus, vt perpetuo illius arbitrio gubernari cuperet. Pēdebant autem ex ipso tot nationes, quot persequi laboriosum esset, quacunque iter aliquis ingredi à Regia inciperet, siue ortum seu occasum versus, siue ad septentrionem seu ad meridiem. Nos itaque de hoc viro vt admiratione digno quaesiuimus, & quo genere natus, & quali ingenio præditus, & qua disciplina institutus, ad tantam inter homines præstantiam peruenerit. Quæ igitur de hoc resciuimus atque comperisse videmur, ea conabimur explicare narratione nostra. **P A T R E M** habuisse Cyrum perhibetur Cambysem regem Persarum. Hic Cambyfes oriundus fuit à Persidis, qui à Perseo nominis celebritatem ducerent. Matrem constat fuisse illius Mandanen filiam Astyagis regis Medorum. Traditur autem, & nunc quoque à Barbaris decantatur, à natura Cyro tributam fuisse formam pulcerrimam, & animum humanissimum, & cognitionis atque honoris studio flagrantem, vt cum laborem quemcunque suscipere, tum quodvis periculum adire non dubitaret, laudis spe proposita. Ac memoratur illi quidem hunc animum & formam istam à natura tributam fuisse. **I N S T I T V T I O** autem fuit disciplina & legum Persicarum: quæ leges eiusmodi sunt, vt ante omnia curam publicorum commodorum videantur complecti: non indidem, vnde aliarum ciuitatum leges, exordium sumentes. Nam pleræque aliæ ciuitates omnibus educandi liberos suos pro arbitrio vniuscuiusque, & adultis etiam ita viuendi, vt libuerit, potestate concessa, sic deinde edicunt, Ne quis furetur, Ne quis rapiat: Ne per vim in ædes quaspiam irrumpat: Ne pulset alterum per iniuriam: Ne adulterium committat: Ne contumax sit aduersus magistratum, & alia his similia eodem modo: quòd si quis quid horum transgrediatur, pœna illi

est proposita. At Persicæ leges antevertentes procurant, ne omnino ij sint ciues, qui rem prauam aut turpem appetant. Procuratio autem est talis. Est apud illos forum quod vocatur Liberum. quo loco & Regia & Curia est. Hinc merces & genus forense & horum voces atque ineptiæ repelluntur in locum alium, ne istorum cõfusio cum disciplinæ ordine commisceatur. Distinctum autem est forum illud appositum curiæ in quatuor classes, quarum vna est puerorum, altera ephëborum: vna item virorum constantis ætatis, & vna eorum, qui annos militiae excefferunt. Veniunt autem hæ classes in sua loca singulæ secundum leges: pueri quidem primo diei diluculo, eodémque tempore & viri constantis ætatis: seniores verò tum cùm vnicuique commodum fuerit, exceptis certis diebus quibus & ipsos adesse oportet. Ephëbi autem in armis gymnics etiam pernoctant ante curiam, exceptis maritis. Nam neque requiruntur hi si absint, nisi iussi fuerint adesse, neque ipsis crebrò abesse honestum est. Harum classium singularum Magistri sunt duodecim. in tot enim tribus Persæ distribuuntur. Ac pueris quidem ex seniorum numero præficiuntur ij, qui putantur quàm optimos hos posse reddere: ephëbis autem ex viris constantis ætatis, ij qui & ipsi quàm optimos redditori esse iudicantur. At viris constantis ætatis ex ipsis aliqui præficiuntur, qui ita se gerunt vt studiosissimi esse ordinis & summo magistratui cupidissimè parère velle existimentur. Neque desunt senioribus etiam sui quidam præfides, qui ad hoc creantur, vt hæc quoque ætas faciat officium suum. Quæ verò exequi iubetur vnaquæque ætas, ea deinceps enarrabimus, quò certiùs cura horum, vt ciues quàm optimi sint, perspiciatur. Pueri ludos frequentant, & in iis versantur discentes iusticiam, seque ad hoc venire narrant, quemadmodum ad literas discipuli nostrates. Horum Magistri maximam diei partem consumunt iudiciis exercendis. Nam crimina pueri sibi inferunt inter sese, non secus ac viri, furti, rapinarum, iniuriarum,

riarum, doli, maledicentiæ, & alia, vt assolet. Quos autem in patrandò aliquo horum deliquisse iudicatum fuerit, in eos animadvertitur. Puniuntur item, si qui temerè litem mouisse comperiantur. Iudicium autem dant & criminum quidem eorū, vnde grauissima inter homines odia existere solent, in primis autem neglectæ gratiæ, quemque compererint gratiam cum posset nō retulisse, in eum vehementer animadvertunt. Sic enim existimant, Ingratos cum Decorum respectu minimè moueri, tum nulla parētum, patriæ, amicorum cura tangi. Sequi etiam istud vitium impudentia potissimùm videtur, cum hæc ad omnem turpitudinē præcipua dux esse videatur. Docent pueros & temperantiam atque moderationem. quam vt discant colere, plurimum confert, quòd seniores cernunt omni tempore moderatè & pudicè vitam degere. Docent & magistratibus obtemperare. ad quod plurimum affert momenti, quòd cernunt seniores admodum magistratibus obtemperare. Docent & abstinentes esse cibi ac potus. ad quod hoc quoque prodest, quòd cernunt non priùs discedere seniores ventris causa, quàm à Magistris dimittantur, quòdque non apud matres sed præceptores pascuntur, signo à Magistris dato. Afferunt autem domo ad cibum panes, ad obsonium verò nasturtiū, insupérque ampullam vt bibant, si quis sitiatur, hausta aqua de præterfluente. Discunt præterea arcum tendere sagittasque & iacula cōiicere. Atque hæc pueri exercent ad annū vsque sextum aut septimū supra decimum à primo ortu, postea transeunt ad ephebos. Hi decē annis postquam ex pueris excefferunt, vitam degunt hoc modo: Somnū capiunt ad Curiam, vt dictū est, idque cum vrbanæ custodiæ, tum pudicitæ gratia. nam huic ætati diligenti in primis respectu opus esse existimatur. Parata autē est & interdiu opera ipsorum & præstò magistratibus ad vsum reipublicæ. quo indigente illorum præsentia, remanent ad Curiam vniuersi: cum Rex autem venatū exit, dimidiū relinquit custodiæ: idque facit vno mēse sæpius. Eos verò qui edu-

cuntur, habere oportet arcum & in vagina propter pharetram gladium, aut securim, in superque parmam, & hastilia bina, ut altero eminus, altero comminus poscente re uti possit. Hanc ob causam autem publice venationibus student, & Rex tum ducit illos sicut belli tempore, & venationi ipse operam dat, & alij ut dent curat, quod verissima hæc ad bellum exercitatio esse videatur. nam & ad surgendum mane, & ad perferendos æstus ac frigora, assuefacit venatio, exercetque itineribus atque cursu. Necessesse etiam est sagittas & iacula coniiicere in feras vbicunque ita forte ceciderit. Necessesse quoque est, ut animus sæpenumero acuatur in venatione, si quando valida quæpiam bestia restiterit. & feriri enim congressam, & vitari irruentem oportet. Itaque non facile reperias, quid omnium quæ bello insunt, à venatione absit. Egrediuntur autem ad venationem efferentes prandium, copiosius nimium illud quàm est puerorum, sed aliis rebus simile. Atque durante venatione prandent neutiquam: verum si remanendum bestię forte causa, aut absque etiam hac in venatione tamen commorandum esse videatur, prandio illo pro cœna utuntur, & posterum diem producunt venando ad cœnam usque, hosque dies ambos pro vno putant, quod vnus tantum diei cibaria confecerint. Id autem faciunt usus & exercitationis gratia, ut si opus sit idem in bello fieri, facere possint. Atque ij qui in hac ætate sunt, obsonio utuntur venationis, si quid forte ceperint: sin minus, nasturtio. Quod si quis existimat ingratum illis esse hunc cibum solius nasturtij additi ad panem, aut potum aquæ, is in animum reuocet, quàm suavis offa sit & panis, si edat esuriens, quàmque suavis aqua, si bibat sitiens. Tribus autem illæ quæ remanent exercitationibus occupantur, cum eorum, quæ in pueritia didicerunt, tum arcus & iaculorum, & hanc inter sese contentionem nunquam intermittunt. Sunt autem horum etiam publica certamina, & præmia ipsis proposita. In quacunque autem tribu plurimi fuerint sapientia & virtute præstantes,

collau

collaudare solent ciues, nō modò magistrum horum, sed eos quoque qui adhuc pueros illos erudierunt. Utuntur autem remanentibus ephebis magistratus, ad custodias fires poscat, aut vestigādos eos, qui maleficium quodpiam commiserunt, aut prædones excipiendos, itēque alia quæ sunt virium & celeritatis opera. Atque hæc ab ephebis aguntur. Peractis autem annis suis decem, excedunt inde ad constantis ætatis viros. Ex eo autem tempore quòd excefferunt ex ephebis deinceps, hi annis quinque & viginti talem degunt vitam: primū quidem sicut ephebi, prædò sunt magistratibus, si quæ in partē reipub. utendum illi existiment opera, quam nauare solent ij, qui & intelligentia iam, & robore adhuc valent. Si quò autem exercitu educto opus est, non proficiunt in expeditionem iam illi hoc instituti modo cum arcibus & missilibus, sed ea sumunt arma quæ idonea ad manus conferendas inde etiam nomen habēt, primū circum pectus thoracem seu loricam, & parmam sinistra, quo habitu pingi quoque solent Persæ, deinde machæra dextra gerentes aut gladium, eque horum humero omnes magistratus leguntur, exceptis præceptoribus puerorum. Ad confectis iam annis illis quinque & viginti, excefferint hi annum scilicet quinquagesimum à primo ortu, tunc igitur transeūt ad seniores, qui ita & sunt & appellantur. At seniores hi non ad externam militiam educuntur, sed remanentes domi iudicia exercent omnia tam publica quam privata. Hi & mortis supplicium decernunt, & magistratus legunt vniuersos. Si quis verò epheborum aut constantis ætatis virorum omiserit aliquid ex iis, quæ legibus & moribus constituta sunt, eius nomen deferunt & magistri tribuum, & alius quicquē voluerit. At seniores re audita illum loco mouent iudicio suo. Amotus autem qui fuerit, is reliquam inhonoratam vitam degit omnem. Quò planius verò tota Persicæ ciuitatis administratio declaratur, paululum ad superiora reuertar, nūc enim paucissimis declarari poterit, propter illa quæ præ-

narrata sunt. Persæ numero esse perhibentur circitèr mille centies vicies. ex hoc numero nemo ab honoribus & magistratu legibus arcetur, sed liberum est vniuersis mittere suos pueros in publicos iusticiæ ludos. Mittunt tamen ij modò, quorum ex sunt facultates, vt liberos in otio alere possint: qui nequeunt, ij non mittunt. Institutis autem publica doctrina conceditur adulescere inter ephēbos: reliquis non, perculis hac institutione non conceditur. ij verò, qui intèr ephēbos legibus & moribus obseruatis confecerunt tempus suum, contubernales deinde fieri possunt virorum cōstantis ætatis in communitate honorum & magistratuum: qui verò in ephēborum cœtu non perseverauerint suo tempore, illis ad constantis ætatis viros accessio non est. Inter viros autem qui vixerint sine crimine, hi iam confecto omnis honestatis itinere, in seniorum numerum referuntur. Ita hunc ordinem constituunt ij, qui per omnem honestatem progressi fuerunt. Et hæc forma est status publici apud Persas, quem conseruant, se illi facillè virtute cæteris præstare arbitrantur. Ac nunc quoque quædam restant testimonia, cum moderationis illorum in victu, tum laboris quo hunc digerynt. Nam hodierno etiam die turpe habetur Persarum moribus, tam expuere quàm emungi pro palam, itémque refertum flatibus videri. Turpe & hoc, si quis cōspiciatur secedere vel ad profundendam vrinam, vel huiusmodi aliquid quidpiam. Id facere non possent, nisi & victu temperato vterentur, & humorem digerētes ita conficerent, vt alià hic excerneretur. Atque quæ commemorauimus, pertinent ad omnes Persas: nunc autem deinceps actiones Cyri, cuius causa hæc instituta est narratio, orsi à pueritia illius referemus. Cyrus quippe ad annos vsque duodecim aut paulo plures, institutus hac, qua diximus, disciplinâ, omnibus æqualibus suis præstare visus fuit, cum in ediscendo celeriter, quæ oporteret; tum laudabiliter & strenuè exequendo vniuersa. ILL o tempore accersiuit ad se Astyages filiam suam vnâ cum nepote, cuius, quia

quia audierat animi & corporis bonis esse illustrem, videndi desiderio tenebatur. Profecta igitur Mandane assumpto filio Cyro, cum aduenisset, Cyrus conspecto Astyage, quem esse matris suæ patrem intellexerat, statim ut puer ingenio leni & mansueto, complexus illum salutat, ita ut familiarem aliquis suum & amicum veterem salutarer. Ac cernens tum exornatum cum genarum pigmentis, & illitos colores, & alienos crines impositos esse, ut fertur mos Medorum, (nam cuncta hæc Medica, itemque tunica purpureæ, & candyes, & torques circum collum, & armilla circum brachia : apud Persas autem domi nunc etiam cum vestitus longè vilior, tum victus tenuior, est) cernens igitur aui ornatum hunc, intuensque in eum Cyrus: Mea mater, inquit, quanta est aui mei pulcritudo. Cum autem mater interrogasset, vter ipsi pulcrior videretur, paterne, an auis? tunc Cyrus respondit: O mater, pater meus est ille quidem Persarum multò pulcerrimus, Medorum autem omnium, quos ego vidi, vel in via vel in venatione, eorum multò pulcerrimus hic est auis meus. Contra autem complectens & ipsum Astyages, cum stola pulcra induit, tum ornamentis & honore torquum & armillarum affecit, & prædiens equo illum aureis franis insigni vectum, circumducebat, eo modo quo, ipse proficisci solebat. Cyrus autem ut puer & elegans & cupidus laudis, illa stola delectabatur, & equitationis studio mirifice gaudebat. Apud Persas enim, quòd difficulter equi & alantur & agitentur in montana regione, rarus etiam visus equus est. Inter cœnandum adhibita filia & Cyro, persicere cupiens, ut quàm gratissimam cœnam esset puero, quò minus domesticæ consuetudinis desiderio teneretur, admovit illi & patinas & varia condimenta, atque esculentia. Ibi Cyrum dixisse ajunt, Multum tibi, mihi que negotij offertur inter cœnandum: siquidem necesse est ad omnes istas patellas manus extendere, & hæc tam varia esculentia degustare. Tum dixisse Astyagem: Quid? An non hæc cœna melior tibi videtur Persica cœna? Ad hæc respondit

se Cyrum, nequaquã aue: sed est multò simplicior & directior via apud nos ad tibi satietatẽ, quã apud vos. nam ad hanc deducit nos panis & carò. At vos, eodẽ quidem quò nos, tenditis, per multas verò ambages sursum deorsum vagãtes, vix peruenitis eò, quò nos dudũ perrexeramus. Minimè verò, dixisse Astyagem, nobis, mi fili, graue est ad hũc modũ peruagari. quòd si gustes, scire poteris & tu quã suauia sint ista. Quin ego, dixisse Cyrũ, te quoque video auerfari hæc esculẽta. Ibi quãssisse Astyagem: Quã verò tu coniecturã sequẽs hoc narras? mi fili. Quia enim, dixisse, te si panẽ tetigeris manum detergere video nunquam: horum autẽ quopiam cõrectato, statim purgas detergendo manũ applicata mappa, quasi admodum offensus quòd his illa cõpleta fuerit. Tum respondisse Astyagem, Quin tu igitur, si ita cõses, vesceris carnibus saltem, vt iuuenis domum reuertaris: intèrquẽ hæc verba afferri illi iussisse carniũ copiam tam ferarum quã mansuetarum animantium. Et Cyrum cùm vidisset tantã carniũ copiam dixisse: Etiamne tribuis has autẽ, carnes vniuersas mihi, vt liceat vti pto arbitrio? Ego verò tibi maxime, mi fili, dixisse. Ibi Cyrum acceptas carnes distribuisse ministris apparentibus coram aũo, vnicuique cùm elogiò: Hoc tibi, cùm me studiose docēs equitate: tibi hoc, qui tragulam mihi donasti, id enim nũc licet: tibi hoc, qui tui ministeria diligenti sunt curã: tibi hoc, qui obseruas matrem meam, atque hæc facientem vniuersas carnes distribuisset. Tum Astyagem dixisse, Nihilne das Sacã pũdetnã, qui in maximo est apud me honore. Sacas autem hũc & pulerũ sine clausis erãt, & hõc muneriõ gerebat, vt adduceret ad Astyagẽ eos, quibus illum conuentis opus esset, & excluderet si quos minus opportunè admittũdum ipsi videretur. Tum Cyrum quãssisse prociũs, vt pueri adhuc expertes verecundiã sensus confutiorõ: Quã ob causã mi aue, tantum isti honorem habes? Et Astyagem dixisse per iocum: An non cernis quã bellidã scire pũcula ministret? Isti autem pũtilorum

tum ministri ad reges, & vinum lepidè hauriunt, & munditiæ student infundendo, & tribus digitis præferentes phialam tradunt, & ita offerunt, ut porrigentibus ipsis quàm rectissimè accipere possit, qui bibere vult. Tum dixisse, ô aue, iubeo Sacam tradere mihi, poculū, ut & ego bellè infuso potu tibi, conciliè te mihi, si queam. Et illam dare iussisse. Quo accepto, Cyrum & diè diligenter eluisse ut viderat Sacam, similiter & composito ad seueritatem & habitum decentem vultu, obtulisse phialam & porrexisse auro ita, ut & matris & Astyagis risum cõcitaret largum. Atque ipsum etiam Cyrum cum risu exiisse ad aium & inter osculandam dixisse, parasti Saca, ego te ab isto honore repellam, nam & aliis rebus magis, fortis poculorum minister ero, quàm tu, neque ipse vinum ebibam. Solent enim isti regum ministri de porrecta phiala haurire aliquantulum cyatho, & infundere in volam sinistra & sorbere, nimirum ut si quis venenum miscuerit, nihil hoc prodasse possit. Post hæc Astyages inquit: At tu Cyre per alia imitans Sacam, cur neglexisti sorbere vinum? Quia medijsfidius, inquit, me fudham ne intrare mistum venenum esset, nabaicum tuidie natalis coenam præberes amicis, istum perspouè ammaducriu venenum vobis infudisse. Quo verò pacto vni fili, inquit, hoc deprehendisti? Quia medijsfidius, inquit, videbam vos & animis & corporibus allucinari. Primum enim quæ nos pueros facere voratis, ea faciebatis ipsi. Vniuersi lenim simul exclamabatis, neque quisquam, quicquam ab altero cognoscebat. Cantabatis autem ridicula quidem admodum, cumque nemo auscultaret, iurabatis tamen tantum illam esse optimam. Quia etiam unoquoque mestrum probat suum prædicantem, cum surrexissetis ad saltandum, ne erecti quidem ingredi poteratis, tantum aberat ut saltaretis ad hameros: profusque obliteratis & iute regem esse, & alij te principem esse. Ac illo tempore ego primum intellexi, esse in his vestris actionibus, illam dicendi rationem, potestatem, tacebatis enim nūquam.

Tum Astyages, Artuus, inquit, pater mi fili non fit ebrius in potu? Non mediufidius ille quidem, inquit. Quomodo se ergo gerit? Cessat cum fiti, neque aliud ei quicquam mali accidit. quippe cum Sacam mi aue, pincernam non habeat. Ibi mater, quam tandem ob rem, inquit, tu, mi fili, adeo oppugnans Sacam? Cyrus autem respondisse ferunt: quia mediufidius odi eum. sæpius enim me accurrere ad auum cupientem, sceleratissimus iste prohibet. Sed obsecro, aue, permitte, vt triquo illi imperare mihi liceat. Astyagem autem dixisse: Quodnam igitur futurum esset imperium in hunc tuum? Tum dixisse Cyrus: consistens ita vt ipse ad ianuam, deinde vbi vellet ad cœnam venire, dicerem, nõdum fieri illi posse copiam cœnæ, res enim serias agit cum quibusdam: postea iterum venienti dicerem, quod lauet: postremò valde cibi cupido dicerem, esse eam apud mulieres, donec ita differrem hęc, sicut ipse me differt, prohibens accedere ad te. Atque hac hilaritate Cyrus intet cœnandum illõs afficiebat. Reliquo autem tempore dici, si quid requiri aut ab auo aut ab auunculo sensisset, difficile erat in exequendo hunc ab altero antecurri. mirificè enim laetabatur Cyrus, quoties illis gratificandi aliqua fauustas sibi offerebatur. Cum autem Mandane ad iter iam se pararet, reuersata ad maritum suum, petit ab illa Astyages, vt relinqueret apud se Cyrũ. Illa cupere se quidem fidere omnia, respondit, quæ grata essent parenti, sed inuitum relinquere filium graue sibi videri. Ibi Astyages dicit Cyrus: Mi fili, si remanseris apud me, primùm ingressionis ad me. tuæ potestas non penes Sacam, sed arbitrij tui erit, accedere ad me quandounque volaeris: ac quò sæpius ad me veneris, eò maiorem gratiam tibi habiturus sum. Deinde vtæris me itequis, & aliis quibuscumque voluëris: cumque aliquò proficisceris, habebis tecum eos, quos tu assumferis. Præterea in cœnando ipse statues, quam viam incedere velis, ad id quod tibi æquissimum visum fuerit. Ad hæc cum bestias, quæ in hortis clauduntur, tibi trado cunctas, tum alias omnis generis

neris colligam, quas tu ubi primùm equitare didiceris, persequaris & conficias tam sagittis quàm iaculis, non aliter quàm grandes viri. Addam tibi & pueros socios ludorum. Denique nulla te, omnium quæ volueris, petitio à me frustrabitur. Hæc Aftyage locuto, interrogavit mater Cytum, an vellet manere an discedere? At ille nihil cunctatus statim dixit, se velle remanere. Ac rursus interrogatus à matre, Quamobrem? ita dixisse fertur: Quia enim domi, mea mater, & sum & videor esse præstantissimus æqualium, sagittarum & iaculorum arte, hîc verò satis intelligo inferiorem me esse æqualibus equitandi scientia, idque scito mea mater per mihi molestum esse. Quòd si me hîc reliqueris, & equitationem perdidicero, & reuersus ad Persas facile illos vincam præstantes pedites, & apud Medos ubi huc rediero dabo operam ut inter auxilia aui reperiar præstantium equitum eques ipse præstantissimus. Matrem autem dixisse ferunt: Iusticiam verò quæ discas hîc mi fili, cum præceptores sint illi? Dixisseque Cytum: At enim ego mea mater, iam illam teneo prorsus. Quonam tu modo tenes? dixisse Mandanem. Quoniam, dixisse, præceptor me ut exquisitè peritum iusticiæ, constituabat aliis quoque iudicem, atque etiam ob vnâ sententiam quandam verberibus affectus fui, ut iniuste latam. Ea erat eiusmodi: Puer erat qui habebat tunicam parvam ipse magnus, is alterius parui habentis tunicam magnam exuens, sua illum, & se illius tunica induit. Ego iudex datus, decreui, melius esse ambobus ut haberet uterque sibi congruentem tunicam. Ob hoc præceptor verbera mihi impexit, quòd diceret ita me debere facere si iudex de congruentia datus essem: sed ubi diiudicandum fuerit, utrius sit tunica, hoc aiebat esse considerandum, ad utrum iusta possessio pertineret: cum ne qui teneret eroptam, vi, an illum, qui elaborasset aut comparasset. post hæc inquit: Id esse iustum quod legitimum, vim autem in eo, quòd legibus sit contrarium, lege igitur comite iuebat iudicem sententiam ferre. Itaque ego tibi, mea mater,

iura omnia exquisitè teneo. Quòd si quid fortè requisitè uero, id hic, inquit, auus doctrina sua adiiciet. At enim, inquit illa, mi fili, non eadem iura hîc apud auum tuum, & apud Persas seruari constat. hic enim dominum se constituit Medorum omnium, apud Persas autem æqualitas iusta habetur. Ac tuus pater primùm ex præscripto ciuitati operã dat, & ex præscripto omnia accipit. Deindè omnia metitur non animo suo, sed legibus. Proinde videto, ne flagris obruaris, si domum redieris edoctus ab isto, quo pacto regia potestas in dominationem & tyrannidè mutanda esse videatur: in quo hæc persuasio inest, pluribus vnum quàm alios omnes potiri oportere. Immo, verò mater, inquit Cyrus, multò est pater tuus callidior ad docendum paucioribus potiri, quàm pluribus. An non cernis, inquit, quòd docuerit vniuersos Medos paucioribus potiri quàm ipse potitur? Quare habet animum bonum. nam pater tuus neque alium quenquam, neque me, cum doctrinã pluribus potendi à se dimittet. Huiusmodi Cyrus quidem multa fabulabatur. Tandem verò & mater discessit, & Cyrus remansit, & ibi educari cœpit, celeritèrque æqualibus consuescendo sese admiscuit, ita vt familiariter illis vteretur. Celeritèr & hoc perfecit, ipsorum patres ex se vt pendèrent, cum adiens eos, tum declarãs, quòd amplecteretur filios illorum. Quare si quid impetrati à rege fortè vellent, iubebant petere filios à Cyro, vt negotium perficiendum susciperet. At Cyrus quacunque de re fuisset rogatus, quæ illius & humanitas & ambitio quædam erat, eam omnibus modis perficere studebat. Ipse etiam Astyages petenti Cyro denegare nihil poterat, ne parum illi gratificaretur. Etenim cum illo quodam tempore in morbum incidisset, Cyrus ab auo discessit nusquam, neque lacrimari vnquam cessauit, apparuitque, omnibus maximo in metu hunc esse, ne auus ipsi morte eriperetur. Nam & noctu, si quid requireret Astyages, Cyrus sentire primus, & magis strenuè, quàm quisquam alius, accurrere, vt illi ex animi sententia ministraret, idèoque suam Astya

Astyagem totum fecerat. Ac Cyrus quidem fortasse loquacior erat non modò de institutione, cùm cogeretur à præceptore, & ipse eorum quæ fecisset rationem reddere, & cognoscere ab aliis inter iudicandù, sed quòd etiam discendi studio incèsus de multis ipse præsentès quo pacto illa se haberent, interrogaret, & quæ alij interrogassent, ad ea propter ingenij celeritatem promptè responderet. Ita fiebat, vt ex his omnibus illi loquacitas quædam colligeretur. Sed enim, quemadmodum in corporibus, si qui grandescere in adolescentia cernuntur, nihilo tamen minus aliquid iuuenile in his apparet, quod paucitatem annorum indicat: sic & Cyri non illa quidem loquacitas audax, sed simplex videbatur & lenis. Itaque qui adesset, multa potius loquentem audire, quàm tacere illum cuperet. Postquam autem crescendo tempus eum ad maturitatem adolescentiæ produxerat, tum deinde & paucioribus verbis, & placidiore voce uti, & repleti verecundia, vt erubesceret ad cõgressus seniorum. neque veluti catuli amplius in quosvis, procaciter irruere. Atque ita placidior ille quidem erat, in congressibus autè omnibus modis iucundus. Etenim in iis certaminibus, quæ sæpè numero æquales inter sese exerceant, nõ prouocabat ille inferiores ex suis familiaribus, sed vt quoque in genere aliquos superiores esse norat, eius autor inceptorque erat, cùm præclariùs executurù sese illud diceret. Atque ita incipiebat vel in equos insilire, vel ex equis iacula disci iicere, sagittasve emittere, nondum ad insidendum satis assuefactus: cùmque vinceretur, ipse sese in primis desidebat. Quoniam verò nõ ita victus fugiebat, vt nollet in eo ipso quo inferior fuisset amplius occupari, sed versabatur in experiendo idem iterum facere rectius, fiebat non modò, vt equitando statim par esset æqualibus, sed superior etiã, quòd amore huius rei teneretur. Iamque etiam feras in hortis confecerat insequendo, feriendo, iugulando, vt feras Astyages, quas illi colligeret, amplius nõ haberet. Hoc sciens, Cyrus, non respondere

facultatem qui sui voluntati in exhibendis viuis bestiis, sæpe illi dicere: Quid opus est mi aue, molestiam tibi in cõquirendis bestiis creari? Quòd si dimiseris me vnà cum auunculo, vt in venationem excamus, quotquot bestias conspexero, eas tè mihi alere existimabo vniuersas. Cùm autem mirificè cuperet egredi in venationem, non flagitare tamen neque instare poterat, ita vt in pueritia, sed multò tum cunctantiùs accedebat, & ob quæ paulo antè Sacæ succensuerat, quòd non admitteret sese ad auum, in iis ipse sibi Sacas exisitebat: quòd nunquam accederet, nisi prospexisset an tempestiuum esset: orabátque Sacam semper, vt sibi significaret, quando adeundi esset tempus, & quãdo non esset, Itaque Sacas supra modum iam Cyrum amabat perinde vt alii omnes. Sed Astyages cognita mirifica Cyri in venatione exeundi cupiditate, permittit vt cum auunculo egrediatur: adiungitque custodes illi equites de numero seniorum, qui & vitare eum salebras docerèt, & si qua sæuior bestia occurrisset, defenderent. Ibi Cyrus cupidè sciscitari de comitibus, quãnã essent bestiarum quarum congressus vitari, quãue audacter insequẽdo vtgeri deberent. Respondebant illi, Multos cum vris congressos esse ab his dilaniatos: itẽmque à leonibus, apris, pardis: ceruos autem & capreas & oues siluestres & alios siluestres lædere neminem. Ostendebant & hoc, viarum salebras non secus atque feras esse vitandas, atque complures iam vnà cum equis per præcipitia fuisse deturbatos. Hæc Cyrus studiosè cognoscebat omnia. Mox conspicatus elatum cursu ceruum, oblitus omnium quæ audierat insequi cœpit, nihil aliud spectãs quàm illa quã se proriperet. Et fortè in saltu equus ipsius cõcidit in genua, parùmque absuit, quin Cyrus excuteretur: veruntamen quantumvis ægrè inhæsit illè equo, & is statim exurrexit: iamque progressus in planiciem coniecto iaculo sternit ceruum forma & magnitudine insignem. Hac re ingenti ille gaudio afficit. At custodes aduerti cum conuiciis indicabant ei, quòd periculum aduisset, & inter-

mina

minabantur se ad auum delaturos esse. Cyrus turr̄ astabat, quòd descendisset de equo, atque audiens hæc moleste ferebat. Audito verò clamore, rursùm insiliit in equum quasi furens: conspiciatúsque cõtra inferentem se aprum, obuiam fert sese & contento accuratè iaculo apri frontem ferit, illumque occupat. Tum verò & auunculus ei conuicia facere & exprobrare temeritatem. Cyrus tamen inter ipsa conuicia orare, vt quæ cepisset, ea liceret afferre atque dare auo. Ibi dixisse auunculum ferunt: At enim si senserit te insecutum fuisse, non tibi tantùm sed mihi quoque conuicia faciet, qui te non cohercuerim. Etiam verberibus, inquit Cyrus, me afficiat, postquam hæc illi obtulerõ. Et tu mi auuncule, quod volueris, supplicium de me sumito, modò hac in re mihi gratificeris. Ac Cyaxares tandem: **Quin** tu facis, quod lubet, quandoquidem, vt videtur, imperium in nos habes. Itaque Cyrus, & deportatas feras ad auum ei obtulit, & dixit quòd ipsi venatus cepisset. iacula verò non ostendebat ille quidem auo, sed eo loci proponebat cruenta, vbi minimè effugerent oculos huius. Sed Astyages accipere quidem se oblata aiebat: verum enim uero nihil opus, inquit, his mihi est, mi fili, si quidem tu ideo periculũ aditurus esse videaris. Tum Cyrus: quæso igitur inquit, mi aue, si his tibi nihil opus est, mihi tribuas vt inter æquales dispertiam. Sume, inquit Astyages, mi fili, & hæc & quæcunque alia volueris, ac distribue pro arbitrio tuo. Cyrus itaque acceptam venationẽ simul inter pueros diuidere, simul dicere: O pueri, nugas nimirum egimus, cum venantes agitaremus illas in hortis bestias. Similis enim venatio eã mihi visã eĩ, in qua persequeretur aliquis cõpeditas feras. Primùm enim illæ angusto loco includebantur, & ipsæ eũ parvæ tum strigosæ, atque aliæ claudæ aliæ mutilæ erant. Siluestres autem feræ & campestris quàm pulcræ, quàm magnæ, quàm nitidæ visæ. Atque cerui quasi volucres essent, ita in cælum vsque exiliebant. Apri verò, quemadmodum dici solet, de viris fortibus, conaminus iruebant, & ea erat

horum multitudo, ut aberrare dictus non posset. Mihi quidem hæc, vel mortua pulchriores illis videntur esse viventibus & extractionibus circumseptis. Vestri verò patres, inquit, nunquid vos fuerint egredi venatum? At per quidem facile inquirunt illi, si Astyages, iubeat. Tum Cyrus, quisnam vestrum igitur mentionem, inquit, huius rei erga Astyagem facere volet? Quisnam verò, inquirunt illi, magis ad persuadendum hoc ei idoneus, quam tu? At enim ego, nescio, ita me Iunonam, quisnam hominem tuaserim. Neque enim verborum mihi iam copia supererit, neque pariter, ut antea ayum aspicere possim. Quod si ista perficere perrexero, vereor ne proctus fatuus & stolidus reddar, puer verò adhuc facultate singulari in loquendo præditus eram, Tum pueri, perperam, inquirunt, res sese habet, ut narra, si quidem nostra causa nihil iam, quibus opus fuerit, agere poteris: sed quod ad te attinet, iam aliud necesse fuerit, sollicitati precibus hostis. His verbis Cyrus pungebatur, & cum silentio digressus sese exhortari cepit, & ingredi. Deliberauerat autem secum quæ minimè molesta auo oratio abs se futura esset, ut conficeret sibi ad pueris id quod cupiebat. Itaque sic orsus fuit: Dic mihi, que, inquit, si aufugit seruatorum aliquis, quomodo te geris erga retractorum? Sic, inquit, ut vinculum operis aliquid facere cogam, Sin ultro redierit ad te, quid facis? Quid verberibus, inquit, casum ne quid simile denuo committat, restituo in pristinum ministerij locum. Quin tu igitur, inquit, flagra paras quibus me cædas. nam consilium hoc agito ut assumtis æqualibus meis aufugiam abs te, in venationem. Recte, inquit Astyages, cum mihi hoc prædixisti, nã, veto ne foras prodeas vsquam. bella enim, res fuerit, si caruncula gratia filium seductum filia sinã. Hoc cum audisset Cyrus, paruit ille quidem ac remansit, sed in dolore tristis cum silentio obuersabatur. Itaque Astyages cum vehementer eum affligi animaduertisset, atque ipsi gratificari vellet, coactis equitibus ac peditibus plurimis, educit ipsum, una cum pueris in venationem: & in campos apertos depulsis fe-

ris, exhibuit copiosam venationem: & praesens ipse imperio regio edixit, ne quis feriret bestiam ullam, antequam feriendo Cyrus satiatus esset. Cyrus vero non patiebatur eum vetare, sed si vis mihi, inquit mihi aue, iucundam esse venationem, sine vniuersos meos aequales insequi atque contendere pro sua virili vnumquemque aberrantes. Ibi Astyages eos dimisit, & astans spectator erat certaminis de bestis, & subdij, cum nullus alteri epderet, & paciter omnes insequerentur, & iacula conicerent. Ac Cyro admodum delectabatur, qui tacere non posset praetantia, cum tanquam generosa nationis datus, emitteret vocem, quoties propius feram accessisset, vidensque priam ab eo derideri gaudebat, aliam laudari etiam conturbatur neuriquam inantiose. Tandem Astyages confectis multis feris discessit. Tanti autem cepit ex illa venatione voluptatem, ut deinceps semper in quotiescunque potestas daretur, vnaeum Cyro exiter assuetis cum aliis plurimis tum pueris quoque Cyri causa. Hic modo Cyrus maximam tibi temporis partem vixit, ut vniuersis voluptatis aut boni aliquid conciliaret, mali causam daret nemini.

Cum autem iam natus esset annos quindecim sedecimve, filius regis Assyriorum ductus est vixorem, venationi illorum tempore ipse operam daret, atque audiens in finibus suis & Medorum magnam esse copiam ferarum, quibus per quibus in locis nemo propter bellum venaretur, illuc exire concupiuit. Ut autem esset ruta venatio, assumit milites & equites & curatores, qui excitatas feras in loca culta & ad equitationes idonea, depellere. Postgressus autem ad castella, quae & custodias, ibi cenam iussit in struis, ut postero die venas inchoarent. At iam sub vesperam aduentum nona nocte sua successu priore, iam eques quam pedes. Itaque visum illi fuit magnam adesse exercitum, conduntis duabus custodiis, & adiondis equitibus, ac pedibus, quos ipse adduxerat. Optimum igitur esse statuit incursionem, ut Medicam regionem faceret & praedam agere, quod illic praedam venationis opus praedam visum &

magnam copiam victimarum collectum iri arbitraretur. Quapropter de nocte profectus copias eduxit. Ac peditem agmen confertum in finibus reliquit: ipse verò cum equitatu prouectus ad castella Medorum, cum plurimis ac fortissimis ibi substitit, ne Medi aduersus irruentes excurrere, & subuenire suis possent. Dimisit autem tributim idoneos equites, qui alij in aliam partem facerent impressionem: iussitque quicquid obuiam habuissent, id ut corripere & ad se adducerent. Atque illi quidem quod imperatum fuerat, exequébantur. Sed Astyages cum nunciatum esset hostes in sua regione versari, exit & ipse, ut suis opem ferat cum satellitibus, similiter & filius cum equitatu presente: significabaturque aliis omnibus ab Astyage, ut auxilio venirent & ipsi. Cum autem cernebant Assyrium agmen Medi multorum mortalium & equites in statione; substititerunt ipsi quoque. Verum Cyrus videns omnes exeuntes auxiliij ferendi causa, egreditur & ipse, tum primum armis captis, quod nondum fore, in maxima sanè cupiditate illorum, existimauerat. Erant enim & perpulcra & congruentia ipsi, quæ curauerat auus accommodari corpori ipsius. itaque armatus aduehitur & ipse equo. Sed Astyages conspicatus, mirari primum cuius iussu venisset, deinde tamen remanere eum secum præcipit. Cum autem Cyrus contra se cernebat equites multos, interrogauit auum, an illi hostes essent qui continerent in statione equos. Certè hostes, inquit Astyages. Nunquid & ij, inquit, sunt hostes, qui procurrunt? Etiam ij, inquit Astyages. Dij immortales, inquit, quanta videtur esse futilitas cum ipsorum, tum equorum quibus vehuntur, & nunc tamen nostras illi res diripiunt? Quin igitur aliqui ex nobis contra eos inuehantur? At tu inquit, mi fili, nonne vides, quanta caterua equitatus instructi in statione maneat, qui ipsi nos prouectos aduersum hos, rursus subeuntes excipient: nobis autem nondum firmæ copiarum assunt. Tu igitur, inquit Cyrus, si in statione maneat, & assumas accedentia auxilia, iam isti metu perferrebantur, neque quoniam

quóquam se commouebunt. Prædatores autem rapta, statim ubi aliquos cōtra se inuehi viderint, relinquent. Hæc eo locuto, quòd videretur dicere aliquid, Astyages admiratus simul Cyri & prudentiam & attentionem, iubet filium assumta equitum manu inuehi in prædatores. Ego verò inquit, contra istos, si aduersum te se commouerint, inuehar, itaque cogentur animū nobis aduertere. Cyaxares ergo assumtis turmis equitum virorum fortium aliquot, inuehitur. Ibi Cyrus cernens erumpere alios, vnâ erumpit & ipse. & iam primus agmen ducebat citato cursu, sequebatur autem Cyaxares, neque quisquam remanere omnium. Postquam autem viderunt appropinquantes, eos prædatores, statim relictis rebus in fugam vertuntur. tū Cyri manus subire & eos excipere, & depræhensos cōcidere, in primis que Cyrus ipse. Quotquot verò declinato cursu euaserāt, eos à tergo insequi, neque dimittere, priusquam aliquos corripere. At Cyrus, vt canis generosus ille quidem sed inexercitatus, temerè in aprū infertur, sic & ipse ferebatur, hoc modò videns, vt feriret hostem, atque aliud prouidens nihil. Verūm hostes ubi cernunt affligi suos, promouent agmen, rati finem facturos insequendi, si cernerent aduenientis exercitus impetum. Cyrus autem nihil ideo remittere, sed in clamare auunculum, & persequi, & vehemente cum vociferatione premere hostes. Cyaxares quidem subsequi tum & ipse fortasse pudore patris, & alij quoque sequi, cū sint plerique alacriores ad vrgendum in fuga hostem, etiam minus ad congressus animosi. Sed Astyages ubi cernit suos persequi inconsideratiūs, hostes autem confertos & instructos occurrere, timēs filio & Cyro, ne temerè in instructos delati, detrimento afficerētur, ducit rectà copias in hostes. Qui cū viderent promoueri Medos, alij tragulis, alij sagittis contentis, ita resistebant, vt quā arbitrarentur Medos ad spacium quo telum emitti solet, repressuros impetum. Hic enim mos erat illorum, vt plerunque contra se inuecti, cū accessissent propius, eminus pu-

gnarent vsque ad vesperam. Sed cum cernerent suos fugientes referri ad sese, Cyri autem manum eadem persequi, & Astyagum cum equitatu intra iactum teli iam progressum, tum cedentes fugiunt & ipsi. Medi vero vniuersis copiis insequentes impetu facto corripere multos, & deprehensos ferire tam equos quam viros, & cadentes iugulare: neque ante restiterunt, quam ad pediatum Assyriorum peruentum esset. Ibi vero metuentes, ne infidiae subessent, represserunt impetum. Inde igitur iam reducere copias Astyages cepit, mirifice laetatus victoria illa equestri, & non habens quid de Cyro diceret, cum illo quidem autore rem gestam esse sciret, intelligeret autem futuri similem esse audaciam istam. Nam & tunc reuertentibus aliis, solus Cyrus nihil agere aliud quam circum eos, qui ceciderant in proelio, obire & contemplari. Atque cum abstractum inde adduxerunt ad Astyagum, quibus demandatum fuerat, cum ipse quidem ante se illos protruderet, cernens vultum aui ad conspectum sui redditum sauiorem. Atque haec quidem gererentur apud Medos, Cyrumque cum alij omnes in ore habebant, & sermonibus & carminibus celebrantes, tum Astyages, qui ante quoque magni illum fecisset, iam mirifice suspiciebat:

A. C. C A M B Y S E S pater Cyri magno ille quidem gaudio affici, cum haec cognouisset, sed audientiam viri munia illum obire, reuocauit Cyrum, ut instituta gentis suae absolueret. Ibi dixisse hunc ferunt, se proficisci velle, ne patrem offenderet, neque ciuitas sibi succenseret. Itaque Astyages aliter se facere non posse arbitratus, quam ut eum dimitteret, cum equos attribuit illi quos ipse elegerat, tum alia addidit varij & multiplicis apparatus, itaque nepotem dimisit, quod & amaret, & spem simul optimam foueret euasurum eum virum, qui & suis adiumento esse, & hostes affligere posset. Discedentem autem Cyrum deducebant vniuersi, pueri, & aequales, viri, senes, insidiantes equis, nec non Astyages ipse, neque reuersum quemquam omnium sine lacrimis accepimus. Ipsum etiam Cyrum
effuse

effuse flentem digressum fuisse narratur. Aiunt & multa dona æqualibus distribuisse ex iis quæ ab Astyage accepisset. Postremò Medicam etiam vestè quam gestaret, exuisse atque dedisse cuidam, declarantem maxima se illum benevolentia complecti. Fertur autem eos, qui aliquid acceperant, omnia ad Astyagem retulisse, qui eum collecta Cyro transmisisset, curasse eum reportari in Mediam, cum huiusmodi nuncio: Mi que, si reuerti me aliquando ad te cupis sine pudore, pàtere, vt cuique, quod à me accepit, retinere liceat. Quæ cum Astyages audiisset, mandatis illum Cyri fuisse obsecutum. Quòd si & amatoria narratio memotiæ mandanda est, ferunt Cyrú abeuntem cum & Medi discederent, dimisisse cognatos ita, vt oscularetur morè Persico, qui mos in illa adhuc gente seruetur. Quendam igitur tum ex Medis, corporis & animi bonis insignem, longo tempore captum admiratione pulchritudinis Cyri, cum cerneret osculari hunc cognatos, digressis omnibus remansisse solum, & ita accessisse ad Cyrum atque dixisse: Solúne, ô Cyre, ex numero cognatorum ego tibi ignotus sum? At Cyrum dixisse, An tu cognatus mihi es? Maximè, respondisse hunc. Ergo, dixisse Cyrum, oculos in me coniciebas. nam hoc te sapius facere animaduerti. Ita enim, inquit, Dij me ament, vt pudor obstiterit mihi. volenti sæpe accedere ad te. Quid opus, inquit Cyrus, fuit? cum esses cognatus mihi: & simul accessisse & osculatum Medum fuisse narrant: & quòd post osculum interrogauerit Medus, An apud Persas osculandi cognatos idem mos seruaretur: Cyrum autem respondisse, Maximè seruati illum, cum vel post tempus alter alterum videret, vel aliquòd proficiscens relinqueret. Quin tu me igitur, inquit Medus, denuo oscularis? nam proficiscor vt vides. Cyrum igitur aiunt repetito osculo dimisisse illum, & sic abiisse. Cum autem non multum itineris ab his confectum fuisset, rediisse Medum sudante equo; Cyrúmque conspicatum, interrogasse, nūquid vellet cuius fuisset oblitus? Minimè, dixisse illum, sed assum post tempus. Ita

profec̄to, respondiſſe Cyrum, perquã breue, mi cognate. Quo pacto breue? dixiſſe Medum. An neſcis Cyre, tẽpus etiam illud quo conuiueo oculis, longum mihi videri, quòd te talem non aſpiciam. Ibi Cyrum riſiſſe poſt priorẽs lacrimas accepimus, & iuſſiſſe illum bono eſſe animo ac diſcedere. nam ſe breui ipſis affuturum. tum igitur, inquit, apertis ſemper oculis intueri me poteris. Atque ita Cyrus reuerſus in Perſidẽ, annũ adhuc fertur inter pueros confeſſe. Ac primũ puerorum dictis inceſſebatur, vt qui didiciſſet à Medis ſuauem vitam degere, & ſic rediret ad ſuos: cũ autem cernerent communi victu libenter vti Cyrum, ſimiliter & potu, & ſi quãdo feriis epulum daretur, ipſum ſuas potiũs partes alteri attribuire, quã requirere aliquid ſentirent, ſimũque in aliis omnibus præſtare ſibi illum viderent: ibi mutata ſententia, Cyrum reuereri æquales cœperunt. **POST QVAM** autem huius diſciplinæ curſu confeſto, tranſiit ad ephebos, inter hos etiam præſtantiffimus habitus fuit, & exercendo quæ deberet, & tolerando quæ oporteret, & verecundia erga ſeniores, & magiſtratibus obcœdiẽdo. Procedente autem tempore moritur in Media Aſtyages, peruenitque imperium Medorum ad Cyaxarem Aſtyagis filium, auunculum Cyri. Cũ Rex Aſſyriorum ſubactis Syris omnibuſ; quæ natio neutiquam parua eſt, ſubiec̄to etiam rege Arabum imperio ſuo, habẽsque ſubiec̄tos iam Hyrcanios, & oppugnans Bactrios, exiſtimans facilẽ ſe omnibus vicinis gentibus potiturum eſſe, ſi Medorum vires debilitare potuiſſet: (hæc enim natio omnium vicinarum nationum potentiffima videbatur.) ita mittit nuncios cũ ad ſubiec̄tos poteſtati ſuæ vniuerſos, tum ad Crœſum regem Lydorum, & ad Cappadocũ regem, & vtroſque Phrygas, & Caras, & Paphlagones, & Indos, & Cilicas, admiscens aliis calumnias quoque de Medis & Perſis, quòd ſignificaret illis, eſſe gentium harum magnas vires, & eas coniunctas, & iam affinitatem inter ſe feciſſe, & conſpiraiſſe, ac periculum eſſe, niſi priũs ab aliquo anteuertente debilitatæ eſſent

sent, ne singulas ipsæ nationes inuaderent, atque subigerent. Atque illi quidem partim his sermonibus inducti, partim muneribus & pecunia, qua hic abundabat, perducti, societatem cum Assyrio iungunt. Cyaxares autem Astyagis filius postquam sensit has parari insidias, & istum apparatus aduersum se: cum ipse celeriter omnes suas copias contrahere, tum nuncios mittere ad Persas publicè, & ad regem eorum Cambysem, cum quo nupta esset soror ipsius, priuatim, nec non ad Cyrum, quem hoc agere atque conari volebat, vt præficeretur ipse militibus iis, quos ciues putassent esse mittendos. Nam Cyrus decem annis inter ephebos exactis, iam inter viros versabatur. Itaque recipientè Cyro, de sententia senatus tribuitur illi imperium exercitus in Mediam ducendi. Fecerunt autem ei potestatem, vt cooptare liceret ducentos ex iis, qui pari dignitate essent: his singulis permissum, vt adsciscerent sibi quaternos ordinis sui. hi mille fiunt, quorum vnicique permissum vt adscisceret sibi ex reliqua multitudine Persarum, denos cetratos, & denos funditores, & denos sagittatores. Ita confecti fuerunt sagittatorum decem milia, cetratorum decem milia, funditorum decem milia, quibus mille eximij illi accedebant. Tantæ copiarum Cyro attributæ fuerunt. Ipse autem imperator summus creatus, orsus fuit rem primùm diuinam facere, & litatis sacris, ita demum cooptauit illos ducentos. Qui cum & ipsi singuli quaternos illos ascuiissent, concione horum aduocata, hæc primùm tunc verba Cyrus apud eos fecit: Ego vos, amici, cooptaui approbatos non nunc quidem primùm, sed cernens à puero, studiosè ea, quæ in nostra ciuitate honesta censentur, elaborantes, abstinentesque ab iis, quæ turpia ducuntur. Quæ autem causasit, cur & ego non inuitus hoc munus susceperim, & vos aduocarim, volo vobis demonstrare. Ego enim satis perspexi maiores nostros nihilo minus fortes viros quàm nos fuisse, quippe qui non destiterint virtutis exercendo munera, vt omnium fert opinio, exequi. Quid autem acqui-

fuerint tales ipsi viri, vel publicè Persis, vel priuatim sibi boni, animaduertere nequeo. At enim nulla mihi virtus ab hominibus exerceri videtur, vt præstātes illa non abundēt commodis præ inertibus. Nam & ij, qui in præsentia à suauibus abstinent, non hoc agunt, nullam vnquam vt voluptatem capiant, sed ita se comparant, vt per hanc cōtinentiam multiplice deinde voluptate frui possint. Et qui student excellere vi & copia dicendi, non vt nullum bene dicendi finem faciant, hac arte exercentur, sed quòd sperent orationis bonitate in sententiam adductis suam plurimis, singularium commoditatum autores se futuros esse. Similiter & qui armis exercētur, non in hoc operantur, vt nūquam præliari desinant, sed arbitrantur si virtute bellica aliis præstent, opum, felicitatis, honorum copiam, cū sibi, tum ciuitati suæ conciliaturos se esse. Quòd si qui cū hęc elaborassent, negligentia quadam prius in senecta viribus destituti fuerunt, quàm fructum aliquem inde perciperēt, iis accidisse idem videtur, quod alicui cupido euadendi agricola peritus, si rectè seminibus sparsis & consitis stirpibus, vbi tempus aduenisset fructuum percipiendorum, in terram rursus fructus interceptos defluere sineret. Et, si quis pugil magno labore cōsecutus, vt spem victoriæ concipere posset, postea certamen non subiret, ne hic quidē crimine dementiae liberari iure posse mihi videtur. Nos verò caueamus, obsecro, ne huiusmodi nobis eueniant: ac potius si conscij nobis sumus, quòd à prima pueritia honestatis & laudis studia exercuerimus, tendamus contra hostes, quos mihi cōstat (qui vidi) rudes esse certaminum, si comparentur nobiscum. Nō enim satis boni præliatores ij sunt, qui cū scitè sagittas aut iacula emittant, quique equos scitè agitent, vbi labore opus fuerit, deficiunt: sed rudes iam hi sunt, ad labores perferendos. Neque, si qui re postulante vigiliis ferre nequeunt, sed & hi rudes sunt in somno vincendo. Neque ij, qui in his quidem contemnendi non sunt, non didicerunt, tamen, quo pacto vel erga socios vel erga hostes

stes sese gerere debeant, & hos enim maximæ disciplinæ ignaros esse constat. At vos ita nocturno tempore, vt alij diurno, vti scitis. Labores autem existimatis esse duces ad vitæ suauitatē. fame verò abutimini pro obsonio. Aquæ potum tam facilè fertis, quàm leones. Iam rem omnium pulcerrimam, & ad cultum ciuilem optimam, comparastis animis vestris: quòd laude magis, quàm vlla alia re rerum omnium, delectamini. Amatores enim laudis necesse est, cùm laborem quemvis suscipere, tum omne periculū adire. Hæc si aliter de vobis narro atque sentio, ipse me fallo. Quicquid enim horum à vobis non eueniet, huius detrimentum in me récidet. Mihi tamen hanc fidem facit & experientia mea, & vestra erga me beneuolentia, & aduersariorum dementia, vt existimem bonam hanc spem me non esse frustraturam. Nunc igitur animo bono & fidente moueamus nos, quandoquidem hoc iam sublatum est, ne videamur aliena iniuste appetere. Aduentant enim hostes ipsi vim & manus afferentes amicis nostris, à quibus accersitur auxilium nostrum. Quid igitur est, aut iustius quàm vim propulsare, aut honestius quàm subuenire amicis? Quin etiã non minimum momentum hoc confidentiæ nostræ accedere arbitror, quòd expeditionem paro hanc neutiquã neglecta re diuina. Cùm enim mecum plerunque versemini, nouistis me nõ modò magnas, sed & paruas quoque res à cultu diuino profectum aggredi consueuisse. Tandem ait: quid pluribus verbis opus est? Vos iam asciscite illos sibi quisque suos, & parati à rebus cæteris suscipite profectiõnem aduersus Medos. Ego autem conferam me ad patrem, vt ex illo cognoscam de hostibus, quales hi sint, & inde progressus vos instruam, pro mea virili, vt quàm præclarissime, Deo fauente, in certamen hoc descēdamus. Atque hæc quidem illi exequabantur: Cyrus autem reuersus domum, salutatis penatibus, & Ioue patrio aliisque diis, & votis nuncupatis, ita ad exercitum proficiscitur, eumque vnà & pater est profecutus. A C C V M domo exiissent, fulgura & to-

nitrua dextra illi oblata fuisse perhibentur. Quibus animaduersis, nihil præterea auspicii requirentes perrexerunt, quòd nihil aliud, quasi voce emissa, clamare maximi Dei signa arbitrarentur. Exeunte autè iter suū Cyro, hæc cum illo verba facere pater cœpit: Deduci te à Diis felicibus ac propitiis, mi fili, declaratur cùm sacris litatis, tum signis cælestibus. Neque hoc te fugit, nam ego *deducta* opera hanc te rationem edocui, ne aliis interpretibus ad consilia Deorum cognoscenda, tibi opus esset, ac potius ipse, vt auditis iis, quæ auribus, & conspectis, quæ oculis percipiuntur, intelligere posses, neque esses in potestate ariolorū. qui si fortè conētur decipere te falsò enarrantes significationes diuinas, aut si quando nō habeas apud te ariolos, ne sic tamen deficiaris scientia & vsu signorum diuinorum, sed de arte diuinationis cognosces ea, quæ subiiciunt Dij, iisque fretus esse poteris. Equidem, inquit Cyrus, pater non omittam curam obsequendi, pro mea virili, præceptis tuis, vt cōciliem mihi beneuolentiā Deorum quibus consultoribus vtar. Memini enim me audire aliquando ex te: eum meritò apud Deos non secus ac homines, plus perficere, qui non tum demum assentetur illis, cùm omni consilio & ope destituatur, sed qui tum maximè meminerit Deorum, cùm fortuna sit prosperrima. Atque amicorum similem respectum habendum esse censebas. Nunc tu igitur, inquit, mi nate, propter hanc curam, & libentius accedis ad Deos vt vota facias, & meliorem spem habes, te consecuturum quæ petieris, quòd nullo tempore hos à te neglectos fuisse, tibi conscius esse videaris. Sanè, inquit, ita affectus sum, mi pater, vt sperem me Diis carum esse. At tu inquit, mi nate, an illorū quoque meministi, de quibus aliquando inter nos cōuenit: nimirum quæcunque Dij largiuntur, ea rectius geri ab hominibus, qui discendo perceperint, quàm ab imperitis: itémque ab industriis facilius explicari, quàm à neglectoribus: nec nō tutius per attentionē degi, quàm incuriam: atque in his facientes officium quosque suum, ita nobis visum fuit

fuit bona à Diis petere oportere. Memini, inquit Cyrus, profectò hæc audire ex te, neque potuit mihi nõ probari oratio tua, cui scio & hoc adiecisse te: Quòd nefas esset petere à Diis victoriam equestris prælij, rei equestris imperitos: vel in certamine sagittarum, vt superiores sint huius artis peritis ij, qui arcum contendere nunquam didicerunt: vel, vt quis à se gubernatore nauem conseruari optet, qui gubernandi rationem nullam tenet: vel omiffa femente, bonas fruges sibi nasci: vel neglectis custodiis in bello, incolumitatẽ expetere. hæc esse enim omnia contra iura diuina. petentes autem quæ peti fas non sit, compotes voti fieri non debere, vt neque apud homines valeat iniquæ petitiones soleant. An verò, inquit, tu illorum, mi nate, oblitus es, quæ aliquando ego & tu argumentando conclusimus? Egregium & præclarum opus esse, si quis perficere studio suo possit, vt & ipse vir honestus & fortis cum dignitate euadat, & necessariorum copia vt cùm sibi tum familiæ suppetat. Iam, cùm hoc tanti fieri mereatur, suscipere curam principatus, vt aliis hominibus concilietur copia rerum necessariarum, vtque ij sint cuncti quos esse par fuerit, hoc iam singulari admiratione dignũ esse nobis videbatur. Memini, inquit, profectò pater hæc te disserere: idẽmque & mihi visum fuit, Rem esse maximi momenti cum laude imperium obtinere. Et nunc quoque hæc ita se habere iudico, cùm ipsius imperij naturã considero. Vbi verò alios intueor, qui cum imperio sunt, & quo pacto ij sese gerãt, & cum qualibus his aduersariis dimicaturi simus, cogito: per mihi turpe videtur istiusmodi ipsos pertimescere, neque velle in certamen aduersus eos progredi. Quos ego, inquit, comperio, ordiens ab amicis his nostris, ita existimare: quòd inter principem ac cæteros, quibus ille præest, hoc esse discrimen oporteat, vt ille epulis lautioribus fruatur, & plus auri intus recõditũ habeat, & prolixiorẽ capiat somnum, & omnibus in rebus minus laboris quàm cæteri perferat. Mea autem sententia hæc est, Non oportere principem præstare cæteris be-

ne victitando, sed his prospiciendi & labores tolerandi studio. At enim, mi fili, inquit, sunt quædam in quibus non est certamen cum hominibus, sed cum rebus ac negotiis ipsis, contra quæ superiorem aliquem existere, difficile est. Ne longè abeamus, non te fugit, inquit, si exercitus necessariis ad victum rebus destituatur, imperium tum diu durare non posse. Atqui Cyaxares, mi pater, inquit, omnibus qui hinc ad se venerint, suppeditaturum illa se esse pollicetur, quotcunque fuerint. His tu igitur, inquit, fili fretus opibus à Cyaxare, nunc iter hoc ingrederis? His ipsis, inquit Cyrus. Scis igitur, quantæ facultates, inquit, sint illius? Minimè, inquit Cyrus, ego quidem scio profectó. Et his tamen ignotis fretus es? neque intelligis pecunia tibi ingente opus fore, & nunc adeo necessitatem magnorum sumtuum imponi? Intelligo, inquit Cyrus. Si igitur impensis sumtuum ille fortè deficiatur, aut te fortè sciens fallat, quid de tuo exercitu futurum esse putas? Minimè rectè, inquit. Tu tamè, mi pater, si quæ à me copia parari possit, perspicias, dum adhuc in pacata regione sumus, quæso explica. Rogas, inquit fili, possitne à te copia aliqua parari? An ab vlllo alio poterit? nisi eo penes quem vires sunt exercitus. Tu autem hinc ducis eas copias pedestres, quas cum nullo quantúvis numero maioribus commutares. Auxilia autè habebis equitatus Medici, qui præstantissimus esse creditur. Quænam igitur vicina gens gentium omnium non obsequi vobis volet, siue ut gratificetur, seu quia erit in metu ne quid ipsi accidat mali? Quæ quidem communiter vnà cum Cyaxare dispicienda tibi sunt, ne quando necessaria vos deficiant. Quin etiam vsus exercitationisque gratia, fructus accedentis copiæ aliquã explicari studebis. Hoc verò mihi omniù maximè te meminisse volo, In copia paranda necessariorum non expectandum esse dum vsus egeat, sed cum rebus omnibus maximè abundabis, tum ante inopiam, accessionem aliquam reperies. Nam aliquè vbi rogaueris, ab eo citiùs impetrabis, si non yrgeri necessitate videaris:

& apud

& apud milites tuos magis culpa vacabis: & ex hoc ab aliis pudor tibi magis continget: & si quos exercitu tuo lædere aut iuuare volueris, magis in opulentia tibi milites morem gerent, & tum scito te verba dignissima fide esse facturum, cum re declarare licebit, quem velis, lædere & iuuare te posse. Sanè tu mi pater, inquit, rectè hæc commemorare mihi videris omnia, cum præsertim nemo militum, quicquid modò acceperint, gratiam hoc nomine mihi habiturus sit, norunt enim qua conditione ad belli societatem à Cyaxare adhibeantur. Præter illa autem, quæ sunt promissa, si quid quis acceperit, eo & honore se affici existimabit, & largienti singularem gratiam habiturum esse vnumquemque verisimile sit. Iam si cui copiarum sint eæ quibus hoc consequi possit, vt & beneficia in amicos conferat, & ex his fructum aliquem vicissim percipiat, vtque de inimicis, si quos habeat, emolumenta comparet, & negligat tamen acquirendi occasionem: an tu existimas hoc minus turpe esse, quàm si quis fundum possideat, neque seruis careat qui illum colant, & patiat tamen solum incultum fieri sterile? Ita tu, inquit, de me sentias, quòd neutiquam negligens futurus sim in vtendo exercitu ad necessaria quærenda & conficienda, tam in sociorum quàm hostium regione. Quid verò an illorum quoque meministi fili, quæ aliquando visa nobis fuerunt negligenda non esse? Quidni meminerim? inquit. Cum ego veni ad te petitum argentum, quod persoluerem professori doctrinæ imperatoris, tuncque numerabas quidem illud, sed interrogabas me ad hunc ferme modum: Nunquid ille, mi fili, inter officia imperatoria etiam administrationis domesticæ meminit? cui tu mercedem iam affers. non enim militibus certè minus opus est victu cotidiano, quàm familiæ domesticæ. Ego verò postquam id, quod res erat, narraui tibi, nullam prorsus de hac eum mentionem fecisse, rursus interrogabas, anne aliquid de bona valetudine, & integris viribus dixisset, cum non minus hæc cura ad imperatorem pertineret, quàm imperij

Vbi verò & hoc negassem, rursùm interrogabas: nunquid me docuisset procurare, vt socij essent omnibus in partibus rei militaris quàm præstantissimi? Cùm negassem & hoc, interrogabas denuo, docuissetne ille quo pacto fieri posset, vt alacris & promptus animus militi à me conferretur? commemorans quantum inter hoc & abiectionem animi omnibus in rebus interesset. Abnuente verò me hoc quoque, pergebas exquirere: Nunquid mentionem fecisset in sua doctrina earum artium, quibus artibus maximè perfici posset, vt obsequètem aliquis exercitum haberet? Quod & ipsum cùm appareret silentio præteritum fuisse, tandem interrogasti me: Quidnam igitur docuisset me professus imperatoriã doctrinam? Ibi ego respondi, instructionem & ordines. At tu ridens percurristi expositione tua singula, quòd nihil prodesset in exercitu instructio & ordo, absque rebus ad victum necessariis. quid verò absque bona valetudine? quid absque earum artium scientia, quæ ad vsum rei bellicæ inuentæ sunt? quid absque obœdientia? Cùmque mihi ostendisses partem vnam esse exiguam artis imperatoriæ, instructionē & ordines, & quærente me, possēsne tu satis hæc me docere, iussisti me abire, & accedere ad eos, qui pro eximiis imperatoribus haberentur, & cum eis disputare his de rebus, ac quærere quo pacto quæque fieri solerēt. Ita ego contuli me ad eos, quos audiebam cognitione harum rerum esse præstantissimos. Ac quod attinet ad victum, persuasum mihi est satis id futurum esse quod præbebit Cyaxares. De bona valetudine autem, id studui perficere, quod fieri audio atque video tam à ciuitatibus, quibus illa curæ est, vt medicos conducant, quàm ab imperatoribus, qui & ipsi militum causâ medicos educunt. Postquã igitur ad istum præstantiæ gradum ascendi, statim in hanc curam attendi animum meum, ac confido, mi pater, me iam habere multos & bonos medicos. At enim, mi fili, inquit, quemadmodum quidam sunt qui laceras vestes sarciant, ita isti quos narras medici, in morbum aliquem lapsos sanant:

tibi

tibi verò præclarior quædam cura esse debet valetudinis bonæ. nimirum, ne exercitus vllum omnino in morbum incidat. Quam verò ego inquit mi pater ad hoc assequendū viā ingrediar? Si igitur vno in loco diutius māsurus sis, primūm minimè negligentem esse locandis castris, videreque oportet vt salubri in regione illa fiant. In quo, si attendere volueris, non poteris falli. nam & homines non desinunt loqui de locis morbiferis ac salubribus, & testes affunt amborum euidentes, cūm corpora tota, tum color illorum. Verūm non satis fuerit regiones considerasse, sed & hoc recordandum tibi est, quomodo tu conseruari bonam valetudinē studeas. Tum Cyrus, primum igitur, inquit, hoc scilicet caueo, ne nimio cibo & potu replear; nam grauare hoc solet: deinde quæ sunt ingestā, digero. ita enim & conseruari valetudo bona rectiūs, & vires augeri videntur. Eodē igitur modo, inquit, mi fili, & de aliis te curā adhibere oportet. Censēn' verò, inquit, mi pater, ocium militibus ad corpora exercenda posse suppetere? Immo, inquit ille, necesse esse aio, vt exerceātur. oportet enim certē exercitum, qui facturum sit officium suum, non cessare, vt aut hostibus aliquid mali, aut boni sibi conciliet: cūm sit, mi fili, graue vnum hominem ociosum, multò autem grauius familiam totam, longè grauius verò exercitum alere ociosum. Magna enim multitudo in exercitu est eorum, qui pascuntur, & copiæ ad parandum exiguæ, & in vsu parsimonia adhibetur prorsus nulla. Quapropter exercitum ociosum esse nullo modo conuenit. Hoc mihi, mi pater, videris dicere: vt agricolam ociosum ac inertem, ita & imperatorem ociosum ac inertem nulli vsui esse. At imperatorem me strenuum polliceor ego, inquit, nō aduersante saltē Deo, hoc perfecturum vt & necessaria exercitui prorsus suppetant, & corpora militum quā rectissimè sese habeant. Vt verò exerceantur in omnibus rei militaris partibus, si quis, inquit, mi pater, ludos quosdam indicat & præmia proponat quibusque, idne videtur esse consecuturus, vt vndique excultos

suos habeat & præparatos, si quando usus postulet? Rectissimè narras, mi fili, inquit. id enim si feceris, planè scito, spectaculum ordinum militariũ simile futurum cœtuum Musicorum, in perpetuo studio & cura officij sui. Iam ad reddendos animos militum promptos atque alacres, inquit Cyrus, nihil esse potentius existimo, quàm si quis spè bonam in hominum animis excitare sciat. Hoc quidem, mi fili, inquit, eiusmodi est, ac si quis in venatione canes inclamet semper ea voce, qua, cùm feram illi cernūt. Primum enim scimus hos studiosè insequi: sed si crebrò fallantur, tandem obsequi negligunt etiam cùm seriò, visa bestia, inclamantur. Eodem modo & qui spem faciunt aliis, si in expectatione commodorum coniectos sæpe frustrantur, fide tandem carent, cùm vera quoque spes ostenditur. Itaque cauere oportet, mi fili, ne quid commemoretur, quod non sit exploratum. Atque poterunt alij, huiusmodi interdum commemoratione efficere aliquid, sed ipse imperator, in sua ad maxima pericula incitatione fidem præstare debet. Quin tu mediusfidius, inquit Cyrus, rectè mones, & hoc mihi inprimis arridet. Ut autem pareant mihi milites, perficere me posse existimo, neque imperitus huius rationis mihi esse videor. Nam & tu à prima pueritia instituisti me ad parendum, coëgisti que tibi obtèperare. Deinde tradidisti præceptoribus, qui ipsi idem egerunt. Postea cùm ad ephebos transiissemus, vehemens hæc eadem magistri quoque cura fuit. Quin etiam leges pleræque hæc duo præcipere videntur, Cum imperio, & sub imperio esse. Itaque cùm cogito de his, animaduertere mihi videor, quid sit, quo maximè omnes ad obœdiendum impellantur, neimpe quòd obœdientes laudentur & honore afficiantur, contumaces verò & ignominia notentur, & supplicia sustineant. Hæc quidem, mi fili, inquit, via est ad obsequiũ necessitatis: sed ad id, quod longè melius est, ut tibi sua sponte & libenter obsequantur, alia est magis compendiaria via. Nam quemcunque homines arbitrantur meliùs intelligere ea, quibus

bus cōtinentur commoda ipsorum, huic perquam libenter parēt. Hoc ita se habere cūm de aliis multis licet perspicere, tum de ægrotantibus. nam hi cupidè accersunt eos, qui præcipiant quod fieri oporteat. In mari quoque nauigantes perquam cupidè gubernatoribus parent. Iter etiam si cui notius esse putamus, ab eo neutiquam discedere volumus. Si qui verò existimant suam obcēdientiam detrimento sibi futuram esse, neque iam animaduersionibus se cogi, neque largitionibus excitari patiuntur. neque enim largitiones cum damno sua sponte quisquam admittit. Hoc dicis tu, mi pater, inquit, nihil ad hoc, vt obsequentes aliquis habeat suos, efficacius esse, quàm illis vt prudētior esse videatur. Id, inquit, est quod dico. Quo verò pacto, mi pater, hanc opinionem de se quāprimū aliquis exhibere possit? Nulla est, inquit ille, mi fili, magis compendiaria via, quàm si hoc assequaris, vt in quibus rebus prudens videri voluēris, in iis prudens esse reperiaris. intelliges autem me vera dicere, si in hoc genere singula considerare voluēris. Nam si bonus agricola non sis, & haberi tamen velis, aut eques, aut medicus, aut tibicen bonus, aut aliud omnium, cogita quàm multa te moliri oporteat huius opinionis gratia. Quòd si maximè perfecteris, vt multi corrogati prædicent laudes tuas, quò nominis celebritatem adipiscaris, sique præclari ad hoc sint apparatus penes te: tamen & tum fallax eris, & paulo post redargueris etiam, vbi periculum faciendum fuerit, & insuper vanus videberis. Quo pacto autem reuera prudentiam eius, quod in posterum conducat, aliquis consequi possit? nimirum hoc mi fili, inquit, si quorum cognitio parabilis studio est, ea aliquis perdiscat, vt tu ordinum rationem didicisti: quorum autem disciplina apud homines extat nulla, & quæ humana prouidentia prospici nequeunt, ea si diuinatione à Diis exquisiueris, ita prudentior aliis esse poteris. Iam si constitutum sit animo tuo, quam actionem suscipere expediat, curam adhibere in agendo te oportet. nam prudentior est, in omnibus iis,

quibus opus est, diligens negligente. Ut autem à potestati suæ subiectis aliquis diligatur, id quod maximum esse duco, ad hoc ea nimirum via patet, quæ ad consequendam caritatis ab amicis cupiditatem. Oportere enim existimo beneficiorum collationem esse manifestam. Verum hoc mi fili, inquit, difficile est, beneficia semper conferre in eos posse, in quos fortè velis. Ad hæc igitur magis annitendum est, ut secundis illorum rebus gaudere, & aduersis vnà cum ipsis dolere videaris, & præ te ferre cupiditatem subleuandi inopiam eorum, & sollicitudinem, ne incurrant atque errent, & studium prouidendi ne hoc fiat. In rerum autè ipsarum actionibus hoc præstandum est, ut solè præ cæteris imperator ferre conspiciatur æstate, hieme verò frigus: itémque, vbi defatigatione opus, labores. Omnia enim hæc momenti aliquid afferunt ad beneuolentiam, qua te subiecti potestati tuæ cõplectantur. Etiam hoc, inquit, mi pater dicis? oportere imperatorè ad omnia patientiorem esse cæteris, quibus ille præest. Hoc equidem dico, inquit. Verum tu bono animo sis mi fili: nam scire debes, quòd eadem corpora iidem labores non afficiant pariter, in imperatore & milite gregario: sed in imperatore non nihil alleuat labores honor, & quòd scit, omnia quæ gerantur à se, esse in conspectu. Iam verò mi pater, inquit, si necessaria ad victū habeat milites, & bona sint valetudine, & sustinere labores possint, instructi etiã artibus rei militaris ardeant studio virtutis bellicæ, libentiùsque pareant quàm refragentur: nõnne, qui tum decernere quamprimùm cum hostibus voluerit, is frugi tibi esse videatur? Quid ni, inquit, si quidem commodi plus est adepturus: sin aliter, quòd pluris ego me ipsum fecero, & præstantiores esse putauero subiectos imperio meo, eò maiore cautione utar. quemadmodum & alia, quæ videntur esse preciosissima, ea ut maximè in tuto sint, operam damus. Ut autem, mi pater, plus aliquis adipiscatur commodi quàm hostes, qua potissimùm ratione effecerit? Hanc iam mediusfidius, inquit, mi fili, rem neutiquam leuam

leuem aut simplicem interrogas. Scire enim debes eum qui hoc perfecturus sit, & insidiatorem, & veteratorem, & fraudulentum, & fallacem, & furem, & raptorē, & vsquequaque hostilium commodorum interceptorē esse oportere. Ibi Cyrus cum risu, Dij boni, inquit, quem tu me pater virum fieri oportere narras? Eum, inquit, mi fili, qui iustissimus sit atque optimus. Cur igitur, inquit, pueros & ephebos cōtraria his docuistis? Ita, inquit, & nūc mediufidius docemus, sed erga amicos & ciues. nam ad affligēdos hostes, annon meministi quantum malitiæ didiceris? Nō, inquit, quod ego sciam, mi pater. Qua de causā igitur, inquit, didicistis de arcibus sagittas emittere, & iacula conicere? qua item de causā capere agrestes. fues retibus & foueis, ceruos itē pedicis atque plagis? Quare etiā non æquo Marte cum leonibus & vrsis & pardis congregimini, sed occupare præriperēque studetis fortunam certaminis, vt superiores esse possitis? An non intelligis has esse malitias quasdam, & fallacias & fraudes & præripiendi studia? Sunt enim, inquit Cyrus, profectò, sed aduersus bestias: at si cui homini viderer saltem imponere velle, memini ob hoc ipsum vapulare. Non enim, vt opinor, inquit, sagittas aut iacula in homines emittere vos sinebamus, sed petere docebamus signum propositum, vt in præsentia quidem nequaquam erga vestros improbi essetis, sed belli tempore vt in homines quoque tela dirigere sciretis. Similiter ad fallacias & præripiendum, non ad homines sed bestias vos instituimus, vt ne in hoc quidem genere læderetis vestros, belli autem tempore, vt horum etiam non essetis imperiti. At enim, inquit, mi pater, si prodesset ambo hæc nouisse, tam bene quam malè facere hominibus, etiam in hominibus hanc doctrinam exerceri oportebat. Sanè fertur, mi fili, inquit, ætate maiorum nostrorum, fuisse quōdam præceptor puerorū, qui scilicet doceret pueros iustitiā, vt tū censes, non mētiri & mētiri; & non fallere & fallere, & non calūniari & calūniari; & non præripere & præripere. distinxerat autem hæc, qua-

tenus erga amicos & hostes designari deberent. Ac progressus ulterius docuerat hoc quoque, quò circumuenire amicos etiam rectum esset, cum bono quidem eorum, & furto res amicorum subtrahere, cum bono quidem illorum. Hæc cum præciperet, necesse erat inter sese pueros, ut facere sciret exerceri, quemadmodum aiunt Græcos docere circumuentiones in luctâdo, & exercere pueros inter ipsos, ut hoc facere possint. Tum quidam ita ingeniosi, tam ad scitè fallendum quàm ad scitè præripiendum, fortasse etiam non inertes illi ad lucra & quæstus, non abstinebant iam ne à suis quidem, quò minùs præripere his aliquid conarentur. Ex eo igitur scitum factum fuit, quo adhuc utimur: Simpliciter docèdos esse pueros, sicut feruos docemus, erga nos veraces esse, & non fallere, neque furari, neque præripere. Quòd si quid aduersus hæc committerent, ut castigarentur, ut hoc more instituti ciues humaniores existerent. Postquam autem peruenissent ad eam ætatem, quæ nunc tua est, tum & belli iura tradi illis tutò posse crediderunt. non enim iam metus est, ne efferamini ad ferociam inter vos, educati vnà ad verecundiam & pudorem. Quemadmodum & de liberis procreandis, non facimus verba apud valde adhuc iuuenes, ne ad vehementem in illis cupiditatem, accedente leuitate, immodicè libidini indulgeant. Iam tu igitur mediusfidius, inquit, mi pater, prolixè fac instruas me, si quid potes, nimirum huius in præripiendo rationis imperitum, ut hostes nostros isto in genere vincere possim. Primùm igitur, inquit, hoc perface, ut tuis copiis quantæcunque hæ fuerint, instructis, hostiles dissipatas, & tuis armatis illas inermes depræhendas, similiter & vigilantibus sopitas, & ita excipias, ut habeas in conspectu ipsas, cum tu eis minimè appareas, & delatas in loca inuia, cum tu opportuna teneas. Quo verò pacto, mi pater, inquit, in tâta negligentia hostes ab aliquo depræhendi posse sperandum? Hoc, inquit, mi fili, quòd eadem & vobis & hostibus vsu venire necesse est. oportet enim ambos cibum parare atque capere,

pere, ambos itē dormire: & accidere, vt manē fermē vniuersos proficisci oporteat, & itineribus, qualiacūque fuerint, vti. quæ omnia te cōsiderantem, quibus vos animaduertentis maximē defici; in iis cautionē præcipuam adhibere: vbi autem senseris hostes facilimē opprimi posse, ibi maximē illos aggredi oportebit. An verò, inquit Cyrus, in his tantum est præripiendi locus, an etiam in aliis? In aliis quidem magis, inquit, mi fili. nam in his plerūque perquā cauti esse solēt, cū sciant hoc rem ipsam postulare. Qui autem hostes fallūt, ij possunt efficere, vt in fiducia illi incauti opprimantur, & eosdem ad insequendum se prouocantes, turbare ordines ipsorum: nec non fuga subeuntes, in difficultatis plena loca abducere, & ibi aggredi. Conuenit autem, mi fili, inquit, industriū esse in his omnibus, non iis tantum quæ didiceris, vt solis vtaris, sed vt artifex quoque ipse sis hostilium machinationū. Quemadmodum & Musici non iis tantum quæ didicerunt, vti, sed alia quoque carmina componere student. Atque apud Musicos quidem imprimis noua & florida speciosa sunt, sed & in re militari ac multò quidē magis, speciosæ sunt nouæ machinationes. hæ enim magis etiam ad circumueniendos hostes aptæ sunt. Quòd si, mi fili, nihil tu aliud transferas in homines, quàm illas machinas, quas ad paruula admodum quoque animalia excogitauisti, annon quàm longissimē in hoc præripiendi commoda hostium studio, progressurus esse videaris? tu enim ad aues etiam hieme acerrima cū surrexisses, de nocte egrediebaris: & antequam illæ se commouerant, iam retia parata, & solum versum non versò assimilatū erat, & aues quædam affuefactæ, vti tibi illæ quidem vtiliter inseruirent, sui autem generis aues fallerent. At tu ex insidiis cernebas quidem illas, sed ab eis non cōspiciebaris, dabásque operam vt studiosè anteuerteres fugam volucrum. Iam quòd lepores pascantur in caliginosis locis & lucem vitent, canes autem solebas, qui odoratu illos vestigare scirent: quia verò reperti celeriter aufugerent, alios canes habebas in-

stitutos ad hoc, vt euestigiò eos insequerentur & caperēt. quòd si ita quoque euaderent, explorabas vias ipsorum, & loca in quæ fuga se recipere lépores consueuissent, ibique visum effugiētes plagas tendebas, quibus illi in fuga concitata sese vltro implicarent. ac vti ne sic quidē elaberentur, collocabas certos homines qui obseruarent quid accideret, & de proximo celeriter accederent. & tu quoque à tergo clamore non lento hos exterrebas, vt ita improuidē procurrentes caperentur. contra hos autē collocatos, docebas cum silētio insidiari eis, & id agebas, vt illi essent in occulto. Quæ, vt aiebam, si aduersus homines quoque moliri voluēris, haud scio an reliquum hostem habiturus sis neminem. Quòd si quando manifesto Marte, in aperto campo proelij committēdi, armatis vtrisque necessitas obuenerit: tunc, mi fili, illæ iam pridem præparata præripiendi rationes multum valent. Eas esse aio, vt corpora militum præclarè exercitata, aciésque animorū egregiè acuta, & sciētia militaris meditata sit. Neque hoc ignorandum, quoscunque imperio tuo parère voluēris, eos omnes, vt tua cōsilia pro ipsis excubent, postulatueros esse. Quare caue imprudenter te geras vllò tempore: sed noctu prospice, quid interdium facturi tuæ potestati subiecti, interdium verò, quæ præclarissima noctis fortuna futura esse videatur. De instruenda verò acie ad prælium, & ducendo exercitu nocte & diē, tam angustis quàm latis, arduisque & planis viis, qua ratione castra metanda, custodiæque tam nocturnæ quàm diurnæ locandæ: quo modo hostes adoriendi sint, quo pacto ab his te recipias: item vt præter hostilem urbem traducas exercitum, vt ad munitionē adducas, aut inde abducas: vt saltus & fluuios trans-eas, ne equitatus hostium, neu leuis armatura tibi noceat: itémque si promotis cornibus ducēti agmē hostes se fortè ostendant, quomodo acies in illos conuertenda: aut si phalanx ducatur, & hostes aliunde quàm à fronte se inferant, quo rursus pacto obuiam his eundum sit: præterea, vt exploratas hostium rationes maximè habere possis,

tua

rua autem cōsilia atque actiones illi, minimè perspiciant: hæc omnia, quid tibi, inquit, ego nūc exponam? cum, quæ ego quidem teneo, ea ex me sæpius audieris, & omnes qui gnari huiusmodi rei putabantur, studiosè sectatus sis. Itaque, ut opinor, his iā te, cum res postulabit, ita uti oportebit, quemadmodum ipse statueris conducere. Nunc verò, mi fili, inquit, & hæc, quæ sunt maxima, cognosce: Non litatis sacris, & contra auspicia, caue cum exercitu vnquam periclitatus sis: atque cogita, homines quidem de coniecturis suis consilia capere rerum agenda, sed qui euentus felices futuri sint, scire neminem. Id verum esse ex iis, quæ accidere solent, poteris intelligere. Multi enim iam, qui in eximia sapientia opinione essent, suis ciuitatibus autores fuerunt belli suscipiendi, aduersus eos à quibus illi commoti funditus euerfi sunt. Multi etiā multos euexerunt publicè ac priuatim, à quibus euectis ingentibus ipsi malis fuerunt affecti. Multi quoque cum, quibus amicis atque benevolentibus uti liceret, eos seruiliter subiectos sibi mallet, ab his ipsis oppressi supplicium eis dederunt. Multi item non parte aliqua vitæ suavis contenti, sed capti omnium potiundi cupiditate, hoc pacto etiam ea quæ consecuti fuerant, amiserunt. Multi illud omnium votis expeditum aurum acquisuerunt, & propter ipsum interierunt. Itaque sapientia humana, nihilo certius id, quod est optimum, deligere nouit, quam si quis hoc agat, quod fors obtulerit: at Dij, qui sunt æterni, norunt, mi fili, omnia & præterita & præsentia, & ex his singulis euentura: cumque consuluntur ab hominibus, significant iis, quibus propitij sunt, quid fieri oporteat, & quid non oporteat. Neque mirandum est, si non demonstrent sententiam suam vniuersis. non enim necessitas illis imponitur ad eos quòque respiciendi, ad quos respicere nolunt.



XENOPHONTIS DE CYRI DISCIPLINA

LIBER SECVNDVS.

IN PERSIA. PERIPLVS. * * * * *

INTER hos sermones perueniunt ad fines regionis Persicæ. Vbi conspecta aquila à dextro latere duce itineris, illi adoratis Diis atque heroibus, sub quorum numine esset solùm Persicum, vt propitij atque benigni deductores esse vellent, ita fines trāsierunt. Quumque transiissent, rursum adorarunt Deos, sub quorum numine esset Medicum solū, vt propitij atq; benigni receptores esse vellent. Atque his peractis, complexi sese mutuo. vt par erat, discesserunt à sese, pater quidem in Persas reuertens, Cyrus autem pergens ad Medos & Cyaxarem. Cūque Cyrus ad Medos & Cyaxarem peruenisset, primum quidem, vt par erat, mutuo sese complexi fuerunt, postea quærit de Cyro Cyaxares, quātas copias adducat. Ille verò viginti milia, inquit, sunt, quot & antè stipendiarij aduenire ad vos consueuerūt. assunt tamen & alij nunquam antea egressi domo pari inter se dignitate. Quam multi, inquit Cyaxares. Non delectabit te numerus auditus, inquit Cyrus. verum hoc cogitabis, istos qui Cōpares vocantur, paucos numero, alios perfacilè Persas, qui multi sunt, regere imperio suo. Sed opusne his futurum est, an tu frustra pertimuiisti, neque hostes aduentant? Aduētant, inquit ille, profecto, & cum magnis quidem copiis. Vnde hoc

hoc exploratum? Quia enim, inquit, multi adueniētes in-
didem, alius quidem aliter, sed eadem afferunt omnes,
Certamen igitur cum illis incundum est, inquit? Necessa-
riò quidem. Quin tu igitur, inquit Cyrus, non etiam hoc
expedis, si nosti, quantæ copię ab aduersariis adducantur:
& cõtrà quãtæ nostræ sint, vt cognitis yrifque ita delibe-
rationem secundũ hæc de bello quàm rectissimè gerẽdo,
instituiamus. Audi igitur, inquit Cyaxares, Primũ Croesus
Lydus adducere nunciatur decem milia equitũ, cetrato-
rũ verò & sagittariorũ supra milia quãdraginta. Deinde
Artacamam, qui cum imperio obtinet Phrygiã magnam,
nunciant adducere equitum .M. octo, hastatos autẽm &
cetratos non pauciores quadragies mille. Aribæum verò
regem Cappadociæ, ad v. i. milia equitũ, sagittarios autẽm
& cetratos nõ pauciores tricies mille. Sed Arabium Ma-
ragdum ad decem milia equitum, & curras circitè cen-
tum, funditorum autẽm turbam ingentẽ. Iam Græcos
incolas Asiæ, sequi & ipsos, nondum certè cõstat. Verũm
Gabæus tamen, vt fertur, eos qui Hellepontiacam Phry-
giam tenent, coniungit, & habere dicitur in cãpis Caystri
sex milia equitum, cetratorum .M. decem. Sed Caras &
Cilicas & Paphlagonas accersitos illos quidem, sequi ne-
gant. Iam Assyrius ipse, qui Babylona & reliquã Assyriam
tenet, conficiet, vt opinor, non pauciores equites, quàm
vicies mille, currus autẽm non plures ducentis, sed pedi-
tes, vt opinor, quàm plurimos, quod facere cõsuevit, quo-
ties nos aggressus est. Hoc inquit, narras, habere hostes
ad sexaginta milia equitum, cetratorum & sagittariorum
(supra ducenta milia.) Agẽ iam quantas dicis esse copias
tui exercitus? Sunt, inquit, equites Medorum plures qui-
dem quàm decies mille, cetrati autẽm & sagittarij nostrã-
tes confici fortè poterunt ad sexagies mille. Auxilia fini-
timorum autẽm Armeniorum adierunt equitum quatuor
milia, peditũ viginti milia. Narras, inquit Cyrus, nostrum
equitatum non prorsus æquare quartam partem equita-
tus hostilis: pedites autẽm dimidio esse pauciores. At tu,

inquit Cyaxares, an non paucos esse censes Persas, quos adducere te ais? Vtrum sanè, inquit Cyrus, pluribus opus sit an non, mox videbimus. nunc hoc mihi narra, quo genere pugnae singuli uti soleant. Propemodum, inquit Cyaxares, eodem vniuersi. nam & illorù & noster exercitus, sagittariis & iaculatoribus constat. Necesse igitur est, inquit Cyrus, prælium committere eminus, cum talibus nimium armis. Ita est, inquit Cyaxares. Fit ergo, ut in hoc genere victoria sit penes maiores copias. multò enim citius vulneribus confici poterunt pauciores à pluribus, quàm plures à paucioribus. Cum igitur, inquit, ó Cyre, ad hunc modum se res habeat, quid melius reperiri possit, quàm ut nuncij mittantur ad Persas, qui simul doceant, si quid acciderit Medis, malù iam ipsum grassari in Persas, simul petant maiores copias huc mitti. At tu, inquit Cyrus, hoc scire debes, ut maximè vniuersi adueniant, quòd nunquam tamen multitudine superare possimus hostes. Quid igitur aliud præterea tui boni inuenis? Ego, inquit Cyrus, si possem, quamprimum curarem fabricanda arma omnibus Persis qui assunt, iis armis similia, cum quibus adueniunt illi, quos appellamus apud nos Comparès. ea sunt lorica circum pectus, parma in sinistra manu, gladius aut sagaris in dextra. Quae si parata sint, id perficietur, ut nobis quidem tutissimum sit comminus cum aduersariis congredi, ipsis autem resistere minus expediat, ac fugere præster. Collocamus autem nos, inquit, contra eos qui restiterint: qui verò illorù in fugam versi fuerint, eos vobis & equis vestris attribuimus, ne ipsis vacet vel fugere vel conuerti. Hæc locuto Cyro, placuit Cyaxari consilium, neque amplius de accersendis pluribus mentionem fecit, & arma indicata parati iussit. Ac simul iam factæ illa perfecta, simul Persarum comparès præsto erant cum exercitu Persico. Ibi Cyrum coactis illis, verba ad hunc modum fecisse perhibetur, Ego vos, amici, & armis & animis ita instructos esse video, ut par est eos, qui cum hostibus manus conferturi sint; Persas verò, qui

qui vos sequuntur, animaduerto tali armorum genere præditos, vt non nisi ex loci interuallo longissimo præliari possint:& ideo vereor, ne vos pauci consistentes, & soli absque prælij focis, configētes cum multis numero hostibus, damno aliquo afficiamini. Nunc itaque, inquit, adducitis vos quidem corpora virorum neutiquam cōtemnenda:& arma iam his suppeditabuntur familia nostrorū. Hoc restat igitur, vt & animi illorum exacuantur, idque iam nostrum opus erit. Nam ductoris& principis est, præstare, non modò ipse vt vir fortis sit, sed iis quoque quibus præest, vt cura ipsius, omni virtutis laude excellent. Quæ cum dixisset, gauisi omnes fuerunt, in persuasione se iam pluribus adiunctis certamen inituros esse. Vnus autē ipsorum etiam hoc dixit: Fortasse mirū videbitur, si suadeam Cyro, pro nobis verba facienda esse, cum distribuentur arma iis, qui in præliis iam socij nostri futuri sunt. Sed ita, inquit, statuo orationem eorum penes quos maximè est bene aut malè facere aliis, in primis penetrare in animos audientium. Et tales si muneribus aliquos afficiant, quamvis hæc viliora sint iis, quæ paris conditionis alij donant, pluris tamen illa accipientes æstimant. Ac nunc si Persas, inquit, Cyrus sua oratione cōfirmare velit, multo hoc illis gratius, quàm si nos faciamus, futurū est. Atque relati inter cōpares certius hoc beneficium esse ducēt, & à regis filio, & ab imperatore, quàm si à nobis eodē producantur: etsi ne nostras quidem partes desiderari oportet, ac omni potiùs modo animi illorum exacuendi nobis sunt. est enim è re nostra futurum, si illi meliores præstantiorēque reddantur. Tunc itaque Cyrus, in medio propositis armis, & conuocatis omnibus militibus Persarum, hanc orationem habuit: Vos quidē, ô Persæ, & eadem in regione in qua nos, & nati & educati estis, & corpora vobis sunt nihilo deteriora nostris: neque animos vestros ignauiores esse nostris conuenit. Verùm cum ij sitis, quos dixi in patria tamen æquali nobis loco non fuistis, haud sanè repulsi à nobis, sed quòd necessitas vobis imponere-

tur quærendi victus. At nunc res necessariæ quidem vobis vt suppetant, mihi, Diis fauentibus, curæ est futurum, potestas autem vobis datur, vt quamvis inferiores fortè aliqua in re sitis, liceat tamen, si libet, eadem pericula nobiscum adire, & deinde, laude virtutis merita, parem nobis dignitatem adipisci. Ac superiore quidem tempore vos sagittarij & iaculatores fuistis, quemadmodū & nos, neque mirū si in his defici alicubi vos contigit, non enim ad illa exercenda perinde ocium vobis datum fuit atque nobis: verū hoc in genere armorum, non erimus nos præstantiores vobis. Dabitur enim vnicuique lorica apta ipsi, quæ pectus muniat, parma autem in manū sinistram, qualem gestare omnes consueuimus: gladius autem aut sagaris in dextram, qua hostes cædatur, neque periculum erit, ne quem ictus frustretur. Quid est igitur, quo alter altero inter nos potior habeatur, excepta confidentia? quam nihilo vos minus præstare quàm nos, æquum fuerit. Nam victoriam, quæ omnia laudabilia & bona parit ac tuetur, cur nos potius quàm vos appetere, æquum esse videatur? Cur autem nos potius quàm vos potentia, quæ inferiorum res omnes iis largitur qui superiores fuerint, desiderio teneamur? Tandem, inquit, audiuistis omnia. arma cernitis. qui völet is accipiat, & profiteatur nomen suum apud centurionem, & eodē loco sit quo nos sumus: si quis autem contentus est mercenarij militis conditione, is retineat ministerij arma. Atque ita ille quidem locutus fuit. Persæ verò his auditis, cum inuitarentur ad laborem & spem parem, arbitrati, si non obsequerentur, sese totam deinde vitam inopem consilij acturos esse, ita & professi fuerunt nomina omnes, & arma acceperunt. At CYRVS, interea dum hostes appropinquare nunciabantur, nondum tamen aderant, exercēdis militibus operam dare, vt & corpora illorum corroboraret, & ipsos seruare ordines doceret, & animos ad belli negotia acueret. Ac primū famulis acceptis à Cyaxare mandat, vt satis multi singulis militibus præstò sint, & necessaria omnia præparent

parent & administrent. Quo constituto nihil aliud illis relinquebatur, quàm exercitatio rei militaris. Videbatur enim hoc comperisse, quòd præstantissimi essent in quacunque re illi, qui abductis cogitationibus animi à plurimarum rerum cura, ad vnam aliquam has conuerterent. Quin etiam de rei militaris studio tam arcus quàm iaculorum vsu detracto, reliquit solum hoc illis certamè prælij, cum gladio & parma & lorica ineundi. Itaque statim sic eorum præparauit animos, vt aut comminus cum hostibus congregiendum, aut fatendum esse sentirent, suam in bello focieratem nullius momenti esse. hoc autem fateri graue est iis, qui sciunt cibaria sibi præberi nullam aliam ob causam, nisi vt dimicent pro iis qui præbent. Præterea considerans Cyrus, multò studiosius exercere homines ea, de quibus contentiones existant, indixit certamina omnium eorum, in quibus exerceri milites vtile esse nouerat. Ea talia erant, vt miles gregarius obtemperaret ducibus, patiens laboris, & à periculis non abhorrens, suo quidem loco & ordine, & rei militaris peritus, & studiosus elegantium armorum, & in his omnibus ambitiosus: quinarius vt eadem præstaret quæ miles, & insuper semidecuriam suam ad eadem præstanda pro virili adduceret: decurio, vt decuriam, similiter proximorum ordinum quisque princeps suos, itémque centurio, & aliorum ducum vnusquisque, vt & se cum præberet, qui culpa vacaret, & respiceret diligenter ad inferiores ductores cæteros, eosque in officio contineret. Præmia autè erant proposita, centurionibus quidem, qui viderentur perfecisse, vt ordines quàm præstantissimos haberent, tribunatus: proximorum autem ordinum ductoribus, licere ad centurionum locum ascèdere: decurionibus præstantissimis, peruenire ad principatum proximi ordinis, & quinariis, posse fieri decuriones, militum verò fortissimo cuique referri inter quinarios. Percipiebant autem vniuersi illi primum hunc fructum, vt à subiectis imperio suo colerètur, deinde & alios honores se dignos consequerentur, sed &

spem meliorem laudem meritis insuper ostentabat, si fortuna in posterum lautior affulsisset. Etiam præmia victoriæ designauit, tam ordinibus totis, quàm partibus ordinum, & decuriis & semidecuriis, si quàm fidelissimas esse ducibus suis, & promptissimis animis in exercitationibus demonstratis versari constaret. Ea præmia eiusmodi erant, cuiusmodi multitudini maximè conueniunt. Atque hæc & demonstrabantur militi & exercebantur. Tabernacula autem instruxit, numero quidem tam multa, quàm multi in exercitu centuriones erant, magnitudine verò ea, quæ ordines singulos caperet. Ordo autem ille milites habebat centum. Atque ita in tabernaculis centuriatim degebatur. Videbatur autem Cyro de tabernis hanc utilitatem ad futurum certamen adipisci milites, quòd cernerent communia esse cibaria omniù, neque occasio offerretur vlla querelæ, quasi vni minus præberetur quàm alteri: quæ causa daretur, quam ob causam vnus altero remissior & ignauior in bello esset. Prodesse etiam videbatur hoc institutum contuberniorum ad mutuam notitiam. arbitrabatur enim de notitia in primis verecundiam nasci. Ignoti autem magis improbi videntur esse, perinde ac illi qui in tenebris versantur. Præterea cõtubernia existimabat multum momenti afferre ad accuratam ordinum conseruationem. habebant enim centuriones sub se instructos ordines, non aliter quàm si singuli in illis procedere deberet. & similiter ductores inferiores his suas partes, & decuriones decurias, & quinarij semidecurias. Seruare autem accuratè ordines, perquam illi conducere videbatur, simul ne miles turbaretur, simul hoc si accidisset, vt turbæ celerius sedarentur. Quemadmodum & saxa & ligna, quæ coagmentanda sunt, facile est coagmentare, vtcunque dissipata, si notas ea habeant, quibus significetur ad quem vnumquodque locum pertineat. Etiam communia cibaria ad hoc prodesse existimabat, ne alter alterum deserere vellet. animaduertebat enim bestias quoque eas, quæ simul pascuntur, incredibili desiderio sui in

distrā

distractione affici. Erat Cyro hoc etiam curæ, ne quando miles absque sudore ad prandium aut cœnam accederet. Nam vel venatum eos educēs, sudorem ex illis eliciebat, vel eiusmodi lusus excogitabat, de quibus sudor eliceretur, vel si quo opus factum erat, eius operis ita illis autor & dux erat, ne absque sudore reuerterentur. Hoc arbitrabatur & ad suauitatem cibi, & bonam valetudinem, & perferendos labores, & mansuetudinem mutuā, prodesse: cū equi etiam, qui eosdem vnā labores sustinent, propter sese placidius consistere soleant. Aduersus hostes profectō, redduntur animosiores ij, qui norunt præclarissimarum exercitationū vsu se coniunctos esse. Sibi autem ipse Cyrus tabernaculum fieri curauerat, magnitudine tantum, vt eos capere posset, quos ad cœnā vocasset. vocabat autem plerumque centurionum aliquos, pro eo atque occasio tulerat: nonnunquam & principum proximorum ordinum, & decurionum, & quinariorum, atque etiam ipsorum militum: interdum vocabat decuriam & semidecuriam totam, itēque proximorum ordinum principes, & ordines totos, totāque centuriam: vocabat & eos ac honore afficiebat, quos vidisset perfecisse eiusmodi aliquid, cuiusmodi ipse vt omnes facerent optabat. Apponebatur autem eadem semper, & ipsi & conuiuis. Quin etiā æquas partes distribuendas curabat ministris quoque in exercitu. non enim minus honorem habendum esse censebat militaribus ministris, quā vel præconibus vel legatis: quippe quos & fideles & peritos rei militaris, & prudentes esse oportere iudicaret, & insuper agiles & veloces; & minimè vel segnes vel trepidos. Ad hæc, censebat in ministris ea, quæ in optimis quibusque reperiuntur, & ita paratos illos esse debere, ne quid facere recusarent, sed vt statuerent omnia se decere exequi, quæ princeps iussisset. Semper autem hoc Cyro curæ erat, vt in cōtubernalibus cœtibus facetissimi sermones iniicerentur, & qui incitamentum haberent fortium facinorum: atque peruenit aliquando ad disputationem talem: Quæso, inquit, vos,

vtrum alij ideo inferiores nobis videntur, quod non eadem disciplina instituti sunt, an verò nihil interest inter illos & nos, neque in congressibus familiaribus, neque in præliis cum hostibus committendis? Ibi respondet Hytaspes, At enim, quales aduersus hostes illi futuri, inquit, sint, nondum equidem perspectum habeo, verum in familiaribus congressibus, nonnulli admodum rustici profectò videantur esse. Nuper enim, inquit, miserat Cyaxares singulis ordinibus victimas, pertinebantque ad vnumquemque nostrorum de ferculis portiones tres aut plures. ac cocus quidem coepit primo ambitu circumferre orsus à me: cumque secundo veniret ac circumferre vellet, iussi ego eum ordiri ab ultimo, & circumferre serie conuersa. Ibi in media corona discumbens militum quispiam, exclamabat, Minimè hoc modo, inquit. iniquum enim certè fuerit, nõ etiam ordiri aliquem à nobis mediis. Quo audito, molestè equidem tuli suspicionem illorum, qui se fraudari putarent, atque hunc statim iussi ad me accedere, in quo sane perquam ille modestè paruit. Cùmque iam ferculorum ordo ad nos peruenisset, portiones exilissimæ relinquebantur nobis, qui scilicet ultimo loco accipiebamus. Tum illū magno dolore affici apparuit, ac secū: Infortunatum me, inquit, quem huc vocari fors tulerit. At ego, bonum animum habe, inquam. mox enim exordium ad nos redibit, & tu maximam portionem sumere poteris. interque hæc circumferebantur tertio reliquæ adhuc portiones, accepitque ille statim secundum me. Cùmque accepisset & tertius, illumque hic maiorem portionem accepisse existimaret, abiicit portionem acceptam, appræhensurus nimirum alteram maiorem. & cocus nihil ei opus esse iam obsonio ratus, abiit prius, & quæ portabat ea abstulit, quàm ille portionem alteram accipere posset. Ibi tam grauius casum infortunij huius iste tulit, vt cum acceptum obsonium iam absumtum esset, quod de iure adhuc reliquum habebat, id in perturbationis & iracundiæ, ob fortunam istam, commotione, euerteret. Hæc conspiciatus is, qui

is, qui proximè aderat princeps ordinis, & manus complodere, & in risum ac lætitiã effundi. Ego verò simulabam me tussire, cum ne ipse quidem risum cõtinere possem. Talem ego tibi, ô Cyre, vnum ex sociis indico. Ad hæc, vt par erat, riserunt omnes. Alius autem ex centurionibus: Hic quidem, inquit, incidit in hominem admodum, vt videtur, rusticum: ego verò, postquam tu rationẽ ordinũ nobis explicueras, & dimissos iussisti vnũquemque suam centuriam ea docere, quæ ex te didicissemus: ita quemadmodum alij faciebãt, deueni ad ordinem vnũ post decuriam proximum, & cœpi illum instruere. cõstitutóque principe ordinis huius primo loco; & post eum iuuenem quodam, & deinceps aliis collocatis, quemadmodum fieri oportere censuerãm, ita constiti mox contra hunc ordinem, intuensque in illum, vbi oportunum esse duxi, iussi ad me accedere. Atque ecce tibi, is de quo narraui, iuuenis accedendo præuertens ductorem ante ipsum prodiit. Ego verò conspicatus, heus tu quid agis? inquam. Progredior, inquit ille, quemadmodum tu iubes. Tunc ego, At enim nõ te, inquam, solum, sed vniuersos progredi iusseram. Quo audito conuersus ille ad suos, non auditis, inquit, imperari progressionem vniuersis? Ibi igitur illi omnes præterito ductore ad me ibãt. Cùm autem ductor in priorem locum eos reduxisset, vehementer commoti, Vtri igitur, inquit, parere nos æquum? iam enim hic iubet nos procedere, ille verò vetat. Ego tamen hæc patienter tuli, & denuo in suum quoque locum reducto: Nemo, inquam, sequentium commouëatur, priusquam antecedens ipsum præeat, sed videte omnes, vt quisque antecedentem sequatur. Fortè acciderat, vt quidam profecturus in Persiam peteret à me epistolã, quam ad meos conscripseram. Et ego ductorem (nam hic norat, quo loco illa reposita esset) iussi curriculo abire & afferre epistolã. Qui cùm procurrere cœpisset, iuuenis illẽ statim ductorem cum lorica & gladio secutus, & hunc reliqui eius ordinis omnes cursu comitati fuerunt, atque ita redierunt

illi ad me cum epistola. Usque adeo, inquit, meus post decuriam ordo proximus exactè tenet doctrinam tuam. Hic aliorum, ut par erat, risus de satellitibus epistolæ consecutus fuit. At Cyrus, Iupiter, inquit, ac Dij cæteri, quod hoc præclarum sociorum genus est? Siquidem enim tam facile conciliari illi possunt, ut modico obsonio complures aliqui sibi amicos adiungant, & quidam ipsorum adeo morigeri sunt, ut antè pareat, quàm sciât quid imperatum sit: equidem non video cuiusmodi alios milites sibi contingere optare aliquis possit. Ac Cyrus quidem hoc pacto milites per risum collaudabat. Aderat autem in tabernaculo centurio Aglaïtadas nomine, vnus ex eorum hominū numero, qui ingenio sunt asperiore. Is ita locutus tunc fuit: Scilicet tu arbitraris, inquit, Cyre, vera esse quæ isti memorant. Num quid igitur, inquit Cyrus, mendacio sibi quærant? Quid enim aliud, inquit ille, nisi ut risum faciât, & ideo talia gloriose & ostentatoriè narrant. Bona verba, inquit Cyrus: neque tu ostentatores hos appellato. Nam ostentatoris nomē iis mihi impositum videtur, qui simulant se aut locupletiores esse quàm sunt, aut fortiores, quique pollicentur ea, quibus præstandis non sufficiunt, idque manifesto consilio acquirendi aliquid, & faciendū lucri gratia: qui verò conantur risum excitare in familiaribus congressibus, neque sui lucri, neque audientium detrimenti, neque vllius damni causa, ij cur non potiùs ac iustiùs vrbanus & faceti, quàm ostentatores nominandi esse videantur? Ac Cyrus quidem hoc pacto iis patrocinebatur, qui risum commouerant. Ille verò ductor, qui ridiculum suorum factum retulerat, nimirum Aglaïtada, inquit, admodum succenseres nobis, si fletum mouere tibi conaremur, (sunt enim, qui ad lacrimas adducere alios student, miserabiles quasdam tam canticis, quàm oratione fabulas exponentes.) quandoquidem nunc cum certas, hæc agi, ut te exhilaremus absque damno tuo, tam contumeliosè nos contemnis. Quidni, inquit Aglaïtada se se iure quidem hoc à me fit. Videtur enim mihi corè is, qui

qui risum excitat, minus præclarè opèram ponere, quàm qui efficit, vt sedentes amici plorent. Reperies autem & tu, si rectè rem consideres, me vera dicere. Nam fletu moderationem parentes liberis conciliant, & præceptores pueris salutarem doctrinam, ipsæque adeo leges efficientes, vt ciues plorent, ita ad iustitiæ cultum hos cõuertunt. Eos verò qui risum cõcitant, potèstne demonstrare dicendo, vbi aut corpora firmiora, aut animos publicæ priuatæve rei peritiores reddiderint? Tum deinde Hytaspes hoc fermè modo verba fecit: At tu, inquit, Aglaïtada si me audias, id quod tu tanti esse vis, fidente animo infumes in hostes, conaberisque efficere, vt illi desidètes plorent: nobis autem profusus, inquit, vile istud, vt rideamus, largieris. Nam magnam huius copiam te habere repositam scio, quippe qui neque ipse vsu consumseris, neque amicis aut hospitibus, sponte quidem tua, impènderis, vt risum inter illos faceres. Proinde nihil est quod prætexere possis, quò minus risum nobis conciliare debeas. Tum Aglaïtadas, Tu verò Hytaspes etiam me ridiculum facere vis? Demès igitur, inquit alter proximi ordinis post decuriam princeps, fuerit hic profectó. Citiùs enim, vt opinor, ignem ex te aliquis elicuerit, quàm risum expresserit. His dictis cum riderent alij, quibus notú erat Aglaïtadæ ingenium, ipse quoque Aglaïtadas leniter arrisit. Cyrus verò exhilaratum illum esse cernens, Iniuriosus es, inquit, tu, qui nobis virum seuerissimum corrumpis, persuadèdo vt rideat, idque infestum tantopere illum risui. Atque hoc illa quidem sine constiterunt. Deinde verò Chrystantas hoc locutus fuit. Ego ô Cyre, inquit, & vos alij qui adestis, video in expeditione esse nobiscum quosdam pluris æstimandos quàm nos simus, quosdam minoris. Iam si fortunà prospera fuerit, postulabunt omnes; vt partibus æqualibus potiantur. Atque nihil ego magis inæquale rerum humanarum omniù esse statuo, quàm fortem & ignauiam pari loco dignitatèque haberi. Ad hæc Cyrus, Quæso igitur, inquit, annon optimum vobis videtur deliberandum

hoc exercitui proponere, vtrum placeat, si quod emolumentum de laboribus nostris Deus cōtulerit, facere partes æquales omnium, an potius factis singulorum inspectis, secundum hæc etiam præmia vnicuique attribuere? Quid opus est, inquit Chryfantas, oratione ista exponere, ac non potius edicere, te ita esse facturum? Nūquid enim & certamina & præmia constituisti ipse edicto? At enim profectò, inquit Cyrus, nō hæc illorum similia sunt. Quæcunque enim in militia acquisuerint, communia inter sese, vt opinor, esse ducent: imperium autem exercitus domestico etiam iure ad me pertinere existimant. quapropter in designandis præfectis, non arbitrantur me iniuria afficere vllum. At tu verò, inquit Chryfantas, censeres multitudinem cōuocatam facturam esse, vt suffragiis suis decernant, ne singulis æquales partes contingant, vtque fortissimi præ cæteris honoribus & præmiis augeantur? Censeo, inquit Cyrus. nam & vos suadebitis, & turpe erit contradicere, Eum qui grauissimos labores perferat, & plurima commoda in commune conferat, non maximis quoque honoribus & præmiis affici oportere. Quin etiã ignauissimo cuique, vt arbitror, conducere videbitur, vt potior fortuna sit fortium. Cyrus autem cupiebat propter ipsos quoque compares hoc decretum fieri. nam & ad virtutem horum augendam prodesse putabat, si scirent se quoque suorū factorum æstimatione digna præmia percepturos esse. Quare oportunitatem se nactū esse duxit, vt illa de re decreti faciendi gratia referret, dum Compares æqualem multitudinis sortem reformidarent. Placuit itaque iis qui in tabernaculo aderant, vt verba illa de re fierent, & censabant vnicuique, qui se virū perhiberi vellet, faciendum esse, vt decretum suaderet. Arridēs autem vnus ex centurionibus, At enim ego quendam de multitudine noui, inquit, qui planè suadebit oratione sua, vt æqualem distributionem temerè fieri neutiquam patiamur. Tum alius interredgavit, quemnam illum esse diceret? Est, inquit ille, vnus hic ex contubernaliis meis, qui per

per omnia quærit copiam obtinere maiorem. Ibi alius quispiam, nunquid etiam laborum? inquit. Nequaquam, inquit ille: sed in hoc certè mendacij conuincor. nam laborum, & quæ huius generis sunt, perquam clemèter cui libet alteri maiorem copiam concedit. At ego, inquit Cyrus, in ea sententia sum, vt tales homines, qualem iste narrat, de exercitu eximèdos esse existimem, siquidem hunc esse velimus; qui & efficere aliquid possit, neque imperium detrectet. Nam mihi plerique militū ita esse animati videntur, vt sequantur ductores suos ad omnia. Ducere autem conantur ij, qui laude virtutis præstāt, ad laudabilia, improbi verò ad improba facinora. Iam sæpenu-mero accidit, vt plurimum sibi studia & sententias concilient nihili homines, quàm virtutis cultores. Nam improbitas per voluptates præsentis procedens, his ipsi adiutricibus vtitur in persuadendo multitudinē vt secum cōsentiat: virtutis autem ductus ad ardua directè tendens, non satis in præsentia virium habet, vt aliquos fortè secum at- trahat, præsertim si sint alij, qui cōtrā ad procliuia & mol- lia auocent. Quòd si qui solū in ignauia mali sunt & la- bores fugitant, eos ego iudico sumtus tantummodo de- trimentis afficere socios: qui verò & laborum societatem refugiunt, & plura semper cum vehementia & impuden- tia quadam appetunt, ij iam duces ad improba facinora esse possunt. sæpe enim hoc perficiunt; vt commoda im- probitati concilientur maiora. Quapropter eximendi isti nobis sunt modis omnibus. Neque est quod circumspi- ciatis, quibus suffectis de ciuium numero ordines explea- tis. Vt enim equos quæritis præstantissimos, non popula- res, sic eos recipite homines, qui & robur & ornāmētum maximum vobis adiuncturi esse videantur. Confirmat & hoc sententiam de utilitate meam, quòd neque currus velox fuerit, adiunctis ad illū segnibus equis, neque pro- bè instructus improbis. Ne domus quidem rectè admini- strari potest in familiarum improba vsu. Quin etiam in pe- nuria familiarum minus laborat res domestica, quàm si im-

probitate illius turberur. Scire & hoc debetis, mei amici, Remotionem improborum non hūc modò fructum nobis allaturam esse, quòd improbi abfuturi sint, sed ex iis etiam qui remanserunt, quotquot sese prauitate impleuerint, ij rursus illa expurgando liberabuntur. Studiosi autem virtutis vbi cernent omnem honorem adimi improbis, multò acriùs virtutem appetent & exercebunt. Hanc orationem Cyrus tunc habuit, quam comprobauerunt vniuersi, & re ipsa executi fuerunt. Post hæc rursus cœpit iocari Cyrus. Cū enim animaduertisset, vnū de centurionibus adducere conuictorem, qui propter se accumularet, & opimum admodum, & valde deformem, appellato nominatim centurione, Sambaula, inquit, nimirum tu more Græcorum, tecum habes istum adolescētem formosum, qui vnà accūbar. Ita est, inquit ille, profectò. nam voluptatem capio de cōsuetudine & aspectu huius. Quo audito contubernales intuiti eum, & conspicati hominis faciem mirificè deformem, omnes riserūt. Ibi vnus, Quæso te, inquit, Sambaula, quanam hic re sibi te deuinxit? Dicam vobis, inquit ille, socij bona fide. Quotiescūque enim hunc accerso, siue dies sit seu nox, nunquam vel occupationes suas præterdit, vel pedetentim vocanti adest, sed accurrit. Quoties item iubeo agere eum aliquid, nūquam vidi hoc absque sudore ab ipso perfici: perfecitque ille, vt tales omnes iam sint decuriales ipsius, non verbis sed factis demonstrans, quales esse debeant. Tum vnus: Quin tu hunc, si est vt prædicas, non exoscularis, quemadmodum cognatos? At enim, inquit ille deformis, non est iste laboris patiens. nam si osculari me vellet, omniū certaminum instar futurum hoc esset. Atque hæc quidem & dicebantur & fiebant, tam ioco quàm serio, in tabernaculo. Tandem verò post tertiam libationem, bona à Diis precati, ita contubernium dissoluerunt, & cubitum iuerunt. Postero autem die conuocatis militibus vniuersis ad hunc modum Cyrus verba fecit: Certamen, inquit, Persæ propè adest. nam hostes aduentant. Præmia autem victoriæ, si qui

siquidem nos superiores fuerimus, & hostes ipsi, & omnia bona hostium futura sunt: si fuerimus nos inferiores, (nam dici ita, atque fieri semper par est.) etiam sic eorum bona, qui inferiores fuerint, semper proposita sunt pro præmiis, victoribus. Sic igitur statuetis animo vestro, si aliqui in bello socij, pro certo habeant singuli, quod nihil omnium, quæ fieri debeant, rectè futurum sit, nisi pro se quisque annitatur ipse, hoc pacto multa præclare geri solere. nulla enim pars rerum gerendarum apud hos otiosa est. Cùm autem vnusquisque cogitat, alios & negotiosos & bellatores fore, quamvis ipse cesset ac remittat, tū scire debetis, quod vniuersis illis cumulatè omnia tristitia immineant. Ipsius etiam Dei hoc opus est, vt qui sibi imperare nolint elaborationem bonorum, ij alios imperatores accipiant. Nunc igitur, inquit, prodeat aliquis & dicat de hoc ipso: vtrum existimet magis futurum esse, vt virtus à nobis colatur, si debeat is, qui maximos labores sustinere, & grauissima pericula adire voluerit, summos etiam honores adipisci: an si perspicuum fiat, quod nihil ad id intersit, ignauium esse? pariter enim omnes æqualitatis participes erimus. Ibi surrexit Chryfantas vnus ex comparibus, vir neque statura procerus neque robustus specie, sed prudentia excellens, & ita fuit locutus: Non existimo te, ô Cyre, quod sentias æqualem conditionem fortium & ignauorum esse oportere, ita hanc mentionem fecisse oratione tua, sed faciendi periculi gratia, si quis fortè se prodeere velit, quod ita animatus sit, vt æqualem portionem de iis, quæ alij per virtutem acquisuerint, ipse ignauius & nihili adipisci postulet. At ego, inquit, neque pedum celeritate, neque manuum robore præditus sum, & haud ignoro de iis, quæ corpore meo effici possint, iudicio facto, neque primum, neque secundum, immo, vt opinor, ne millesimum quidem, ac fortè ne decies quidem vltiorem locum mihi obuenturum esse. Verùm hoc quoque planè intelligo, quod aliqua tamen boni portio ad me reditura sit, quam redire æquum fuerit, si præstantes viribus alij

rem fortiter gerere voluerint. Sin ignaui cessent, fortes autem & robusti minus parati animis sint: equidem metuo ne qua alterius quam boni euentus, portio mihi contingat, maior illa quidem quam ego velim. Hæc Chryfantæ fuit oratio, post quem surrexit Pheraula, vnus ex plebe Persarum, familiaris & gratus Cyro de consuetudine quadam domestica, neque corporis habitu illiberali, & ea facie qua animus generosus indicari videretur: isque ita locutus fuit: Ego, ô Cyre, & vos Persæ qui adestis omnes, iudico æqualem esse contentionem nostram ad certamina virtutis. Video enim parem disciplinam seruari in cibo, quo corpus curetur, & dignitatem parè in congressibus nos obtinere, itidemque laudabilia omnia ex æquo nobis proposita esse. Nam obtemperare ducibus in medio positum est, quique in hac parte minimè tergiversari voluerit, cum maximè apud Cyrum in honore esse animaduerto. Iam viribus aliquos vt aduersus hostes, nõ vnus aut alterius, sed vniuersorum iudicio omnium præclarissimum esse ducitur. Ac nunc, inquit, ea dimicatio demonstratur, cuius ego omnes à natura homines edoctos scientiam habere video: quemadmodum & alia animalia norunt certo modo dimicare, à nemine nisi à natura edocta. verbi gratia, quòd boues cornibus feriunt, vngulis equi, canis ore, aper dente metuendus est. Etiam singula sciunt cauere ab iis, à quibus potissimum debent, neque vllius tamen vnquam magistri ludum frequentauerunt. Ego quoque statim à puero obiicere didici aliquid ad illud, quo percussum me iri arbitrarer. quòd si nihil fortè habebam aliud, proiectis saltem manibus, percutientem pro vitili mea impediēbam: idque faciebam non modò docente nemine, sed vapulans etiam ea parte, quam fortè obiecissem. Puer quidem adhuc admodum, sicubi gladium viderã, eum mox arripiebam, à nemine edoctus quo pacto prehendi oporteret, nisi à natura, mea quidem sententia, faciebamque hoc quod vetabar, non docebar, sicuti alia quoque, ad quæ faciēda, prohibente patre & matre,

ab ipsa.

ab ipsa natura impellebar. Quin etiam gladio ipso cadere solebam, quicquid poteram clanculum. Non enim naturæ tantum hæc incitatio erat, veluti ingrediendi & currendi, sed præter naturæ vim de hoc factò voluptas quoque percipiebatur. Cùm igitur hæc dimicatio, inquit, nobis relinquatur, ubi magis prompto animo quàm artificio aliquo opus est, cur non iucunda nobis cum istis comparibus contentio futura esse videatur? præsertim cùm præmia virtutis æqualia proponantur, periculum autem neutiquam adeundum sit æquale. Isti enim de vita honorata, quæ est iucundissima, periclitabuntur, nos verò de vita ut laboriosa sic inhonorata, quæ est molestissima. Sed hoc me, commilitones, inprimis promptum reddit ad descendendum cum istis in certamen, quòd Cyrus iudex futurus est, qui absque invidia iudicium faciet. Quin hoc iuratus affirmare ausim, eos quos viros fortes perspexerit, non minus Cyrum diligere, quàm se ipsum. His certè animaduerto, quicquid fortè nactus est, libètius eum tribuere, quàm retinere sibi. Neque me fugit, inquit, istos superbo esse animo, quòd instituti sint famem sitimque & gelu perpeti, cùm non intelligant nos quoque ad eadem à potiore, quàm ipsos, magistro institutos esse. Non enim est vllus potior horum magister quàm necessitas, à qua nos exquisitè ista edocti sumus. Atque isti quidem armis gestandis sese exercuerunt, quæ apud omnes mortales ita parantur, ut quàm facilimè ferri possint: at nos cum magnis oneribus tam ingredi, quàm currere, sæpe fuimus coacti. Itaque mihi iam videntur armorum hæc gestamina, pennis magis quàm oneribus esse comparanda. Quapropter, Cyre, de me hoc persuasum habeas, quòd & in certamen descensurus, & pro eo ac me gesserò, ita honorem dignum mihi haberi postulaturus sim. Vos autem, populares, hortor, ut ad contentionem prælij huius vos excitetis, aduersus bene institutos istos. nunc enim hi in populari certamine depræhensi sunt. Hæc cùm Pheraulla dixisset, surrexerunt alij multi, qui vtriusque sententiã

sua oratione comprobabāt. Fit itaque decretum, Pro meritis vnicuique honorem haberi oportere: esse autem iudicem Cyrum. Atque huius negotij hic fuit processus. Sed Cyrus quodam tempore ad cœnam vocauit totam centuriam cum centurione, conspicatus illum contra se dimidium vtrinque centuriæ instruxisse, tanquam ad impressionem vndique faciendam, cum loriceis quidem vniuersos & parmis præhēsis manu sinistra, sed vni parti centuriæ dimidiatæ dederat ferulas spissas, alteram iusserat sublatas glebas eiaculari. Ad hunc modum postquam instructi constiterant, signū dabat prælij. ibi pars altera glebas eiaculabatur, & quidam horum loricas & parmas feriebant, quidam etiam femur & ocream. Verū vbi iam ad manus ventum esset, ij rursū qui ferulas habebant, cædebant illorum vel femora, vel manus, vel tibias, & inclinātium se ad glebas, ceruices atque dorsum: tandēque feruligeri illos alteros in fugam verterunt, & inseguti fuerunt cum multo risu ac hilaritate. Vicissim autem alteri acceptis ferulis, eodem modo tractare glebarum iaculatores. His delectatus Cyrus cum admiratione, non tam ob centurionis inuentum & militum obsequium, quàm quòd & exercitationem & iocum illum animaduerneret, & quòd cerneret eos victores esse, qui ad similitudinem armaturæ Persicæ fuerant instructi. Ex his igitur cū voluptatem cepisset, vocauit illos ad cœnam, ac in tabernaculo conspicatus quosdam suram, quosdam manum alligatam habere, interrogauit quidnam illis accidisset? At hi, glebis se ictos fuisse narrabant. Tum Cyrus rursū interrogauit, vtrū eminus an comminū pugnantēs? At illi, eminus, inquebant. Nam cū ad manus ventum esset, feruligeri pulcerrimum ludum fuisse referebāt: ij verò qui concisi fuerant ferulis, exclamare, minimè sibi lusum visum esse, cædi comminū, simulque ostendebant plagas à feruligeris infictas, aut manibus aut ceruici, nonnulli etiam ori. Ac tunc quidem risus pro re mutuus inter illos exortus fuit: postero autē die plenus erat campus

pus omnium ista imitantium, sempérque nisi aliud quidpiã magis seriũ in manibus haberent, isto ludicro utebantur. Conspicatus autem aliquando alium centurionem, adducentem ad prandium centuriam de fluuio, vnoquoque alteri succedente, & mox, vbi oportunum visum esset, iubentem procedere ordinem proximum, & deinde tertium ac quartũ, vt essent in fronte: cũque iam principes in fronte pergerent, ibi hunc ordinem diuidi ille præcipiebat: itaque iam decuriarum ductores perueniebant in frontem. Vbi autem oportunum visum esset, quadrifidum procedere ordinem hũc iubebat, atque ita prodibant ductores semidecuriarum, vt quaternaria processio fieret. Cũque peruentum esset ad fores tabernaculi, rursus signo dato, vt singulatim omnes procederent, ita introduxit primum in serie ordinem, & secundum ponẽ statim sequi iussit, paritẽrque deinceps tertium ac quartum, cũ quidem præiret ipse. Atque hac serie, qua processerat ad cibum capiendum, vt introducti discumberẽt, perfecit. In hoc Cyrus admiratus mãsuetudinem doctrinæ & diligentiam, vocauit & illam ipsam centuriam ad cœnam. Vbi cũ adesset alius quidam vocatus ad illam centurio: Tu verò, inquit, Cyre, meam cœturiam non vocas? Atque illa ad epulas veniens eadem omnia prorsus facit. Cũque discedendum de tabernaculo est, educit extremus vltimi ordinis, postremòsque habet eos, qui in acie ad proelium committendum primi sunt: hos sequitur extremus sequentis ordinis, & deinceps tertij ac quarti similiter. nimirum vt sciant dum reducuntur ab hostibus, quo pacto discedendum sit. Postquam verò iam constitimus in curriculo, vbi deambulamus, quando procedimus ad ortum, tunc ego præire soleo, & cõsequuntur ordines proximi, primus, secũdus, tertius, quartus, vt res postulat. Et similiter suum locum seruant ordinum illorum decuriæ & semidecuriæ, donec signum à me detur. Cũ verò recedimus ad occasum, qui in postremis curant & vltimi quique, iam præeunt & sunt primi. Neque minus

tamen mihi quamvis ultimo iam loco ingrediēti, parent. Hoc autem ideo facimus, vt milites assueſiant, pari in obtemperando ſtudio tam præire quàm ſequi. Tum Cyrus, ſempérne id facitis: Quoties quidē certè, inquit ille, cœna inſtruitur. Voco igitur vos, inquit, ſimul propter ordines ſeruandi ſtudium, tam in accedendo quàm in abeundo, ſimul quia hoc die noctūque facitis, ſimul quòd deambulando corpora exercetis, & docēdo animos meliores redditis: & quoniam duplicia ſunt omnia quæ facitis, par eſt, vt & cibi duplices vobis præbeantur. Minimè verò, inquit centurio, vno quidem in die, niſi etiam ventres duplices nobis attributurus es. Ac tunc quidem hunc finem dederunt conuentui contubernali. Poſtero autem die Cyrus illam centuriam vocauit, quemadmodum dixerat, itémque altera ſequentē. Hæc videntes cæteri iſtos imitabantur deinde vniuerſi. **Q**UODAM autem tempore, cùm delectū Cyrus haberet, & exercitū inſtrueret, præſentibus vniuerſis cum armis, venit nunciuſ à Cyaxare narrans, adueniſſe legationem Indicam. iubet itaque ille te quamprimùm, inquit, accedere. Ego autem aſſero veſtem vnā de elegantiffimis à Cyaxare. nam placuit illi te ita aſſeſſe, vt accedens, Indis quàm ornatiffimo & ſplendidiffimo cultu eminere videaris. His auditis, imperauit Cyrus primo loco cōſtituto centurioni, vt in fronte conſiſteret deducta centuria ſingilatim, ipſe dextrum latus tenens. & iuſſit idem hunc ſecundi loci cēturioni imperare, vt ita imperatum per vniuerſos traderetur. At illi ſine recuſatione parère, & imperatā conſeſtim facere. itaque breui in fronte conſtiterunt ducenti, tot enim erant centuriones: agminis autem denſitas peruenit ad cētum. Tū ſequi illos iuſſit ſe, pariter ac ipſe præiret, ac ſimul celeri gradu præire cœpit. Cūque animaduertiſſet, quòd via tendens ad regiam eſſet anguſtior, quàm illac vt longitudo agminis trāſire poſſet, ſigno dato, vt primi quique cēturiones decem, cum militibus ſuis mille, ita ſequi pergerent, quemadmodum collocati fuerāt, & proximi qui-

que

que decem ponè subirent, idque vt per totum agmen feruaretur, ipse quidem præire sine remissione, mille autem semper sub totidè priores succedere. Miserat autem ministros etiam duos ad viæ aditum, qui ignorantés, quo factò opus esset, edocerent. Cùmque peruentum esset ad fores regiæ Cyaxaris, imperauit primo cēturioni, vt centuriam ad duodecim addensaret, & vt principes duodenarij consisterent in fronte circum regiā: idémque vt secundo, itidémque deinceps cæteris omnibus demonstraretur. Hæc illi dum exequuntur, Cyrus ad Cyaxarem introibat cum veste pura Persica. Quem Cyaxares cōspicatus, voluptatem quidem cepit de celeritate aduentus, sed vestis offensus vilitate, Quid hoc, inquit, Cyre: itāne te facere oportuit? tali ornatu vt prodires in conspectum Indorum, quem ego illis apparere quā splēdidissimum cupiebam. Tua enim magnificentia me in primis ornaret, qui es filius sororis meæ. Ad hæc Cyrus, utrū ego te, inquit, magis ornarem Cyaxare, indutus purpura, & armillis adhibitis, & torque circumdatus, si ægrè me cōmouens ita tibi præstò effem? an nunc, postquam cum tantis & talibus copiis, tam celeriter morem tibi gerens, assum, honoris tui causa, adiungens tibi hoc ornamentum studij & sudoris mei, & declarati obsequij aliorū? Atque Cyrus quidem hæc locutus fuit. Cyaxares verò & rectè narrare eum statuit, & adduci Indos iussit. Indi autem introgressi, dixerunt, se esse missos à rege Indorum, & iussos interrogare, qua de re bellum inter Medos & Assyrium susceptum esset: & te auditò iussit nos proficisci deinde ad Assyrium, & eadem ipsum quoque percunctari: tandémque vtrique vestrum dicere, Regē Indorum denuntiare, se post cognitionem æquitatis, socium futurum ei, qui iniuria affici videretur. Ad hæc Cyaxares, Me igitur, inquit, auditis, quòd nulla Assyrium iniuria afficiamus. quare & ad ipsum profecti cognoscite quid narret. Cyrus autem ibi præfens, interrogauit Cyaxarem: licerétne proloqui, quòd & ipse sentiret. Et Cyaxare iubente, Vos

itaque, inquit, ad Regem Indorum renuntiate hæc, nisi Cyaxari aliud fortè videatur, nos, si qua in re ait Assyrius se iniuria à nobis esse affectum, in ipsum Regē Indorum iudicem planè cōsentire. His auditis legati discesserunt.

Post quorum abitum Cyrus orationē hanc cum Cyaxare habere instituit. Ego sanè, inquit, ô Cyaxare, adueni cum modica pecunia mearum facultatū, & fortunæ domesticæ: quicquid autem attuleram, de eo perpusillum adhuc reliquum est, propter impensas factas in milites. Atque tu fortasse hoc miraris, quas ego impēsas fecerim in milites, qui tuo sumtu alantur. Scire igitur debes, aliud me fecisse nihil, quàm vt honore & beneficio aliquo afficerem eos, quos virtutem colere animaduertissem. In ea enim sententia sum, quos ex animo ad cuiusque rei, aut negotij effectiōnem conciliare tibi velis, eos suauius esse incitari bene & dicendo & faciendo, potius quàm contristando & cogendo. Ad bellum quidem alacres socios, si conciliare studeas, hos mea sententia, omnino bonis & dictis & factis captari oportet. Nam beneuolos certè non inimicos esse, illos qui parati semper ad belli societatem futuri sunt, & neque inuidos in imperatoris felicitate, neque timidos in periculis esse necesse est. Quod cum mihi persuasum sit, pecunia planè mihi opus esse video. Vt autem semper te solum atque vnicum spectem, quem plurimos sumtus facere intelligo, mihi quidem absurdum videtur. Censeo autem æquum esse, vt ambo nos communi consilio prouideamus, ne vlllo tempore pecunia tibi deesse possit. Nam si tu pecunia abundes, satis scio, potestatem mihi, quoties opus fuerit accipiēdi, de futuram esse nunquam, præsertim ad ea, quorum sumtus tibi etiam vtilitatem allaturi esse videātur. Nuper itaque recordor audiisse de te, quod Armenius te despiciat, postquam cognouerit aduentare hostes nostros, neque iam copias tibi mittat, neque tributum debitum pēdat. Et facit enim, inquit, ille hoc Cyre, & dubius animi sum, an expediat aduersus eum exercitum educere, & conari vt vi possim cogere, an melius

melius sit missum eum facere in præsentia, ne ad alios hostes hunc quoque adiugamus. Tum Cyrus, Domicilia verò, inquit, illorum utrùm sunt in locis munitis, an in iis, quæ capi facilè possint? Domicilia quidem, inquit Cyaxares, non habèt in locis admodum munitis, hoc enim providere non negleximus: sed mōtes sunt, ad quos qui pervenerint, statim in tuto futurus sit, cum omnibus quæ illic exportāda curauerit, nisi obsidione eum conetur aliquis expugnare atque subigere, quemadmodum olim fecit pater meus. Tum Cyrus, si me mittere volueris, traditis equitibus quotquot opus esse videbitur, spero me, Diis fauentibus, perfecturū esse, ut & copias tibi mittat, & pendat tributum, utque insuper benevolentia eius erga nos maior sit, quàm nunc est. Et ego, inquit Cyaxares; existimo citiùs accessuros illos ad te quàm ad me. audio enim socios venationis pueros ibi quosdam, te aliquando habuisse. hi nimirum nunc etiam accedent ad te. Vbi verò illorū aliqui in potestatem nostram fuerint redacti, tum deinde cætera pro arbitrio nostro poterimus administrare. Videturne igitur, inquit Cyrus, conducere ut cōsiliū hoc nostrum quàm maximè occultetur? Citiùs enim ita, inquit Cyaxares, in potestatem venerint aliqui, & si nos subito adoriamur, imparatiores depræhēdi necesse sit. Audi igitur, inquit Cyrus, si quid fortè dicere videar. Ego sæpenumero cum Persis omnibus venationi operam dedi, in finibus tam tuæ quàm Armeniorū regionis. Etiā equites hinc habui ex amicis, atque ita illò perveni. Si quidem igitur, inquit Cyaxares, idem nunc feceris, carebis omni suspicione. Sed si longè maiores copię visæ fuerint, quàm quantas venatum educere consueuisti, res iam in suspensionem veniet. At enim, inquit Cyrus, his etiam speciem quandam prætere licet, quæ & hîc & illic, si res fortè indicetur, à vero non abhorreat, hoc agi à me ut venatio ingens instruatur: & ego palàm, inquit, equites à te petam. Optimè narras, inquit Cyaxares: ego verò negabo me tibi posse concedere, nisi paucos quosdā, quòd consti-

tuerim me castella extructa contra Assyrios, obiturum esse. & volo sanè ad illa proficisci, & curare, vt quàm munitissima sint. Postquam verò tu egressus cum tuis copiis, iam in venatione fueris, tunc biduo submittam tibi equitum ac peditū satis magnum numerum de iis quos coëgero: cum quibus tu statim perges, & ego cum reliquis copiis videbo ne procul à vobis absim, vt in tempore me vobis ostendam. Itaque Cyaxares cōfestim cogebar equites ac pedites, tāquam ad castella profecturus, præmittantur & plaustra cum frumentis eadem via. At Cyrus rem diuinam itineris causa facere, simul & nuncio misso petere iuniores equites à Cyaxare. Sed hīc cūm proficisci vellent complures, non multos illi concessit. Progresso autem iam Cyaxare ea via, quæ tendebat ad castella, sacra à Cyro de Armenio aggrediendo pulcra litata fuerunt. itaque eduxit tum copias quasi ad venationem. In itineris autem statim initio procurrit lepus, ibi aquila deuolat dextrā, fugientēque conspicata leporem, sauciat illum, & correptum asportat in tumulum quendam non longè distantem, ibique pro suo arbitrio ea præda vitur. Hoc signo viso delectatus fuit Cyrus, & adorato Ioue Rege, ad suos qui aderant, Mei vos, inquit, præclara est profectō venatio futura, si Deus voluerit. Cūmque peruētum esset ad fines, statim venari cœpit, quemadmodum solebat. Ac vulgus quidē equitum ac peditū cum clamore erumpere, & feras excitare incurfione sua: principes verò equestrium & pedestrium copiarum, dispositi excitatas feras excipere & insequi: captique fuerunt multi apri, cerui, capreæ, asini siluestres. nam nunc etiam istis in locis asini frequentes sunt. Cūm autem venādi finem fecissent, propiūs ad fines Armeniorum accessit, & parari cœnam iussit, & postero die rursus venari cœpit, & progressus ad montes quos appetebat, post venationem cœnare. Cūmque cognouisset appropinquare exercitum Cyaxaris, misit ad illos, qui nunciarent, vt subsistētes ad interuallū circiter octo m. passuum, cœnarent, præuidēs hoc ad occultationem

tationem consilij profuturum esse. Postquam autem cœnati fuissent, iussit adesse ductorē cum copiis apud se. Itatum post cœnam, aduocatis centurionibus, ad præsentem hanc orationem habuit. **ARMENIVS** iste, ô Amici, ad hoc tempus, & coniunctus cum Cyaxare, & subiectus ei fuit: nunc postquam sensit aduentare hostes, contemnit nos, neque copias mittit, neque pendit tributū. Aduenimus igitur, vt venemur, si possimus, ipsum. Atque mihi hoc faciendum, inquit, videtur: Tu Chryfanta, vbi somnū modicè ceperis, assume Persarum qui adsunt dimidium, & occupato montes, in quos solere aiunt, cūm formidat aliquem, confugere. Ductores autem ego tibi præbebo. Atque narrant montes istos siluestres esse. quare spes est vos in occulto futuros esse. Attamen si ante exercitum præmittas expeditos quosdam, numero ornatūque prædones referentes, hi iam occurrentes Armenios poterūt excipere, atque ita prohibere indicium. Quos autem non ceperint, eos absterritos repellent à cōspectu totius exercitus, vt nihil aliud quàm de latrunculis consulant. Ita tu quidem, inquit, facito. Ego autem cum prima luce, cum reliqua parte peditum & equitatu vniuerso, progrediar per cāpos apertos rectā ad Regiam. Si ille igitur restiterit, dimicandum erit scilicet: sin cedat de campo, cursu assequendus: sin fugiat ad montes, iam tuum opus erit, ne quem dimittas eorum, qui ad te peruenerint. Cogita autem tāquam in venatione, nos fore excitatores, te autem ex iis, qui ad retia consistunt. Memineris igitur obsepientis itineribus anteuerti agitationem oportere. Etiam in occulto esse debent his partibus collocati, si non auertere velint inferentes sese bestias. Ne tamen, mi Chryfanta, idem, inquit, nunc facias, quod interdum studio venandi soles, vt sæpe totam noctem peruigiles, & negotio intentus sis: sed nunc temporis aliquid ad somnum capiendum, concedi militibus par est, vt somno etiam repugnare valeant. Etiam tu, quia absque ductoribus humanis consueuisti errare in montibus, ac eā persequi, quā bestia præiue-

rit: ne ita nunc per deuia progrediaris, sed iubeas ductores præire planissima via. Expeditio enim facilima, est celerissima. Nève curriculo præire velis, quoniam per mōtes cursu ferri assuetus es, sed vtere mediocritate quadā studij, vt consequi exercitus possit. Prodest etiam vt robustissimi & paratissimi animis interdum resistent cohortandi gratia: cūmque processerit cornu, ad incitandos omnes multum momenti affert, si his incedentibus, illi currere videantur. His auditis Chryfantas, & simul mandatis Cyri elatus animo, acceptis ductoribus, demonstrauit iis, qui sequi ipsum debebant, quid fieri oporteret, & ita quieti se dedit: cūmque somno aliquantulum indulissent, contendere ad montes cœpit. Cyrus autem postquam illuxerat, nuncium ad Armenium ablegauit, mādans vt hæc illi diceret: Iubet te, ô Armenie, Cyrus quamprimū & tributum pēdere, & exercitum adducere. Quòd si ille interrogauerit vbi sim? dicito id quod res est, Ad fines. Si insuper interrogauerit, An ipse aduentem? dic ad hoc etiam quod verū est, Te ignorare. Si percūctatus fuerit, quantæ sint copiæ meæ? iube mittere aliquem tecum, qui cognoscat. Ac nūcium quidem talibus mandatis ablegauit Cyrus, quòd humanius hoc esse statueret, quàm non prædictam impressionem facere: Ipse autem instructa acie, & ad oportunitatem viæ, & occasionem dimicandi si opus esset, ita perrexit. Edixit autem suis, ne quem læderent, vtque obuios Armenios verbis cōfirmarent, & hortarentur vbicunque castra essent, vt illuc necessaria aducherēt, siue cibos aliquis, seu potum vellet vendere.

Xeno,



XENOPHONTIS DE
CYRI DISCIPLINA
LIBER TERTIVS.

* *
*

CYRVS quidem hoc agebat. Armenius verò mandatis Cyri de nuncio cognitis, perturbatus animo fuit, cum cogitaret, se & tributum deserendo & non mittendo exercitum, iniustum esse: inprimisque in metu erat, quòd manifesta futura esset extractio Regiæ, quam ita munire cœperat, vt propugnando defendi facile posset. Ob hæc omnia trepidās, simul dimissis quibusdam cogere copias suas, simul ablegare in montes minorem natu filium Saborim, & mulieres, tam suam quàm filij vxorem, itémque filias, & mundum, & apparatus alium maximè pretiosum, additis qui deducerent. Ipse autem & mittere quosdam exploratum quid Cyrus ageret, & aduentantes Armenios ordinare. Ibi mox alij affuerunt qui dicerent, quòd ille simul adesset. Tum non magis ausus fuit Armenius congredi cum Cyro, sed cessit. Quod alij Armenij eum facere videntes, diffugere & ipsi singuli ad sese, cupientes submouere res suas. Cyrus autem cernēs campum refertum esse discurrentibus & agitantibus iumenta, submitit qui dicerent: Nemini se hostem esse eorum, qui remanerent: sin aliquem in fuga depræhendisset, prædixit pro hoste se eum esse habiturum. Tum itaque plerique remanserunt, quidam tamen vnà cum rege discesserunt. Cum autē comitatus mulierum progressus incidisset in eos, qui montem iam occupauerant, ibi & clamor statim exortus, & multi eorum in fuga capti fuerunt, ac

tandē tam filius,quàm vxores & filia capiuntur vnà cum facultatibus omnibus, quas fortè aduexerant. At Rex his cognitis, inops cōsilij quò se verteret, fugit in collē quendam. Quod Cyrus conspicatus, statim iis quos secum habebat, collem cinxit, & nuncio ad Chryfantam misso accersuit eum, vt ille relicto præsidio in montibus ad se veniret. itaque exercitus Cyri colligebatur. Misit autem ipse caduceatorē ad Armenium, qui sciscitaretur verbis suis: Vtrū illic remanens mallet cum fame & siti configere, quàm in campum apertum descendere & prælio decertare? Ad quæ respondit Armenius, Cum neutris se dimicare velle. Rursum Cyrus misit qui interrogaret, Quid igitur ibi resideret, ac non potiùs descēderet? Quia enim, inquit, dubius animi sum quid facere debeam. Quid dubitas? inquit Cyrus. licet enim descendas ad cognitionem iudicij. Quis igitur iudex, inquit, futurus est? Nimirum is, inquit, cui Deus concessit statuere etiam absque iudicio de te, id quod ipse voluerit. Tum igitur Armenius sentiēs necessitate se vrgeri, descēdit: & Cyrus illum cum omnibus aliis inclusum castris suis circūdedit, cū iam omnes copiæ coniunctæ essent. Eo fortè tempore aduenit filius Armenij natu maximus Tigranes nomine, qui peregrè alicubi abfuerat, quem & focium venationis aliquando habuerat Cyrus. Hic cū audisset quo in loco res essent, rectà ad Cyrum sine omni cunctatione accessit, cūque vidisset patrem & matrem & fratres ac sorores & coniugem suam captiuos omnes, lacrimas, vt par erat, profudit. Cyrus verò conspecto illo, nullam aliam amoris & benevolentia erga eum significationem dedit, sed hoc modo locutus fuit: Per tempus, inquit, aduenis, vt & tu auditor sis in iudicio patris tui. & mox conuocat duces, tam Persarum quàm Medorum. Aduocat & de Armeniis viros honoratos quotquot aderant: neque mulieres quæ curulibus plaustris vectæ præsentis ipsæ quoque erant, repellit ab audiendo. Cūque oportunū visum fuisset, ita orationem instituit: Armenie, inquit, primū tibi consilium do

do, vt in hoc iudicio vera loqui velis, vt vnum saltem absit à te, quod odio dignissimum habetur. Nam in mendacio aliquem depræhēdi, id profectò est, quod maximè in venia consequenda hominibus impedimento esse consuevit. Deinde, inquit, cōscij sunt tibi liberi, & ipsæ mulieres omniū quæ egisti: similiter & Armenij qui assunt. Quòd si te alia narrare, quàm quæ gesta sunt, animaduertent, statuent te ipsum sententia tua cōdemnatum, supplicium vltimum meritò daturum esse, si ego veritatem resciero. Percunctare igitur, inquit ille, Cyre, quicquid volueris: nam ego vera dicturus sum, fiatque hac de causa, quicquid fieri necesse est. Dic ergo mihi, inquit, bellumne gessisti aliquando cum Astyage auo meo materno, & cæteris Medis? Gessi, inquit. Superatus verò ab illo promissitine tributum pēdere, & vnà in expeditionē proficisci, quotiescunque ille denuntiasset, neque munitiones tenere velle: Ita est. Sed cur nunc neque tributum persoluisti, neque copias misisti, & munitiones cœpisti extruere? Quia enim, inquit ille, cupiditate tenebar libertatis. nam præclara mihi res videtur, & libertate aliquem potiri ipsum, & hanc liberis suis relinquere. Et est enim, inquit Cyrus, res præclara decertare ob cōditionem seruilem effugiendam: qui verò vel bello victus, vel alia seruitute oppressus, in potestatem alterius venit, is si hoc agere videatur, vt fraudet seipso dominū, primū, dic mihi, vtrū huic, vt viro bono & fungenti officio honorem habiturus, an potius vt in improbum, si illo potiaris, animaduersurus sis? Animaduersurus sim, inquit. nam tu non pateris me falsum loqui. Iam dic planè, inquit Cyrus, singilatim omnia. Si inter magistratus aliquis fortè deliquerit, vtrū magistratum eum gerere sinis, an alium in eius locum substituis? Substituo, inquit. Quòd si pecuniosus sit, inquit, diuitemne esse eum pateris, an facis vt pauper sit? Pecuniam, inquit, si hac ille abundet, adimo. Ad hostes verò si deficere eum velle sentias, quid facis? inquit. Obtrunco. nam cur potius conuictus mendacij, quàm vera narrans mor-

tem oppetere velim? Tum filius ipsius, tiaram, his auditis, diripuit, & vestem discidit: at mulieres vociferantes ora dilaniabant sua, tãquam esset actum de patre, sibique iam interitus immineret vniuersis. At Cyrus, imperato silëtio, rursus, Age, inquit, Armenie, (tuum enim ius quale sit, liquet) quid tu nũc consulis mihi vt secundum hæc faciã? Ibi tacuit Armenius, quòd dubius animi esset, consuleretne Cyro, vt se obruncaret, an cõtraria mõstraret iis, quæ se facturũ fuisse dixerat. Filius autem ipsius Tigranes, interrogauit Cyrum: Ac dic mihi, inquit, Cyre, quandoquidem pater videtur hæsitare, mène fas est consilium dare de illo, quod tibi in primis expedire existimem? Tum Cyrum, qui cum Tigraue eruditum quendam hominẽ versari, & apud eum in admiratione fuisse sensisset, quo tempore socium hunc venationis habuerat, admodum cupiebat audire, quidnam dicturus esset, iussitque audacter dicere quid vellet. Ego itaque, inquit Tigranes, si probas vel consilia vel actiõnes patris mei, planè suadeo vt imiteris: sin tibi videtur ille omnino peccasse, suadeo ne eum imiteris. Proinde, inquit Cyrus, quod iustum est id agens, minimè videbor imitari delinquentem. Ita est, inquit: & patrem meum pœnas dare, vt tu narras, oportet. siquidem iniustum pœnas dare æquum est. Sed tu vtrum censes, Cyre, satius esse bono tuo an malo, vt suppliciũ sumatur? Si malo, inquit, sic ego me ipsum supplicio afficiam. At tu profectò, inquit Tigranes, pœnam grauem sustineas, si tuos obrunces eo tempore, quo possessio eorum plurimi fieri debere videatur. Quo pacto verò, inquit Cyrus, plurimi faciendi homines tunc esse videãtur, cùm in facinore malo depræhensi sunt? an ita frugi fiunt? Mihi enim, ô Cyre, sic res habere se videtur, vt absque moderatione nulli vsui aliæ virtutes omnes esse possint. Nã quem fructum aliquis capiat ex robusto aut forti immoderato, itidẽmque ex perito rei equestris, quem verò ex opulento aut potente in ciuitate: Si assit autem temperantia, iam & amicus omnis utilis, & minister bonus fuerit. Hoc nimirum

rum ais, inquit, patrem tuum qui ante hoc tēpus nequam esset, vno hoc die frugi extitisse? Ita aio planè, inquit. Affectionem igitur tu esse temperantiam affirmas, sicut est ægritudo, non disciplinæ atque doctrinæ fructum? Haud enim, vt opinor. Siquidem prudentia non oportet carere eum, qui frugi futurus est, repentè existet hic de stolido. At tu, inquit, Cyre, nunquàmne comperisti vnum quempiam per stultitiam in certamen descendisse cum potiore altero, cùmque inferior fuisset, statim desuisse erga illū hoc modo desipere? Rursum non vidisti, inquit, aliquando ciuitatem, quæ alteri se ciuitati opponeret, ac mox superata, non magis repugnare, sed parère vellet? At tu quodnam, inquit Cyrus, patris tui supplicium narras, quò eum ad sanitatē mentis reuocatū affirmare possis? Quòd nimirum sibi conscius est, inquit, appetēdo libertatem ad extremā seruitutem se recidisse, & quæ ratus esset occultè anticipari aut armis obtineri oportere, in eis omnem se conatum frustratum esse. Te autem nouit iis, quibus fallere voluēris, ita se circumuenisse, vt si quis cæcos aut surdos, aut omni rationis vsu destitutos circumueniret. Quæ autem putaueris occultanda, ita scit clām habuisse, vt quæ ipse pro munitissimis locis duceret, iis nescientem eum planè septis quibusdam includeres. Celeritate verò sic illi fuisti prior, vt tua tanta expeditione antèuerteris eum cogentem copias suas præsentēs. Tibine verò, inquit Cyrus, videtur, ita superari satis valere ad instruendum mortales, vt intelligant, quinam sese potiores sint? Multò quidem magis, inquit Tigranes, quàm si quis acie victus sit. nam robore aliquis inferior aliquādo exercendo corpore eam facultatem se consecuturum confidit, vt certamē instaurari possit. Et captæ vrbes sociis ascitis instaurari bellum posse sperant. Quos autem potiores præstantioresque aliqui se ipsis esse ducūt, his plerumque sua etiam sponte parère volunt. Videre tu, inquit, in ea esse opinione, quòd petulantibus ac improbis ignoti sint ij, qui moderatione & virtute ipsos superant. itémque furibus, qui

non furantur, & mendacibus veraces, & iniustis iusti. An nescis, inquit, patrem tuum nos fefellisse, neque præstitisse ea de quibus conuenerat, cùm sciret nihil nos eorum, quæ Astyages pactus esset, esse transgressuros? At ego non hoc dico, inquit, quòd cognitos esse tatummodo eos, qui præstantiores sunt, mentes ad sanitatem reuocet, nisi etiã pœnæ præstantioribus persoluantur, quemadmodũ meus nunc pater persoluit. At enim, inquit Cyrus, tuus certè pater nihil adhuc etiam mali perpeffus est: verũm satis scio, quòd timeat, ne extrema omnia perpetiẽda sint. Arbitrarisne tu verò, inquit Tigranes, quicquam magis proflernere homines, quàm vehementem timorem? An nescis eos, qui efficacissima ad affligẽdum re, ferro ab aliquibus cæduntur, non dubitare tamen denuo cum iisdẽ manus conferere? Quos autem vehementer timent aliqui, eos ne consolatione quidem adhibita, intueri audẽt. Hoc narras, inquit, quòd timor grauius sit hominibus supplicium, quàm re ipsa affligi. Et tu, inquit, scis me vera loqui. non enim te fugit, quòd metuentes exilium, & prælium commissuri, in formidine ne vincantur, in magna tristitia versentur. itẽmque ij quibus impẽdet periculum naufragij, & qui metuunt seruitutem & vincula, hi quidẽ omnes neque cibum neque somnum præ formidine capere possunt. Qui verò iam extorres aguntur, quique victi sunt ac seruiunt, hi nonnunquã & cibo copiosiore, & somno diuturniore, quàm beati isti, vti possunt. Præterea hinc etiam liquet, quale onus sit timor. quidam enim præ metu ne capti morte multentur, mortem ipsi prius oppetunt, alij præcipitio, alij suspẽdio, alij ferro. Itaque ex omnibus terribilibus timor maximè percellit animos hominũ. Meum autem patrem, inquit, quomodo nunc esse affectum putas animo suo? qui non modò sibi, sed mihi etiam & mulieribus & liberis vniuersis metuit, ne seruiendum nobis sit. Tum Cyrus, Mihi quidem neutiquam, inquit, incredibile est, sic hunc iam esse affectum: sed videtur tamen in eodem homine accidere, vt & rebus secundis ad petulãtiam

tiam efferatur , & aduersis reprimatur , & mox nactus libertatem exultat animo , & rursus alteri negotium facerfat. Est quidem, inquit, profectò caussa , qua de caussa in his facinoribus fides nobis minimè habenda esse videatur : tibi tamen & præsidia oportunis locis imponere , & munitiones occupare , & aliis rebus prouidere licet , vt in fide maneamus. Ac nos quidem eos habituros es, qui non admodum offendamur his rebus , erit enim nobis in animo, quòd ipsi horum nobis autores simus. Si quem verò innocentem præfeceris imperio huic , cùm fidem nõ haberi appareat , vide ne tu simul beneficiũ in aliquos conferas , & ipsi te non credant sibi esse amicum. Sin odium illorum veritus , nullo iugo imposito cohercueris petulãtiam, vide ne magis opus tibi sit, illis ad sanitatem mentis reuocatis , quàm modò nobis fuit. At ego profectò, inquit, talibus sanè ministris, vt opinor , nequaquam libenter vsurus sim, si sciam coactos eos mihi inferuire. Quos autem scirem impulsos beneuolentiã & amore , ita officij sui studium adhibere, corũ ego etiam delicta ferre æquiore animo possem, vt arbitror , quàm obsequium inimicorum plenum illud quidem & abundans , sed expressum necessitate. Tum Tigranes, A quibus verò contingere tãta amicitia necessitudo tibi possit , quantam à nobis modò comparare licet? Ab iis, vt puto , qui nunquam hostes mei fuerunt , si in ipsos beneficij aliquid velim conferre, quemadmodum nunc à me petis, vt in vos conferam. An tu verò, inquit , Cyre, hoc tempore posses inuenire alterum , quem tot meritis obligares , quot conceditur nunc tibi deuincire patrem meum? Primũ, inquit, si cui vitam non adimas eorum, qui nulla te vnquam iniuria affecerunt , quam tibi illum gratiam debitũ esse existimas? Quòd si etiam vxorem & liberos non eripias alicui, nunquid hoc nomine amabit te hic potius , quàm is qui iure suos sibi eripi potuisse iudicarit? Scin verò nulli maiorem dolorem allaturam esse ademptionem regni Armeniorũ, quàm nobis? Qui autem molestissimo animo pateretur

se priuari hoc regno, ille certè maximã tibi, si regnum receperit, videtur gratiam habiturus esse. Iam si interesse aliquid putas, vt quàm minimè turbatas res apud nos discedens relinquant, cogita, vtrùm quies magis statu vetere permanente, an potius noua administratione instituta, duratura esse videatur. Quòd si etiam hinc quàm maximas copias educere volueris, quemnam alium existimabis magis futurum ad delectus idoneum, eo, qui crebros hos habuit? Item si pecunia tibi opus sit, nõne is rectissimè confecerit, qui & nouit & retinet sua bona? O Cyre, vir optime, caue ne nobis amissis, grauiore damno te afficias ipse, quàm lædi potuisses à patre meo. Ac ille quidem orationem habuit talem: Cyrus verò supra modum delectari hæc audiens, quòd existimaret perfici iam ea, quæ Cyaxari dudum recepisset se esse præstiturum. meminerat enim se dixisse, hoc effecturum, vt ille magis amico, quàm antè, Armenio vteretur. Post hæc igitur interrogat, Si nunc morem vobis geram, dic, inquit, tu mihi Armenie, quantas vnà mecum copias missurus, quantumque pecuniæ ad bellum contributurus es? Ad hæc Armenius, Nihil, inquit, Cyre, possum neque simplicius neque iustius respondere, quàm me exhibere omnes copias vellet, quæcunque mihi sunt, vt tu cõtemplatus statuas quantum abducere tecum, & quantum ad regionis huius custodiam relinquere velis. Eodémque modo quod ad pecunias attinet, æquum fuerit demonstrari tibi, quas habeo vniuersas, vt tu arbitrio tuo auferas quantum libuerit, & relinquant, quod fuerit visum. Tum Cyrus, Age, inquit, indica mihi quantæ copiæ tuæ, & expone quantæ pecuniæ sint. Ibi Armenius narrat, esse Armeniorum equites circitè octies M, peditum autem ad quadraginta milia: pecuniæ autè, vnà cum thesauris relictis mihi à patre, summa, inquit, ad argentum redacta, est maior tribus milibus talentorú. At Cyrus nihil cūctatus, Mittes igitur, inquit, mecum dimidium copiarum, quandoquidem hostes habes finitimos Chaldæos. de pecunia autè cùm tributi nomine

mine quinquaginta talenta persolueris hætenus Cyaxari, bis deinceps tantum pendes, ideo quia persolvere illa neglexisti: mihi verò, inquit, mutuo dato altera centum talenta, quæ ego, si Deus propitius fuerit, polliceor vel beneficiis erga te meis compensaturum, vel certè restitutum esse, si possim. Quòd si non possim, licet sanè alicui videatur facultatem hanc mihi defuisse, nemo tamen me iure vt iniustum sententia sua damnauerit. Tum Armenius, Obsecro te, inquit, Cyre, ne sic loquere: sin aliter, non potero bonum animum habere ego. tu verò existima, quicquid hîc reliqueris, non minus tuum esse, quàm ea quæ abstuleris. Esto, inquit Cyrus. Sed vt recipias vxorem tuam, quatum pecuniæ mihi numeraturus es? Quatum, inquit, possim. Quatum verò, vt liberos? Et pro his, inquit, quantum possim. Itaque hæc duplicant iam, inquit, priorem summam. Tu verò, ô Tigranes, inquit, dic mihi, quantum impenderes redemptioni vxoris tuæ? hic autem & maritus nouus erat, & supra modum amabat vxorem suam. Quin ego, inquit, Cyre, etiam animæ portione non dubitârim redimere hanc, ne seruilia illi ministeria obeunda sint. Tu itaque, inquit, abducito tuam. neque enim hanc captiuam esse iudico, quippe cùm tu nunquam fugam feceris. Etiam tu, Armenie, abducito & vxorem & liberos tuos, neque quicquam pro his persolueris, vt sciant sese cum libertate ad te transire. Et nunc apud nos cœnabitis, inquit: post cœnam verò conferatis vos licet, quocunque libuerit. atque ita illi ibi remanserunt. In tabernaculo autem post cœnam illis diuersantibus, interrogauit Tigranè Cyrus: Et dic mihi, inquit, vbinam ille est? qui socius noster fuit in venatione, túque eum valde mirari videbaris. Nonne enim, inquit, pater hic meus illum vira priuauit? In quonam, inquit, depræhensum facinore malo? Aiebat me ab ipso corrumpi. At in illo, Cyre, tanta honestas & virtus erat, vt cùm iã mors oppetenda esset, accersito me, diceret: Mi Tigranes, ne tu succenseas patri mortis meæ causa. non enim hanc infert ille mihi maleuolentia erga

te, sed potiùs ignorantia. Quæcunque autem peccantes aliqui per ignorantiam designant, omnia ea ego, inquit, per imprudentiam, neque voluntate fieri statuo. Ad hæc Cyrus, Miseret me hominis, inquit. At Armenius ita locutus fuit: O Cyre, etiam ij, à quibus depræhensi fuerint adulteri apud vxores, cum eos interimunt, non hæc caussantur, quòd mulieres suas illi reddiderint indoctiores, sed statuentes ademtam esse illis benevolentiam erga sese, ita hostium eos loco habent. Et ego, inquit, illi inuidebam, quòd videretur hoc perficere, vt ipse maiore in admiratione esset apud filium meum, quàm ego. Tum Cyrus, Profectò, inquit, Armenie, humanum hoc peccatum tuum mihi videtur esse: & tu veniam, ô Tigrane, patri dare debes. Ac tunc quidem post tales sermones &, quemadmodum par erat, pace facta, beneuolentiæ cõplexus, conscensis curulibus plaustris læti cum mulieribus aucti sunt: cumque domum fuisset peruentum, alius Cyri sapietiam prædicabat, alius fortitudinem, alius clementiam, alius pulcritudinem & proceritatem. Ibi Tigranes vxorem suam interrogat, Etiãne tibi, inquit, Armenia, pulcer visus est Cyrus? At ego profectò, inquit illa, non sum eum contemplata. Quem igitur alterum, inquit Tigranes? Eum nimirum qui dixit, se portione animæ suæ redempturum me, ne seruiendum mihi esset. Post huiusmodi, vt par erat, euentus, mutua quieti se dederunt. Postero die Armenius Cyro & toti exercitui munera misit tanquam hospitibus. Edixerat autem suis, qui ad bellum proficisci debebant, vt aessent ad diem tertium. Pecuniam verò, de qua Cyrus egerat, duplicatam ei denumerauit. At Cyrus nihil amplius accepit quàm dixerat, & reliquum Armenio remisit. Interroganti autem, vter exercitum ducturus esset, paterne an filius? simul pater respondit, vtrum ipse vellet: simul filius, se non passurum vt relinqueretur à Cyro, etiam si baiulum se sequi oporteret. Tum Cyrus arrisit, &, Quid, inquit, mereas, vt audiret vxor tua baiulum te esse? Nihil enim, inquit, hoc illi audito opus futurum est. mecum enim

eam

eam adducã, vt liceat cernere quicquid egero. Tempus, inquit, fuerit vasa iam colligere. Collectis, inquit, affuturos esse existima nos, ita vt pater instruxerit. Tunc igitur exercitus acceptus vt hospites, somnũ cepit. **P O S T E R O** die Cyrus assumto Tigraue, & præstantissimis de Medorum equitatu, suisque amicis, quàm multos tempus postulare videbatur, circumuectus regionem contemplabatur, considerãs vbi castellum muniri posset. Et progressus ad iugum quoddam, interrogat Tigranẽ, quinquam ij montes essent, de quibus Chaldæi decurrere, & prædas agere solerent? Quos cum Tigranes demonstrasset, rursus interrogauit, An deserti tunc illi essent? Minimè profectò, inquit, sed semper assunt aliqui illorum speculatores, qui significant aliis quicquid viderint. Quid faciunt igitur, inquit, vbi aliquid senserint? Concurrunt, inquit, ad defendendos montes quantum possunt. Hæc Cyrus cum audiisset, considerans animaduertit magnam partem soli Armenij desertã esse & incultam propter bellum. Ac tunc quidem ad exercitum discesserunt, & quieti se dederunt. Postero autem die & ipse Tigranes omnibus paratis aderat, & equitum ad milia quatuor coegerat, & sagittariorum ad decem M, & cetratorum tantumdem: Cyrus autem, dum cæteri congregabantur, sacris est operatus: hisque præclare litatis, Persarum & Medorum conuocatis ducibus, vbi illi conuenissent, hanc habuit orationem: O Socij, isti quidem, quos cernimus, Chaldæorum montes sunt: eos si occupauerimus & castellum munierimus, qua parte illi altissimi sunt, in officio manere necesse erit vtrisque, Armeniis inquam & Chaldæis. Ac quod ad sacra quidem attinet, litatum pulcrè est. Humanæ autem contentioni, ad rem perficiendam nihil æquè auxilio esse possit, atque celeritas. Si enim prius ad summum ascēderimus, quàm hostes conuenerint, aut omnino absque prælii locum tenebimus, aut paucos & infirmos aduersarios sumus habituri. Nullus igitur nunc labor suscipi poterit aut facilius aut minus periculosus, quàm vt nihil de celeritate remitta-

mus. Quocirca arma capite, & vos quidem Medi in sinistro latere eritis, vos autem Armenij dimidio copiarum uestrarum dextrum latus tenebitis, dimidium præmittetis, ut sint qui nos ducant. Vos verò equites à tergo sequimini, & nos cohortando & protrudendo fursum incitate, neque vllius ignauia indulgete. Hæc locutus Cyrus ipse præibat aduersos ordines dirigens. At Chaldæi ut impetum fursum tēdere animaduertent, confestim signum dare suis, & mutuo clamore congregari. Tum Cyrus confirmans suos, Nunc nobis, inquit, isti signum dant ut properemus. si enim priores nos montium iuga occupauerimus, nihil hostes facere poterunt. Gestabant autem Chaldæi parmas, & binas hastas: & perhibentur esse bellicosissimi illis in locis, & stipendia merent, si quis operam ipsorum requirat, quòd & rei bellicæ peritissimi & pauperes sint. est enim illa regio & montana, & paucis in locis opulenta. Cùmque copia Cyri iam propius accederent ad iuga montium, Tigranes qui proximus erat Cyro, Intelligisne, inquit, Cyre, prælij fortunam ad nos omnino iam pertinere? nam Armenij impetum hostium neutiquam excepturi sunt. Cyrus autem respondit, non esse sibi hunc euentum ignotum: & simul iubet paratos esse Persas ad insequendos hostes, ubi accessissent illi propius, adducti à refugiētibus Armeniis. itaque Armenij tum antecederant. Chaldæi autem qui ibi aderant, in Armenios appropinquantes cursu ferri, & vociferari more suo: Armenij verò impetum illorum non exceperunt, more & ipsi suo. Chaldæi autem dum fugientes insequuntur, conspicati tendentes aduersus sese fursum alios cum gladiis, nonnulli, qui propius accessissent, celeriter cadere, cæteri fugere, aliqui etiam intercipi. Iuga quidem montium euestigio occupata fuerunt: eaque cùm tenerentur à Cyri copiis, in conspectu erat regio, quæ à Chaldæis incolebatur, & fuga de proximis locis illorum animaduertebatur. Cyrus autem cùm vniuersi milites conuenissent, prandium parari iussit. Postquam verò pransi fuerunt, notato loco quem

quem pro specula Chaldæi habuerant, quòd & oportunos esset, & aquis abundaret, statim ibi castellum extruere cœpit: iussitque Tigranem missio nuncio patrem accersere, cum fabris & lapicidis, quotquot nancisci posset. Ac nuncius quidem ille ad Armenium proficiscebatur: interea pro copia præsentè extructioni Cyrus operam dabat. Eodem tẽpore adducti fuere captiui ad Cyrũ vinciti, inter quos & faucij erãt. Eos omnes, vbi primũ aspexisset, vinculis exolui, & accersitis medicis curari faucios iussit. Postea Chaldæis dixit, se non adesse vel ipsos extinguendi voluntate, vel cum eis belligerandi cupiditate, sed studio pacis faciendæ inter Armenios & Chaldæos. Neque me fugit, antequam essent in nostra potestate iuga montium, pace vobis opus nõ esse. Vestræ enim res in tuto erant: Armeniorum autem facultates vos rapiebatis & ferebatis. nũc quo in loco sitis, apparet. Sed ego vos liberos dimitto, qui capti estis, vobisque potestatem facio deliberãdi cum aliis Chaldæis: vtrũ bellum nobiscum gerere, an amicitia nostra vti velitis. Quòd si bellum vobis potiũs cordi fuerit, ne vos tunc, si sapitis, inermes huc redieritis: sin pace esse vobis opus videbitur, veniatis licet. Vt autem in coniũctione amicitia, res vestræ bene se habeant, mihi curæ est futurum. His auditis, Chaldæi multis verbis collaudato Cyro, & dextram eius amplexi, ita domum discesserunt. Armenius autem vocari se à Cyro, & de rebus ab illo gestis factus certior, venit quamprimũ ad Cyrum cum fabris, & aliis quibus opus esse arbitratus fuerat: cũque Cyrum aspexisset, O Cyre, inquit, quàm multas res homines aggrediũtur, cũ paucissimos euentus prospicere possimus. nam & ego nunc in conatu parandæ libertatis, in seruitutem maximam incidì: cũque iam capti essemus, & de salute desperatũ esset, incolumitatẽ maximẽ sumus consecuti. Qui enim nunquam destiterunt multis detrimentis nos afficere, illos cerno eò redactos, quòd semper optavi. Atque hoc scire debes, Cyre, inquit, vt de istis iugis repellerentur Chaldæi, me mul-

tipliciter tantum pecuniæ, quantū tibi numeravi, impen-
surū fuisse. Itaque iam præstitisti id, quod promiseras be-
neficium, cum pecuniam illam accipiebas. Quin nos etiā
amplius tibi nunc debere manifestum est, meritōque pu-
deat nos, si gratiam non retulerimus, nisi planè nihili si-
mus. Quicquid autem retulerimus gratiæ, id ad tanta be-
neficia tua collatum, non magno æstimandum esse certè
videbitur. Hac tum Armenius oratione fuit usus. Re-
uerſi fuerunt & Chaldæi orātes, ut Cyrus pacem faceret.
Tum Cyrus interrogans illos, Aliāne de causa, inquit, ô
Chaldæi, pacem nunc experitis, nisi quod existimatis tu-
torem vos in pace quàm bello vitam posse degere? post-
quam iuga mōtium in nostra sunt potestate. Assensū fue-
runt Chaldæi. Cyrus autē, Quid si, inquit, alia etiam com-
moda de hac pace vobis accedant? Nimirum maiori læti-
tiæ hoc, inquit, nobis futurum est. Estne igitur aliud,
cur pauperes vos esse credatis, nisi quod penuria soli ferti-
lis laboratis? Fassi fuerūt & hoc. Quid igitur, inquit Cyrus,
placētne vobis cōcedi ut colere solum Armenium liceat
quātum libuerit, si id, quod alij Armenij, præstare velitis?
Ita quidem, inquit Chaldæi, si fidem habeamus, nō vio-
latum iri nos. At tu Armenie, inquit, solūmne, quod nunc
negligitur, coli velles? si id quod consuetum est apud te,
præstaretur à colentibus. Respondit Armenius, Magno se
hoc emturum esse, quod fructus ita auctiores futuri sint.
Quid vos verò, Chaldæi, inquit, quandoquidem montes
habetis feraces pabuli, passurine sitis, ut his utātur Arme-
nij, si pro pastione, quod æquum videatur, persolvere ve-
lint. Assensū fuerunt Chaldæi, quod dicerent sine suo la-
bore utilitatem se præcipuam hāc esse percepturos. At tu
Armenie, inquit, vsurúsne sis pascuis istorum, si pro paruis
commodis quæ Chadæis à te contingant, multò maiora
ad te reditura sint? Maximè, inquit, si tutū sit nobis pasce-
re. Nunquid verò tutò pascere possitis, si in iugis auxilia
vobis præstò sint? Ita, inquit, Armenius. At nos profectò,
inquiunt Chaldæi, minimè tutò araturi simus non modò
istorum,

istorum, sed ne nostros quidem agros, si in istorum potestate iuga montium sint. Quid verò, si in iugis vobis, inquit, præstò sint auxilia? Sic, inquit, bene nobiscum agatur. At enim profectò, inquit Armenius, non bene nobiscum agatur, si isti potiti sint iugis mótium, præsertim munitis. Tum Cyrus ita locutus fuit: Sic igitur, inquit, faciam ego: neutris vestrum iuga tradam, sed nos custodes illorù futuri sumus: ac si alterutri ex vobis autores iniuriæ fuerint, cum læsis nos coniungemur. Hæc cùm audissent, approbarunt collaudantes vtrique, dixeruntque hac vnica ratione pacem firmam fore: & ita fide data acceptaque, conuenit, vt libertas constaret sua vtrisque: connubia autem & agriculturæ & pastiones communes essent: itémque societas belli gerendi, vtriscunque vis afferretur. Atque hæc tunc gesta ad hunc modum fuerunt. Ac nunc etiam ea, de quibus illo tempore conuenit, à Chaldæis & eo qui Armeniam tenet, seruantur. His actis, simul vtrique statim extructionibus operam dare, idque studiose, vt munitionem illam habituri communem, & simul importare commeatum. Appropinquante autem vespera, conuiuas Cyrus in cœna vtrosque esse suos voluit, quòd iam amici inter se essent omnes. Inter cœnandum autem vnus ex Chaldæis aiebat: Aliis quidem vniuersis Chaldæis optata illa accidisse, sed quosdam esse qui rapto viuerent, neque agriculturæ operam dare nossent aut possent, assueti victum armis quærere. semper enim latrocinatos fuisse & stipendia meruisse, sæpe apud Indorum regem, quæ auro abudare aiebāt, sæpe etiam apud Astyagē. Tum Cyrus, Quid obstat, inquit, quòd minùs & apud me stipendia mereant? dabo enim tantum, quantum nemo alius dedit vnquã. Placuit hoc illis, & multos, qui hoc facere velent, futuros esse aiebant. Dèque his ita illi tum consenserunt. SED Cyrus, cùm audisset, quòd Chaldæi in Indiam sæpe essent profecti, recordatus venisse à rege illo ad explorandas res Medorum quosdam, & discessisse eos ad hostes, vt quid apud eos fieret, etiam specularètur, vo-

lebat rescire, quid actum esset. Ita igitur loqui orsus fuit: Armenie & vos Chaldæi, inquit, scire velim, si quem ego ex meis ablegarem ad Indorū regem, an missuri sitis vnà aliquos vestrum, & itineris duces & negotij totius adiutores, vt ego obtinere possim ab Indo quæ cupio? Ego enim accedere nobis aliquid adhuc pecuniæ velim, vt sit vnde & stipendia abunde persoluantur quibus debebuntur, & meritis præmia ac honor tribuatur in exercitu. Hanc igitur ob causam quàm plurimum pecuniæ mihi suppetere velim. Cùmque opus mihi pecunia esse statuam, iucundū mihi videtur vobis parcere: ab Indo autem, si quid ille præbeat, libenter sim accepturus. Ac meus nuncius, cuius vos ductores & adiutores esse studeo, vbi illuc venerit, hæc dicet: Misit me, Inde, Cyrus ad te, tibi que significat, sibi opus esse pecunia, quòd expectet nouum exercitum Persicū. nam & expecto, inquit. Si igitur illi, quantū ferūt facultates tuæ, miseris: pollicetur, si Deus prosperum exitum concedat, se conaturum perficere, vt statuas te bene tibi consuluisse, hæc erga ipsum gratificatione. Atque hæc loquetur meus nuncius: vestris autem mandabitur, quod vobis conducere videbitur. Quòd si quid ab illo acceperimus, maiore iam copia vtemur: sin nihil acceperimus, sciemus nullam ei à nobis gratiam deberi, ac erit nobis ipsius causâ integrum, omnia secundum commoditates nostras administrare. Hæc Cyrus dixit existimans Armenios atque Chaldæos, qui proficiscerentur, ea dicturos esse de se, quæ ipse cupiebat omnes mortales de se & audire & loqui. Ac tum quidem vbi oportunum tempus visum, contubernium dissoluerunt, & quieti se dederunt. Postero die cùm Cyrus nuncium illum ablegaret cum mandatis, vt dixerat, etiam Armenius & Chaldæi, vnà miserunt eos, quos maximè idoneos esse iudicabant ad agendum & dicendum de Cyro, quæ conueniret. Post hæc Cyrus absoluto castello, & præsidio imposito, & importato commeatu, ex Medis præfecit quendam quem Cyaxari gratissimum fore arbitrabatur, & ita discessit abductis

ductis copiis tam cæteris, cum quibus aduenerat, quàm iis quas acceperat ab Armeniis & Chaldæis. Erant autem Chaldæorū circiter milia quatuor, quæ aliis sibi præstantiores esse videbantur vniuersis. Cùmque venisset in loca culta regionis, nemo domi remansit neque vir neque mulier, sed obuiam processerunt omnes gaudentes pacè, ferebantque & adducebant, quod quisque preciosum habebat. Neque Armenius his offendebar, quòd communi illo omnium honore magis lætari Cyrum arbitraretur. Tandem obuiam processit & vxor Armenij, adducens & filias, & filium natu minorem: interque alia dona aurum quoque afferebat illud, quod Cyrus dudum accipere noluerat. Hoc conspicatus Cyrus, Non vos tamen, inquit, efficietis, vt mercede passim beneficia conferam. Tu verò mulier, cum his pecuniis quæ affers, discedito: neque dederis illas Armenio vt defodiat denuo, sed de ipsis exornatum quàm pulcerrimè filium tuum militatum dimitte: de reliquis id comparato tam tibi quàm viro & filiabus & filiis, quo acquisito præclariùs & iucundiùs omne vitæ tempus degere possitis. terræ autem, inquit, sufficiat, vt post vniuscuiusque mortem corpora subter eam occultentur. Hæc ille locutus præteruectus est: Armenius autem vnà cum omnibus eum deducere, & appellare benefactorè, virum præstantem, fortem. Idque fecerūt, donec ad fines regionis peruentum fuit. Addidit autem Armenius ad priores & alias copias, quæ cum Cyro proficiscerentur, domi iam pace parta. Atque ita Cyrus cõstituta re pecuniaria discessit, nō modò pecunia accepta, sed ratione etiam explicata, vt sumere possset, quoties opus esset multò amplius. Ac tum quidè castris in finibus locatis, postero die exercitum & pecuniam ad Cyaxarem misit, qui propè erat, vt dixerat: ipse autem vnà cum Tigraue & principibus Persarum, venationi operam dare, vbicunque feræ inuenirentur, & ita sese oblectare. Cùm verò & ipse in Mediam peruenisset, pecunias distribuit inter centuriones, pro eo ac vnicuique satis esse arbitrabatur, vt & III



haberent quo honore afficerent, si quos suorum magnificerent. Statuebat enim ita totum exercitum se præclarum habiturum, si in eo singuli suam quisque partem laudabile præstaret. Ac ipse si quid fortè vidisset quod exercitum honestare possit, ea acquirere & donare iis solebat, qui maximè mereri videbantur. Ita enim statuebat, quicquid in exercitu laudabile esset & bonum, id vniuersum sibi ipsi esse ornamento. Quando autem accepta diuidebat, tali quadam oratione apud centuriones & aliorum ordinum ductores, & omnes quibus honorem habere volebat, palàm utebatur: Nunc lætitia quadam afficimur, ô amici: primùm, quòd accessio quædam bonæ copiæ facta est: deinde, quòd & honorem habere, quibus volumus, & quo quisque præmio dignus sit, æstimare possumus. Quapropter modis omnibus recordemur, quæ res horum bonorum causæ sint. Si enim cõsiderare volueritis, reperietis has in vigiliis necessariis, & laboribus & accelerando & cedendo hostibus. Par igitur est ut & in posterum quoque viri fortes simus, statuentes, singularem voluptatem & ingentia commoda conciliari obsequio, & patientia & tempestiuis laboribus ac periculis. Cùm autem Cyrus videret eam esse in militibus suis firmitatem corporum, ut labores militiæ perferre possent, & id animorù robur, ut contemperent hostes, neque defici illos scientia eorum, quæ usus armorum in vnoquoque requireret, esseque ad parandum quemque ducibus suis præclare paratos: ita tum gestiebat aduersus hostes rerum aliquid gerere: quòd intelligeret ductoribus sæpe inter cunctationes bene etiam præparata labefieri, & videret in contentionibus ambitionem militum iam ad mutua odia procedere. His igitur de causis educere illos quamprimùm cupiebat in agrum hostilem. communia enim pericula sociorum mutuam benevolentiam excitant, & tunc non inuidetur neque pulcris armis præditis, neque gloriæ belli cupidis: sed qui tales sunt, magis laudant & amplectuntur æmulos, quòd statuunt illos se & laborum & communium bonorum socios habitu

habituos esse. Tum itaque primùm omnium, exercitum armis instruxit, & ordinibus distinxit, quàm potuit optimè, & præclarissimè: deinde cōuocauit præfectos decem milibus, & tribunos & centuriones, & ordinum in centuria præcipuos ductores. Hi enim extra numeros ordinū liberi erant, ac quoties præstò esse ipsi imperatori, aut denunciare aliquid oportebat, ne sic quidem vlla pars carebat magistris, sed & duodenis & senis aliqui præerant, à quibus reliquæ omnes copiæ instruebantur. Cùm autem ij conuenissent quos vocare opportunum esse censuerat, deducere illos Cyrus, & ostendere ea, quæ præclara, & docere qua parte sui firma essent auxilia. Postquam autem perfecerat, vt ipsi amore iam flagrarent rei aliquid gerendi, iubebat vt ad ordines illi suos discederent, & milites docerent ea, quæ à se didicissent, & conari, vt omnes ad militiæ cupiditatem incitari possent, quò maximè alacri animo in hostes proficiscerentur: adesse autem manè ad fores Cyaxaris. Ac tum quidem illi discesserunt, ac fecerunt quod iusserat Cyrus: postero autem die cum prima luce aderant ad fores, ij, quos oportebat. Cum his igitur ingressus ad Cyaxarem Cyrus, talem habere orationem instituit. Scio equidem, inquit, ô Cyaxares, quòd ea quæ dicturus sum, tibi non secus quàm nobis iam dudum cordi sint: sed fortasse eloqui pudet, ne mentionem facere te expeditionis aliquis arbitretur, quòd stipendia nobis dare graueris. Postquam igitur tu files, ego loquar, & tua & nostra vice. Nostrum enim omnium sententia fert, cùm instructi iam simus, neutiquam tum demum præliū committere, cùm hostes in nostram regionē irruerint, neque residentes hîc apud nostros illos operiri, sed quā primùm hostium regionem petere. Nunc enim in tua regione commorantes, multa tuorum inuiti violamus: in hostium autem regionem progressi, illorum agros cum voluptate populabimur. Ac nunc tu magnis impensis nos alis: educto autem exercitu res necessarias ex agro hostili quæremus. Præterea si periculum nos illic maius, quàm

hîc, maneret, fortasse id quod tutissimū esset, eligere præstaret: nunc autem iidem illi erūt, siue hîc cum eis agredientibus nos decertemus, seu in ipsorum regionem progressi his occurramus. Nos etiam iidē erimus, siue aduenientes huc excipiamus, seu prodeuntes contra eos ita prælium committamus. Verū multò erunt præstantiores & firmiores animis milites nostri, si vltro aduersus inimicos procedere non dubitauerimus, neque vitauerimus aspectum hostium. Multò etiam his formidabiliores erimus, si illi audierint non residere nos domi & cum pauore ipsos metuere. Itaque quoniam eos accedere cōstat, nos obuiam eamus, vt manus conferamus quamprimū, neque expectemus, dum nostrum solum vastetur, sed anteuertamus, & ipsorum terram depopulemur. Quòd si illos timidiore, & nos ipsos confidentiores reddere possimus, ingens hoc profectò lucrum, vt opinor, fecerimus: & ita nobis minus, hostibus autem plus periculi futurum esse duco. Nam & pater meus ait, & tu dicis, & consentiunt alij omnes, Quòd prælia decernantur animis potiùs, quàm corporum robore. Atque Cyrus quidem ita locutus fuit. Cyaxares autem respōdit: Neque tu Cyre, neque vos Persæ alij, suspicari debetis, me grauari dando vobis stipēdia: sed in agrum hostilem iam progredi mihi quoque videtur esse melius. Quoniam igitur omnium est eadem, inquit Cyrus, sententia, restat vt ad iter accingamur: & si res diuina permittat, egrediamur quamprimū. Post hæc iussit milites paratos esse Cyrus, & ipse sacrificiis operam dabat, Iouis primū Regis, deinde & aliorum Deorum. & orabat, vt propitii & beneuolētes esse, & se duces, commilitonēsque & socios bonos, & consultores rerū vtilium præbere vellent: inuocabat simul & heroas terram Medorum incolentes atque curantes. Ac cū iam pulcrè litatum, ac copiæ ad fines confertæ essent, tunc itaque, bonis auiibus, impressionem in solum hostile fecit. Et fines transgressus statim & Tellurem ibi placare libationibus, & Deorum solique Assyrij incolarum heroum sacrificiis fauo-

fauorem expetere. Quibus peractis rursum Ioui patrio rem diuinam fecit, neque vllum neglexit Deorum, quicumque alius præterea offerretur. Hîsque omnibus ritè perfectis, rectà producto peditatu non longo itinere castrorum locarunt, sed equitatus excursionem, copiosam & multiplicem prædam ceperunt: deque cætero mutantes castra & populantes regionem expectabant hostes. Cùm verò iam illi accedere, neque longiùs itinere decem dierum abesse dicerentur, tunc Cyrus, O Cyaxares, inquit, tempus est vt producamus copias, ne vel hostibus vel nostris metu reprimi videamur, quò minùs illis occurramus, sed vt declaremus potiùs nos neutiquam defugere prælium. Quod cùm Cyaxari pariter placeret, ita deinde instructo agmine accedebãt ad hostes, itineribus diurnis iis, quæ conuenientia maximè viderentur: cœnare autem solebant, cùm adhuc luceret: ac noctu ignes non in castris faciebant, sed ante castra, vt ipsi accedentes quidem ad discernere per ignes, non videri autem ab illis possent. Sæpe etiam vt hostes fallerent, post castra ignes faciebant. itaque exploratores interdum in primos custodes incidebant, rati se adhuc procul à castris abesse, quòd post illa essent ignes. Iam verò cùm exercitus propinqui essent inter se, Assyrij & coniuncti his, fossam sibi circumdederunt: id quod nunc etiam faciunt Reges barbarici, quibus castra facile est fossa cingere propter hominum multitudinem. sciunt enim exercitum equestrem noctu tumultuosum esse, & vsum habere difficilem, præsertim barbaricũ. nam compeditos equos habent ad præsepia: & si quis illos adoriatur, opus plenum laboris est, noctu equos soluere, frænare, insternere, itémque loricam induere. iam, vt equis inscensis per castra vehantur, fieri nullo modo potest. Hæc ob causam & alij, & isti munitiones sibi circumdant, quòd existiment, cùm sint in tuto, penes se esse ne contra volùtatem suam prælio decertare cogantur. Hæc cùm ab illis fierent, ita appropinquare sibi cœperunt: cùmque accedentes abessent interuallo passuum quatuor fer-

mè milium, Assyrij quidem eam in castris locandis rationem secuti fuerunt, quam exposuimus, ut locus illorum fossa cingeretur, essetque expositus oculis: Cyrus verò quàm maximè poterat, in occulto castra habere, & obii-cere his vicos atque tumulos, quòd arbitraretur hostilia omnia desubitò apparentia, maiorem incutere terrorem aduersariis. Ac illa quidem nocte, ut par fuit, custodiis dispositis, utriusque somnum ceperunt: postero autè die Assyrius & Crœsus & alij ductores, intra munitiones quiescere copias iusserunt: Cyrus autem & Cyaxares instructis suis prætolari, ut si hostes propiùs accessissent, dimicaret.

Cum verò hostes extra munitiones non prodire, neque illo die prælium commissuros esse appareret, Cyaxares vocato Cyro, & aliis quos adesse oporteret, sic fuit locutus: Mea est sententia, inquit, ô Socij, ut instructa acies est, ita accedere ad illorum munitiones, & declarare quòd ad decertandum simus parati. sic enim, inquit, si non contrà ipsi prodierint, nostrorum animi magis confirmabuntur ad alios congressus: hostes autem perspecta confidentia nostra, vehementiùs pertimescent. Ac Cyaxaris quidem hæc erat sententia: Cyrus verò, Ne per Deum immortalem, ô Cyaxares, sic faciamus, inquit. nam si iam palam productis copiis, ut tu censes, ita accedamus ad hostes, illi agmen nostrum absque omni formidine contem-plabuntur, non ignari se extra periculum esse, neque quicquam aduersi sibi posse accidere: cumque iam rursus recedemus, tum perspicient quantæ sint copiarum nostrarum, & has suis longe esse inferiores militum numero cognoscet, atque ita despicient, posteroque die prodibunt animis firmioribus. Nunc verò cum adesse quidem nos sciant, sed non habeant in conspectu, crede mihi, neutiquam nos contemnunt, sed magnæ curæ hoc negotium sibi esse sinunt. Atque ego plane scio, non cessare eos verba de nobis facere. Verum postquam illi prodierint, tum oportebit, simul nostrum ipsis conspectum offerri, simul statim impressionem fieri in depræhensos, eo loco ubi dudum depræ

deprehendi optauimus. Hæc cum Cyrus dixisset, idem & Cyaxari & aliis visum fuit. Ac tunc quidem post cœnam custodiis constitutis, & ignibus ante has incensis, quieti sese dederunt. **P O S T E R O** autem die manè, Cyrus coronatus sacrificare cœpit, & iussit ibidem apud sacra ad se coronatos compares quoque. Peracto autem sacrificio, conuocatis illis, dixit: **Dij** quidem, **Cômilitones**, quemadmodum vates aiunt, & mihi etiã videtur, prœlium futurum esse denuntiant, & victoriam largiuntur, & promittunt incolumitatem, per exta. Me verò sanè pudeat, si nunc monere vos velim, quid hac in re fieri oporteat, cum sciã eadem vos, quæ ego teneo, & tenere, & exercuisse, & audiisse, & audire assiduò, vt esse iam ductores aliorum posse videamini. **Quòd** si fortè minùs illa intellexistis, audite: **Quos** enim socios paulo antè asciuimus, & conamur pares reddere nobis, iis in memoriã vos reuocare oportet, & qua de causã Cyaxares nos aluerit, & quæ fuerint exercitationes nostræ, & ad quæ illos cohortati simus, cum dicerent se libenter velle nobiscum cõtendere. Atque hoc quoque in memoriã illis reuocate, hodiernum diem declaraturum esse, quid præmij vnusquisque meritis esse videatur. **Quæ** enim serò homines didicerunt, de his non est mirum, si qui monitoribus indigeant, ac bene cum his agitur, si etiam de subiectione, esse viri boni possint. Hæc autem cum agetis, periculum simul etiam sui ipsius vnusquisque vestrum facturus est. nam tali tempore, qui alios meliores reddere potest, is nimirum sciet animo suo, quòd ad perfectam bonitatem peruenerit. In quo autem monita tantum hæc hæserint, & qui his contentus fuerit, is semiperfectum se esse statuere debet. Cur autè non ego illis ipse hæc commemorè, sed vos referre iubeam, causã hæc est, quòd, & vobis vt placeant, studere illos cupio, qui apud eos versamini, vt cuique parti quisque præpositus est. Id autè vobis persuasum sit, si illi vos animo forti esse perspexerint, futurum vt & hos & alios multos ad fortitudinem, non oratione sed re ipsa instruatis. **Tãdem** abi-

re eos & prandere coronatos iussit, & libationibus peractis, ita cum coronis accedere ad ordines. Cùmque hi discessissent, accersitis deinde iis, qui vltimis locis ordinum curabant, hæc apud eos verba fecit: Vos, ô Persæ, & inter Compares relati & delecti fuistis, vt qui cæteris quidem rebus pares præstantissimis, ætate autem etiam prudentia excellentes videremini. Ac vos locum etiam non minus honestum tenetis, quàm illi, qui apud primos curant. ponè sequentes enim, cùm fortes intuemini ac meliores redditis acclamando, tum si quis ignauus esse velit, etiam hunc intuentes nequaquam hoc illi permiffuri sitis. expedit autem vobis, ac si cui alteri, vt superiores sitis, cùm propter ætatem, tum propter vestium pondus. Quòd si antecedentes vos fortè inclamauerint, & ad sequendum fuerint cohortati, respondete his obtemperando, & videte ne hac etiam parte inferiores sitis, quò minùs vicissim illis acclametis, vt celeriter præire & ducere in hostes velint. Ac vos quidem abite, inquit, & prandete, & ad ordines redite cum cæteris coronati. Apud Cyrum quidem res ad hunc modum gerbantur: Assyrij autem pransi audacibus animis prodibant, & valida horù acies instruebatur, cùm ipse Rex curru præterueheretur, & illos instrueret, & cohortaretur his verbis: Nùc, Assyrij, viros vos esse fortes oportet. instat enim modò certamen & de vita vestra, & solo in quo nati, & domiciliis in quibus educati estis: itémque de nostris coniugibus & liberis, & vniuersis facultatibus ac bonis. Victoria enim potiti, horum vniuersorum, quemadmodum hætenus, domini futuri estis: sin victi fueritis, scire debetis, hæc omnia vos hostibus esse prodituros. Quibus igitur victoria cordi est, state & pugnate. stultitia enim est qui superiores esse cupiant, eos fugientes opponere hostibus cæcas partes & inermes has & carentes manibus. Stultus etiam is est, qui quòd viuere velit, fugiendum sibi esse existimat: non ignarus, victores salutem conseruare, & amittere hanc fugientes, multo citiùs quàm resistentes. Stultus est is quoque, qui

cùm

cùm pecuniæ cupidus sit, se vinci patitur. Quis enim ignorat, quòd victores & sua retineant, & eorum insuper quos vicerunt, fortunas adipiscantur? at victi, & se ipsos & sua omnia amittunt. Ac Assyrius quidem in his erat: Cyaxares verò mittit nuncium ad Cyrum, & significat, tempus esse aggrediendi hostes. Quamvis enim pauci extra munitionem prodiissent, interea tamen dum copiæ ipsorum adducerentur, multos futuros esse. Minimè igitur operiendum, ne ab illis vincerentur ipsi numero, sed contrà eundem, dum quidem adhuc in procliui esse victoria videretur. Cyrus autem Cyaxari respòdit, Nisi erūt plures parte dimidia ij, quos vicerimus, planè scito, & dicturos eos esse, quòd multitudine ipsorum percussī paucos adorti simus, nec existimatos esse, quòd victi sint. Altero igitur iam prælio tibi opus erit, quo fieri potest, vt rectiùs illi rebus suis cõsulant, quàm modò, cùm se nobis quasi præfectis penui tradiderunt, vt liceat cum quotcunque nobis visum fuerit, decertare. Ac nuncij quidem his auditis discesserunt. Chrystantas verò Persa interea aduenit, & alij quidam Compares, adducentes transfugas. Ibi Cyrus, vt par erat, percũctari transfugas de rebus hostiũ. Illi verò narrabant, quòd & iam prodirent armati, & rex eos instrueret progressus & ipse, & quòd cohortatione vteretur copiosa & vehemente ad eos quicumque prodissent. ita enim referre eos qui audiissent. Tũ Chrystantas, Quid, inquit, si & tu Cyre conuoces nostros milites, dum adhuc conceditur, & studeas cohortatione tua reddi illos meliores? Cyrus verò, Mi Chrystanta, inquit, ne tibi istæ Assyrij cohortationes molestæ sint. nulla enim ita præclara admonitio esse potest, quæ ignavos, quo die audierint, eo statim fortes efficiat. Non enim certè hæc sagittatores fecerit, ex iis, qui nullum sagittarum vsum habeant: non item iaculatores, non equites, non firma corpora eorum, qui exercitatione omnẽ fugerint. Sed satis, inquit Chrystantas, fuerit, ò Cyre, si cohortãdo animos horum firmiores reddas. Poteritne igitur, inquit Cyrus, vna vno die

pronuntiata oratio, & pudore animos audientium complere, & à turpitudine auertere, & monendo demonstrare, quòd laudis cupiditate, & labores omnes suscipiendi, & pericula omnia adeunda, quòdque statuendum hoc certò sit sententia vniuscuiusque, In prælio cadere satius esse, quàm fuga quærere salutem? Nunquid huiusmodi, inquit, sensus si inscribi debeant hominibus, & esse durabiles, primùm necesse est, vt leges sint eiusmodi, quibus fortibus vita honorata & liberis digna cõcilietur, ignauis verò humilis & molesta & cum morte cõmutanda omni tempore proposita sit? Deinde opus, vt opinor, erit præceptoribus & magistris, qui illis præfiantur, quique & exemplo & doctrina ad tales actiones eos affuefaciant, donec insitum hoc ipsum fuerit, vt statuunt, Esse fortes & laudatos reuera beatissimos, ignauos autem & illaudatos miserrimos ducant. Ita enim solere animatos esse eos, apud quos potior sit disciplina, quàm metus hostilis. Quòd si quis iam copiis armatis ad prælium prodeuntibus, quo tempore multi etiã obliuiscuntur doctrinæ prioris, tum igitur, si quis possit defubitò concinnata oratione perficere, vt bellatores illi reddantur, omnium rerum facilima res fuerit, tam discere quàm docere eam virtutem, quæ inter homines est maxima. Ego verò, inquit, ne eos quidem firmos futuros esse, policeri mihi ausim, qui nunc apud nos exercitati sunt, nisi in vos etiã omnes intuerer, qui & exemplo vestro, quales esse oporteat illos, instruere, & si quid exciderit, subiiciendo monere possitis. Apud eos autem, qui ad virtutem nullo pacto instituti sunt, mirum sanè videatur, ô Chrysaonta, si plus proficere possit de virtute & fortitudine præclara habita oratio, quàm apud imperitos Musicæ carmen bonum, de cuius concentu illi artem Musicam percipiant. Hos dum inter se sermones habent, mittit Cyaxares denuo nuncios, significans non rectè facere Cyrum, qui tempus terat, neque quãprimùm ducat copias in hostes. Tum igitur Cyrus nunciis respondit ad hunc modum: Planè sciat, inquit, Cyaxares, nondũ prodiisse

prodiisse tam multos, quàm oporteat, atque hoc renunciare illi coram omnibus. quia tamen ei ita videtur, iam copias sum ducturus. Hæc locutus, & votis illico susceptis, produxit exercitum. cùmque producere cœpisset, præibat ille iam celerius. hi verò nihilo minus & ordines seruabant sequentes, (quòd didicissent longòque vsu sci-
rent procedendo ordines seruare) & pergebant strenuè, propterea quòd & æmulationes inter ipsos, & corpora laboribus corroborata, & omnes qui principem locum tenebant, Magistri essent. Erat etiam iucunda illis expeditio, quòd prudentes essent, & scirent, ac iampridem cognouissent, nihil esse tutius neque facilius, quàm comminus cū hostibus congregi, præsertim sagittatoribus his & iaculatoribus & equitibus. Cùmque adhuc extra telorum ictus essent, pronuciari iussit Cyrus militarem tesseram, Iupiter socius & dux: cùmque relata fuisset tessera reddita vicissim, ibi tum præana Castoribus, vt mos fert, exorsus fuit, militésque vniuersi religiosè simul insonuerunt voce magna. Talibus enim temporibus, quos diuinū nomen timore afficit, ij minus hominum metu perturbantur. Præane decantato, simul Compares progressu lætantes, bene instituti, conuersis in sese mutuo oculis, appellâtes alter alterum manipularis circum & post se nomine, & crebrò hoc modo: O carissimi amici: &, O fortissimi viri pergitte, ita ad sequendum sese inter se cohortabantur. simul, qui ponè sequebantur, ij vicissim cohortabantur principes, vt strenuè præirèt. eratque Cyri exercitus plenus alacritate, cupiditate laudis, robore, confidentia, acclamatione, modestia, obsequio, qualis, vt opinor, maxime formidabilis esse solet aduersariis. Sed Assyriorū copiarum quæ de curribus propugnare cōsueuerant, postquam appropinquauit Persicum agmen, conscensis curribus recesserunt ad suos: sagittarij verò & iaculatores & funditores illorum, tela coniecerunt multo prius quàm hæc ad hostes peruenire possent. Cùmque accedentes Persæ conculcarent iam emissa tela, tum Cyrus ita locutus fuit:

Viri fortissimi, nunc tempus est ut aliquis procedendo specimen sui edat, & simul hanc monitionem tradat aliis. At ita prodentibus illis hæc aliis, in animi alacritate & contentione ac impetu, dum festinant manus conferere, procurrere quidam cœperunt, eosque mox tota phalanx curriculo secuta fuit. Etiam ipse Cyrus non iam pedetentim, sed quasi oblitus sui curriculo præire, simulque hæc proloqui: *Ecquis assequitur? ecquis vir fortis? ecquis primus hostem sternet?* At illi audientes hæc, idem loqui: *utque ipse pronunciarat, ita hoc transire per uniuersos, Ecquis sequetur? ecquis vir fortis?* Atque hoc Persæ modo in hostes ferebantur. Sed hostes diutius consistere non potuerunt, tergâque vertentes confugere ad munitionem. Persæ autem per aditus insequentes dum illi protruduntur & alter alterum premit, interfecerunt multos: alios in fossas delatos, affilientes conciderunt, tam homines quam equos. quidam enim currus in fossas fuga incitata, delati fuerant atque compulsi. Tum & Medorum equites, his animaduersis, in aduersariorum equites inuehi: at illi declinare, neque hos excipere. erantque iam & hominum & equorum fuga, & cædes. Qui autem constiterant intra munitionem Assyriorum, supra caput fossæ, sagittas aut iacula in eos, à quibus sui occidebantur, emittere neque cogitabant neque valebant, ad terribilia illa spectacula metu torpentes. Ac mox cum animaduertissent quosdam ex Persis, ea parte qua aditus erant intra munitiones, iter vi patefecisse, versi in fugam etiam fossarum capita deseriebant. Conspicatarum autem mulieres Assyriorum ac sociorum fugam, quæ iam in castris fieret, exclamare & discurrere attonitæ, aliæque præferentes liberos, aliæ, ut iuuenulæ, lacerantes vestes, oraque dilaniantes, obsecrare, ut quemque obuiam habuerant, ne fugerent, & sese hostibus relinquerent, sed ut liberos ac coniuges & salutem propriam defenderent. Ibi demum reges ipsi cum iis, quibus maximè fidebant, resistere ad portas, & capita fossarum conscendere, & ipsi prælium committere, & alios ad

certa

certamen cohortari. Quod cum Cyrus fieri cerneret, veritus ne, si maximè per vim irrupissent in castra, detrimenti aliquid pauci à multis acciperent, pronunciarì ut retrocederent, donec essent extra ictus telorum, & ut parerēt, iussit. Ibi agnouisset aliquis Compares & bene institutos. repente enim & ipsi parere, & aliis denunciare. cumque iam extra ictus telorum essent, aptius illico quàm vllus cœtus Musicus constiterunt, quòd quisque sciret, quem locum occupare deberet.

XENOPHONTIS DE CYRI DISCIPLINA

LIBER QVARTVS.

* *
*



YRVS cum paulisper illo in loco exercitum continuisset, & se ad dimicandum esse paratum declarasset, si quis prodiret: postquam egrediebatur nemo, ita tunc copias abduxit, tam longè quàm conuenire videbatur, & castris positis, cum & custodias locasset, & exploratores præmisisset, constitit in medio, conuocatisque militibus sic locutus fuit: O Persæ, primùm ego pro mea virili Deos laudibus celebros, & idem vos omnes facere puto, cum salui & incolumes victoria potiti sumus, & ob hæc declarare nos voluntatè grati animi quacunque re poterimus, oportet. Atque vos ego vniuersos laudo. nam hoc opus præclarè ab vniuersis vobis absolutum est. Quid autem præmij vnicuique debeat, postquã ex iis, vnde par est, rescuero, id ut pro suo cuique merito persoluatur, ego operam daturus sum. De Chryfanta autem, quem centurionem proximum habui, nihil opus est percunctatione, qualem ille se gesserit. noui enim ipse. Hic & alia omnia,

quæ vestrū, vt opinor, vnusquisque) & ipse executus fuit. Cū autem receptū canere iussissem, & cum nominatim appellassem, stricturn ille gladium tenens vt percussurus hostem, statim attendit ac paruit, & omisso quod facturus fuerat, id fecit quod erat imperatum. nam & recepit ipse sese, & celeriter, quid imperatum esset, significauit aliis. Itaque prius extra tela abduxit suam centuriā, quā hostes animaduertent receptum nostrum, & vel arcus contendere vel tragulas conuicere possent. Vnde & se & suos integros obœdiendo præstat: aliis autem, inquit, vulnera inflicta esse video. de quibus ego, re cognita, quo tēpore illa acceperint, ita sententiam de eis pronuntiabo. Sed Chryfantam, & in opere bellico strenuum, & virum cogitantem, & idoneum ad imperandum & parendum, tribunatus honore in præsentia afficio. Si quid autē præterea boni Deus largietur, ne tum quidem ipsius obliuiscar. Vniuersos quidem vos etiam admonēdos, inquit, duxi, nam quæ vidistis ipsi in hoc prælio, eorum cogitationem nolite vnquam deponere, vt apud vos statuatis semper, vtrū virtus magis, an fuga cōseruet vitam: & vtrū melius agatur cum iis, qui dimicare volūt, an qui nolunt: & quanta voluptas ea sit, quæ ex victoria percipitur. Hæc diiudicare facili nunc poteritis, quod & periculum horū fecistis, & negotium est recēs. Atque hæc quidem, inquit, considerantes ad virtutē aliquid proficere poteritis. Nūc verò, vt & dis cari, & fortes ac moderati viri, cœnam instruite, & Deos libationibus placate, & præana exordimini, & simul vt imperatum fiat, prouidete. Hæc locutus ascendit in equum ac prouehitur, & venit ad Cyaxarem. cūque eò, vt par erat, lætitiā cōmuni affectus, & iis quæ ibi fiebant, cognitis, & percunctatus nūquid vellet, ita reuehitur ad exercitum suum. Iamque Cyri milites cœnati & dispositis custodiis, quieti sese dediderant: Assyrij verò, quorum & dux, & vnā cum hoc fortissimus quisque mortuus esset, omnes in maxima tristitia erant: multi etiam eorum noctu aufugere ex castris. Hoc Cræsus & alij fugij
ani.

animaduertentes ægrè ferebant. omnia enim plena erant difficultatum: sed terrorem augebat, quòd ea natio, cuius principatus esset, & animis & consiliis destituta esse penitus videretur. itaque castra relinquunt, & discedunt noctu. Cùmque dies illuxisset, & hostium castra militibus vacua esse cernerentur, statim traducit Cyrus Persas primos. Relicta autem erant ab hostibus & pecora multa, & boues multi, & multa plaustra referta bonis plurimis. Tù deinde eò transferunt & Cyaxaris Medicæ copiam omnes, & ibi prandium apparauerunt. Post prandium autem conuocatis centurionibus suis, hanc apud eos orationem habuit Cyrus: O Persæ, quantum boni dimittere nos existimandum, cùm hæc nobis dii largiantur? Quòd enim hostes aufugerint, ipsi nimirum cernitis. Eos verò qui desertis munitionibus quas tenerent, aufugiunt, an putat aliquis facturos vt resistat, si in planicie nos cõspicati sint? Iidemque non antè experti arma nostra, cùm non sustinuerint impetum nostrum, quomodo victi nunc & miserè afflicti à nobis, hunc sustinebunt? Et qui fortissimos viros amiserunt, quomodo ipsi longè illis futiliores inducent in animum, vt nobiscum depugnent? Ibi quispiam, Quin igitur quamprimùm persequimur, inquit, quandoquidem tam manifesta sunt cõmoda? Quia enim, inquit Cyrus, equis nobis opus est. præstantissimi enim inter hostes, quosque maximè oportunum fuerit aut capere aut obtruncare, ij equites erunt. quos in fugam vertere, Diis fauentibus, nos quidem poterimus, vt autem persequentes etiam capiamus, ad hoc vitium nobis satis non erit. Quin igitur, inquit, accedis ad Cyaxarem, & hæc illi narras? Vos igitur, inquit, sequimini, & mecum vnà accedite vniuersi, vt intelligat, eadè hæc vobis placere omnibus. Ibi igitur secuti omnes & ea locuti fuerunt, quæ conuenire petitioni illi viderentur. Cyaxares autem, simul quia ipsi huius rei mentionem facere inceperant, quasi subinuidere, simul arbitrari fortasse, optimum esse non exponi denuo rem periculo, (nam & fortè hilaritati indulgebat, & videbat idem

ab aliis plerisque Medorum fieri.) ideo respōdit: Vos quidem, ô Cyre, Persas omnium mortalium maximè operā dare, ne voluptatis immodica aliqua cupiditate afficiamini, cum audiui, tum ipse cōspicatus noui. Ego autem in ea sum opinione, multò esse vtilius, vt in maxima voluptate continentiam aliquis suam declaret. Estne verò aliud quidpiam, ex quo maiorem voluptatem homines capere soleant, quàm fortuna prospera? quæ nobis hoc tempore obtigit. Quandoquidem igitur prospera fortuna vtimur, si cum moderatione hanc tueamur, fortasse per felicitatē, sinēque periculis senes fieri possimus: sin immoderatè in hac nos gesserimus, & alios atque alios euentus persequi voluerimus, videndum ne accidat nobis id, quod multis & in mari accidisse narrant, qui dum in fortunæ prosperitate finem nauigandi facere nolunt, in exitium delati fuerunt, & victoria potitis multis dum alterius victoriæ desiderio tenētur, vt amiserint etiam antè partam. Siquidem etenim hostes pauciores ipsi fugerent, ita illos pauciores insequi nos tutò fortasse possemus: nunc verò cogita, quota pars sit illorum, cum qua cōgressi nos vniuersi vicimus, cæteri prælio abfuerūt. quos si non coegerimus vt nobiscum dimicēt, ita illi ignorātes & sese & nos ipsos per incitiam atque ignauiam discedent: sin intellexerint in periculo se nihilo minùs fore discedentes quàm resistentes, videndum ne ipsos cogamus, vt necessitate sint fortes, quamvis voluntas absit. Scire enim debes non te magis cupere coniugibus ac liberis illorum potiri, quàm ipsi eosdem cupiant cōseruare. Cogita verò hoc quoque, quòd sues quoque in fugam vertuntur, quamvis magno numero cum sobole sua conspecti: postquam autem aliquis cœpit venari sobolem eorum, tum non amplius vel si vna tantum illa bestia sit, fugere solet, sed fertur in conantem sua sibi rapere. Modò etiam isti inclusi à se ipsis in loca munita, potestatem nobis concesserunt quasi promendo cōstituere, quotnam placeret prælio adoriri: vbi verò illos in campo aperto atque lato aggressi fuerimus,

& ipsi

& ipsi didicerint suas copias sibi diuidendas esse, ita alij vt aduersus nos, quemadmodum modò consistant, alij, vt in hoc, alij vt in illud latus, alij etiã vt à tergo impressionem faciant, vide ne singulis nobis opus futurum sit multis oculis & manibus. Præterea nolim ego, inquit, Medos, quos iam cerno hilares esse & lætos, rursus excitare & cogere prælium adire. Ibi Cyrus respondens, At tu neminem, inquit, coëgeris, sed eos mihi tradito, qui sua voluntate sequi voluerint. Fortasse etiam ita reuertemur, vt tibi & istis amicis tuis singulis ea adducamus, quibus omnes lætitia afficiamini. nam totas copias hostium nequaquam sumus persecuturi. quo pacto enim assequi illas possimus? sed aliquam partem auulsam ab exercitu, aut relictam, si depræhendere concedatur, eam ad te reuertentes adducemus. Cogita verò & hoc, quòd te petente aduenimus gratificantes tibi longo itinere. itaque & te æquum est gratificari nobis vicissim, vt nos ipsi aliquid adepti domum redeamus, neque semper intentos habeamus oculos in tuum thesaurum vniuersi. Tum Cyaxares deinde, At enim, inquit, si quis sua voluntate sequatur, ego tibi hoc quoque nomine gratiã sum habiturus. Mittito igitur quempiam ex præsentibus fide dignis, qui tua mandata exponat. Ito sanè, inquit, assumpto eo quem volueris. Aderat tunc fortè is, qui se aliquãdo Cyri cognatũ esse dixerat, & quem Cyrus fuerat osculatus. Statim ergo Cyrus, Ito, inquit, sum contentus. Eat igitur, inquit, iste tecũ. Et dicito tu, inquit, licere vt cum Cyro proficiatur, quicumque voluerit. Itaque adhibito illo Cyrus exiit. Atque egressus statim ait, Nunc scilicet tu demonstrabis veritate dixisse, cum affirmares te delectari cõspectu meo. Nequaquã igitur te, inquit Medus, relinquã destituens, si hoc sibi volunt dicta tua. At Cyrus, Nũquid verò, inquit, alios studiose etiã adduces? Ita ille Iouem testatus, profectò, inquit, donec perficiã, vt tu quoque me libenter videas. Atque tũ ille à Cyaxare missus, cum alia nunciãdo executus fuit animo pròto, tum hoc adiecit, quòd nullo modo ipse

quoque destituere vellet virum præstantem virtute atque forma, & quod maximū esset, oriundū à Diuis. HÆC dum à Cyro aguntur, adueniunt & legati Hyrcaniorum, planè diuinitus. Sūt autem Hyrcanij finitimi Assyriis: gēs laud magna, & ideo subiecti Assyriorum ditioni: egregij quidem equites esse & tunc visi sunt, & nunc videntur. & eam ob rem is vsus fuit illorū apud Assyrios, qui Sciritarum est apud Lacones, vt nihil penitus parcerent operæ ipsorum, vel in laboribus, vel in periculis. Atque tunc etiā iusserant eos seruare in extremo agmine, qui essent equites numero circiter mille, vt si quid à tergo terroris accederet, hi præ cæteris illud exciperent. Itaque Hyrcanij, quòd postremi in itinere futuri essent, postrema etiam habebant tam plauftra sua, quàm seruitia. Ita enim plerique Asiatici militant, vt adducāt suos domesticos vniuersos. Et erat tunc militia Hyrcaniorum talis. Quòd autem ad animum tunc reuocarent Hyrcanij, quid ab Assyriis perpeterentur, quòdque amisissent mortuum ductorem suum, & esse victos se, inque exercitu plena omnia formidine, & socios animis percussis destituere Assyrios, ita statuerūt eo saltem tempore defectionem fore opportunam, si exercitus Cyri vnà secū Assyrios aggredi vellet: atque miserūt legatos ad Cyrum. nam ex commisso prælio maximè increuerat celebritas nominis ipsius. Sed qui missi erant, dixerunt Cyro, quòd odissent Assyrios iure, & modò si adoriri illos vellet, se & socios & ductores habiturum eum esse. Simul etiam cum his narrarunt, quo in loco res hostium essent, ideo nimirum, vt ad exercitū educendum quàm maximè impellerent Cyrum. Ibi interrogauit eos Cyrus, Et arbitraminè, inquit, posse eos à nobis deprehendi, priusquam intra munitiones perueniant: nos enim infeliciter accidisse ducimus, quòd nos aufugiendo fefellerūt. Hæc autem ita loquebatur, quòd Hyrcanios quàm maximè fiducia sui animis cōfirmari vellet. At illi responderunt, quòd etiam postero die, si expediti pergerent, deprehensuri ipsos essent. nam propter promiscuā turbam & plau

& plaustra progredi eos otiose. Simul etiam, inquit, quia nocte superiore tota vigilarunt, nunc parum per progressi castra fecerunt. Tum Cyrus, Habetisne, inquit, demonstrare nobis, quod fides fiat, quæ memoratis esse vera? Obsides, inquit illi, hac statim nocte prouecti adducere volumus: tu modò, Diis testibus fidem & dextram nobis dato, vt ad alios ea, quæ acceperimus nos abs te, afferre possimus. Post hæc fides datur ipsis, si præstent ea, quæ dicta sint, se ita iis amicis scilicet esse vsurum, vt neque Medis neque Persis apud se Hyrcanij inferiores sint. Et nunc quoque licet cernere Hyrcanios eo loco haberi, tam fidelitatis nomine quàm honorum dignitate, quo Persas & Medos, si quorum meritis præmia pariter deberi videtur. Postquam cœnati fuerant, eduxit exercitum Cyrus, cum adhuc lux esset, iussitque operiri Hyrcanios vt vnà proficiscerentur. Persæ quidem vniuersi, quemadmodum par erat, prodierat statim, itémque Tigranes cum suis copiis: Medorum autem prodierant alij, quod pueri cum puero Cyro amicitiam iunxerant: alij, quod in venatione vnà versati, mores ipsius admirarentur atque suspicerent: alij istam gratiam persoluètes, qui magnum metum amouisse crederetur: alij in spe, quod appareret esse Cyrum præstantem virtute virum, fore eundem itidém valde & fortunatum & potentem: alij gratiam referre studebant benemeritis in se collatis, eo tempore quo puer apud Medos fuerat Cyrus educatus. Multis autem multa commoda ille per humanitatis studium ab auo, impetrando conciliauerat. Multi etiam Hyrcaniis conspectis & dissipato rumore, quod ductores illi futuri essent, ad multa bona, prodierant prædæ causa. Atque ita & Medi propemodù vniuersi prodierunt, exceptis iis qui in contubernio Cyaxaris erant. hi enim remanserunt, & horum potestati subiecti: ceteri verò omnes lætis & promptis animis alacriter egressi fuerunt, quippe haud necessitate coacti, sed voluntarij, & gratiam officijque sequentes. Iamque egressis omnibus, primùm accessit Cyrus ad Medos, collaudatis

que ipsis, precatus est: Maximè quidem, vt Deos haberent tam Medi, quàm Persæ propitiòs duces: tum deinde, vt ipse etiam prompti istius animi obsequij gratiã eis referre posset. Tandem dixit, in primo agmine processuros esse pedites, ipsosque cum equis iussit sequi: & sicubi vel acquiescerent vel detinerentur in itinere, iussit ex ipsis ad sese aliquos aduehi, vt cognoscerent omnium occasionũ momenta. Atque ita deinde Hyrcanios duces itineris esse iussit. Ibi illi interrogarunt, Cur non operiretur obsides quos promisissent? donec hos adducamus, vt tu quoque accepta à nobis fide, ita pergas. Atque ferunt respondisse Cyrum: ita enim dixisse cogitans statuo: Habere nos certam fidem omnes in animis & manibus nostris. Sic enim eenseo nos esse paratos, vt satis nobis virium ad benefaciendum vobis, suppetat, si reperiamini veraces: sin fallere velitis, eos nos esse statuimus, vt nos haud simus in vestra potestate, sed vos potiùs, Diis volentibus, in nostra futuri sitis. Verumenimvero, ò Hyrcanij, quandoquidem dicitis postremos procedere vestros, vbi illos conspexeritis, significate nobis, quòd vestri sint, vt ipsis parcamus. His auditis Hyrcanij, duces quidem esse itineris, sicut iussi fuerant, robur autem animi in Cyro admirari, neque iam metuere vel Assyrios, vel Lydos, vel socios in bello, sed id modò vereri, ne Cyrus planè existimaret parum in eo momenti, siue adessent ipsi siue abessent. Progredientibus autem eis, cùm iam nox aduenisset, fertur lux clara Cyro & exercitui oblata esse cælitùs, vt existeret in omnibus & numinis diuini respectu horror, & confidentia aduersus hostes. Quòd autem expediti & celeriter procederent, longum scilicet iter confecerunt, & cum crepusculo appropinquarent ad copias Hyrcaniorum. Hoc cognito, legati Cyro narrant, esse istos suos, quod dicerent ita se nouisse, quia & postremi essent, & multos ignes accendissent. Ex hoc alterum ipsorum mittit ad illos, qui nunciaret, si amici sint, vt occurrat statim, porrectis dextris. mittitque vnà etiam quosdam ex suis, & iussit dici Hyrcaniis, id factu

idfacturos sese esse, quod ab illis aduehēdo fieri vidissent. Atque ita manet alter legatorum apud Cyrum, alter ad Hyrcanios aduehitur. Cyrus autem dum attendit Hyrcanios, quid facturi illi sint, sustinuit exercitū. Ibi aduehuntur ad eum principes Medorū & Tigrānes, interrogantque, Quid facere debeant? At Cyrus, Iste, inquit, propinquus exercitus Hyrcaniorum est: & iam alter ex legatis abiit vnā cum quibusdam nostrorum ad ipsos, vt si amici sint, iubeant occurrere eos nobis, porrectis dextris, vniuersos. Si itaque hoc fecerint, dextras, iis dabitis vos omnes, in quemcunque vestrum quisque incidērit, & simul cōfirmabitis animos illorum. Sin arma expēdierint, aut voluerint aufugere, primum est, vt statim conemistorum relinquere neminem. Atque hęc præcipiebātur à Cyro. Sed Hyrcanij nunciis auditis lætati fuerunt, & equis saltu ascēsis, statim affuerē dextrāsque porrexerūt, quemadmodum facere iussi fuerant. Medi autem & Persæ vicissim dextras dare, & animos ipsorum cōfirmare. Post hęc Cyrus, Nos sanē, ô Hyrcanij, inquit, iam fidem vobis habemus, vósque erga nos similiter affici par est. Sed hoc primum nobis dicite, inquit, quanto interuālo is locus distet hinc, in quo principes sunt hostiū, & totæ copię? Responderunt illi, paulo longiūs passuum milibus quatuor. Ibi tum Cyrus dixit, Agite vos, inquit, ô Persæ & Medi, vósque Hyrcanij (iam enim vós tanquā socios atque participes alloquor) planē scire debetis, quod eo loci simus, vt cessantibus atque remittentibus nobis tristissimi euentus propositi sint. norunt enim hostes, quarum rerū causā aduenerimus. Sin verò totis viribus impressione facta, robur animique feruorem aggrediendo hostes adhibuerimus, videbitis statim, non aliter, quā serui dum aufugiunt & retrahuntur, alios ipsorum supplicantes, alios fugientes, alios ne eos quidem, qui in hoc animum possint intendere. Et aspicient enim nos victi, & ita deprehendentur, vt qui neque aduenturos esse nos crediderint, neque habeant instructos ordines, neque ad præ-

lium sunt parati. Si igitur velimus suauiter & cenare, & pernoctare, & reliquã vitam degere, nihil illis ocij relinquamus, vel ad deliberandum, vel præparandum quod ipsis expediat, ac ne cognoscendum quidem, nos esse homines, dum statuunt in sese nihil nisi parmas, secures, gladios & ictus irruere. Vos etiam, ô Hyrcanij, inquit, ita præcedite ante nos, vt nobis vos prætendatis, vt dum vestra arma in conspectu sunt, quàm longissimo tempore hostes fallamus. Vbi verò ad hostium ego exercitum accessero, singuli apud me turmam vnã equitum relinquetis, qua ad castra remanens, si opus sit, vtar. Vos autem qui principes & seniores estis, ordines totis copiis inuehendo seruate, si sapitis, ne fortè in aliquas totas copias incidentes, aduersariorum viribus repellamini: iuniores verò ad insequendũ hostes dimittite. hi iam obtruncanto. nam in præsentia hoc tutissimũ est, vt quàm paucissimos ex hostibus relinquamus. Iam si (id quod accidit multis, vt in victoria fortunam euerterent.) contingat, obseruãdum cauendũque est, ne quis ad prædam cõuertatur. Nam hoc faciens non in virorum numero, sed baiulorum est: & licet tali iam, qui volet, pro mancipio vtatur. Id autem planè sciendum est, nihil esse quæstuosius ipsa victoria. Victor enim simul omnia corripit, viros, mulieres, bona, ipsam denique terram vniuersam. Itaque solum hoc videte, vt victoria potiamur. Hac enim ipsa is quoque qui prædas agit, compræhenditur. Hostes etiam insequendo simul memineritis reuerti ad me, dum adhuc lux sit. nam in tenebris admittetur deinde nemo. Hæc locutus dimisit ad suos quosque ordines, & iussit pergentes simul suis quemque decurionibus eadem significare, (in frõte enim decuriones erant vt facillè exaudirent) & iubere eosdem suæ quemque decuriæ denunciare. Atque exinde antecedere Hyrcanij: ipse autem in medio agminæ cum Persis progredi, turmis equitum vtrinque, vt conueniebat, collocatis. Cùmque iam lucefceret, inter hostes alijs admirationi hæc species esse, alij rem iam intelligere, alij
quid

quid fieret nunciare, alij vociferari, alij equos soluere, alij vasa colligere, alij à iumentis arma deiicere, alij arma capere, alij ascendere repente equos, alij fræna his iniicere, alij mulieres in vehicula imponere, plurimi autem, quæ preciosissima habebant, ea apprehendere vt conseruarentur, non etiam nulli inter defodiendum illa capiebantur: estque existimandum alia multa atque varia eos tunc fecisse, sed qui decertaret, inueniebatur nemo, interibantque omnes absque certamine. Cræsus verò Lydorù rex, quòd æstatis tempus esset, mulieres curulibus plaustris noctu præmiserat, vt in frigore iter esset facilius, & ipse vnà cum equitatu sequebatur. Idemque fecisse & Phryga aiunt, eū sub cuius imperio esset Phrygia ad Hellepontum. Vbi verò fugere aliquos hi seque assequi senserunt, re comperta, etiam ipsi se summa contentione dare in fugam. Cappadocum autem & Arabiorum regem, qui propè adessent & adhuc resisterent, nondum loricatorum Hyrcanij interficiunt. Qui autem occidebantur, eorù maxima pars fuit Assyriorum & Arabiorum: qui, quòd in suam regionem venissent, minimè festinanter iter facerent. Ac Medi quidem & Hyrcanij ita se, nimirum victores, insequendo gerebant: Cyrus verò relictos apud se equites iussit circū castra inuehi, & si quos armatos egredi conspexissent, eos obtruncare. Remanentibus autem præconio denunciauit, vt milites hostium, equites, cetrati, sagittarij arma colligata afferrent, equos verò in castris relinquerent, quod qui non fecisset, eum statim capite priuatum iri: gladios autem strictos habentes in manibus, ita instructi circumdabant castra. Qui itaque arma habebant, illi abiicientes ea, in vnum locum quo iussi fuerant, deferre, & hæc comburere ij, quibus erat mandatū. Cyro autem veniebat in mentem, quòd accessissent sine cibo & potu, in quorum penuria neque in exercitu durari, neque aliud quicquam rerum geri possit; atque cogitans, quo pacto copia illorum quàm celerrimè atque reatissimè existeret, animaduertit omnibus militantibus

opus esse aliquo, qui & tabernaculi & rerum necessariarū, quæ aduētantibus militibus paratæ essent, curam susciperet. Ac intellexit sanè, quòd istud genus maximè omniū in castris reliquū esse conueniat, quippe colligendis vasis occupatū. Præconiū igitur fieri iussit, vt adessent apud se procuratores vniuersi: sin procurator alicubi non extaret, senior in tabernaculo: qui non paruisset, ei mala interminatus est omnia. At isti cū dominos obtēperare cernerēt, statim paruērūt. Cūque aduenissent, primū assidere eos iussit, qui haberēt plus rerū necessariarū seu comeatu in tabernaculo, quàm quod in mēses duos satis esset: quibus visis, iussit deinde assidere eos, qui plus quàm quod in mensem vnū: in his autē fuere qui assiderent, fermè vniuersi. Cūque hæc cōperisset, ita eos allocutus est: Agite ergo, inquit, vos quibus mala odio sunt, & qui boni quidpiā cupitis à nobis adipisci, diligentiam adhibete, vt cibus ac potus in suo cuiusque tabernaculo paratus sit, tã dominis quàm famulis, duplo copiosior, quàm parare cotidie cōsueuistis. cætera etiã omnia epulas præclaras efficiētia, facite vt sint in prōtu. Mox enim affuturi sunt vtrique vicerint, & æquū esse cēsebunt suppetere necessaria omnia, ita vt nihil desit. Quapropter scitote è re vestra esse, vt accipiatis illos sine querela. Atque his auditis, magno studio isti rem mandatā exequi: ipse verò cōuocatis centurionibus, verba ad hunc modum fecit: Mei amici, quòd liceat nobis prandio, præ socijs absentibus, nec non esca potūque exquisito vti, intelligitis. Sed mihi videtur non plus vtilitatis ex isto prandio nos percepturos, quàm si nobis socios curæ esse appareat, neque de hoc conuiuio tantum virium accessurum esse, quātum, si possumus perficere, vt paratioribus animis sint socij. Quòd si eos, qui iam persequuntur & obtruncant hostes nostros, & aduersarios in prælio, vsque adeo negligere videbimur, vt nos pransos esse prius constet, quàm sciamus quid illis fiat, verendum est, ne & turpitudinis ita nobis macula aspergatur, & in sociorum penuriã debilitentur vires nostræ.

nostræ. Curæ autem eos esse alicui, qui laborem perferunt & ad eunt pericula ut necessaria suppetant aduentibus, talem profectò escam magis nos oblectare debere aio, quàm si statim ventri iam gratificando obsequamur. Etiã hoc cogitate, inquit, quamvis non deberemus pudore affici illorum causâ, non conuenire tamen iam expleri nos & fieri ebrios. nondum enim ea nobis confecta sunt, quæ volumus, ac sunt in discrimine adhuc præsentia omnia, diligentiam requirentia in primis. Habemus enim in castris multò plures numero hostes, quàm sumus nos, & eos solutos, à quibus & cauendum nobis, & iidem custodiendi sunt, ne desint ij à quibus res nobis necessaria parentur. Absunt à nobis equites quoque qui sollicitos nos habent, vbi nam sint; & si aduenerint, nunquid apud nos remanere velint. Itaque ego, commilitones, censeo eiusmodi cibum capiendum nobis, itémque potum, cuiusmodi conducere aliquis maximè arbitratur, ut neque somno neque dementia repleatur. Scio etiam magnam pecuniarum copiã esse in castris istis. Neque me fugit de istis rebus cõmunibus eorum, qui vnà nobiscum ceperunt, posse nunc subtrahendo quantũ libeat, à nobis demi. Mihi verò nequaquam videtur plus in eo lucri inesse, ut aliquid præripiamus, quàm si iustitia nostra perspecta, hoc comparemus, ut maiore quàm dudum beneuolentia illi nos complectantur. Censeo etiam diuisionem prædæ committendam esse, vbi aduenerint, Medis & Hyrcaniis & Tigrani. Atque hi si fortè minus nobis tribuerint, id ponere in lucro. Lucri enim ipsi gratia libentius apud nos remanebunt. Nam potiores in præsentia esse auctioresque partes nostras, id haud diuturnas nostras diuitias exhibere possit. Verùm his omissis, ea parare, vnde enascuntur diuitiæ, id profectò, mea quidem sententia, exhibere poterit diuitias magis perennes tam nobis quàm nostris vniuersis. Sum autè in ea opinione, quòd domestica quoque exercitatione assuefacti simus, superiores nos esse ventre & intempestiuo lucro, ut vbi res ferat, utroque illo

ita utamur, quemadmodum conducatur: in quibus autem potioribus specimē demus disciplinæ, quàm præsentibus rebus, equidem hæud video. Atque fuit ille quidem ita tunc locutus: approbavit autem orationem eius sua Hytaspas Persa, vnus ex paribus dignitate, tali quadã: Absurdum quippe sit, ô Cyre, cùm in venatione sine cibo sæpe numero perduremus, ut belua quapiam potiamur, non magni fortasse etiam precij: in eo verò conatu, ut omnis fortunæ copiam venemur, si patiamur inferri nobis impedimenti aliquid, ex iis, quæ dominantur illa quidem hominibus prauis, sed in potestate sunt bonorū & fortium, nequaquam fecerimus, quod nos decere videatur. Atque hæc Hytaspæ fuit approbantis dicta Cyri oratio, quibus sunt assensu cæteri omnes. Agite ergo, inquit Cyrus, quando quidem eadem omnium vestrum sententia est, ex singulis præcipuis ordinibus virtute inprimis præstantes quinos mittite ad obeundum castra, iique quos viderint occupatos parandis necessariis, eos collaudent, negligentiores castigent nihilo parcius quàm domini. Hæc dum ab istis fiunt, ex Medis quidam aduehi cum plaustris, quæ præcedendo abacta fuerant, & ab ipsis depræhensa atque conuersa, omnibus quibus in exercitu opus est, referta: quidam etiam plaustra curulia (in quibus erant mulieres principes, partim coniuges partim concubinæ, quæ propter formam vnà ducerentur) capta adducere. Omnes enim nunc quoque Asiatici ita militant, ut in militia secū habeant quæ preciosissima sunt, quod dicant, se esse ad præliandum paratiores, in præsentia eorum quæ sunt carissima. nam necesse esse, ut animosè pro his depugnent. Et est hoc sanè verū fortasse, fortasse tamen faciunt istud voluptatibus etiam indulgentes. Cyrus autem cernens Medorum Hyrcaniorūque facinora, sibi quodammodo ac suis succensere: quod cæteri eo tempore florere in prælio magis quàm ipsi, necnon acquirere aliquid viderentur, cùm ipsi ociosiore loco desidendo remanerent. Etenim qui adduxerant quidpiam, ij quid adduxissent,

ubi Cyro demonstraerant, auchi rursus ad persequendos alios. nam ut hoc facerent, à suis sibi ductoribus mandatum esse aiebant. His cum Cyrus morderetur, adducta tamen suis locis reponebat: conuocatis autem rursus centurionibus, constitit eo loco, ut quæ dicerentur exaudiri possent, & orationē hanc habuit: Nemo nescit, ut opinor, ô amici, si quæ apparent in conspectu nostro, ea retineamus, ingentia bona Persis conciliatum iri, maximæque adeo nobis, quorum opera sunt parta. Quo pacto autem in nostra illa potestate futura sint, si non sufficiant vires ad ea acquirēdum, quod proprium equitatum Persicum non habeamus, id equidem non dispicio. Ita enim quæso cogitate, inquit: nobis Persis arma sunt, quibus cōgredientes nobiscum videmur profligare: profligatis verò quibus vel equitibus, vel sagittariis, vel iaculatoribus periculum sit, ne fugientes à nobis compræhendantur & interficiantur? quibus autē metus, aggrediēdi & lædendi nos, sagittariis, iaculatoribus, equitibus? cum sciant nullū imminere periculum, ne quid mali à nobis perpetiēdum ipsis sit, haud magis quàm à consitis arboribus. Quæ cum ita sint, nunquid euidens est, eos equites qui assunt apud nos arbitrari, quæcunque in potestatem nostram peruenerunt, non minus sua esse quàm nostra? immo profectò magis fortasse. Ac nunc quidem ita necessariò hæc sese habent. Quod si equitatum nos quoque parauerimus, nō deteriorē quàm ipsorum est, nōne perspicuū est omnibus, futurum tunc, ut & aduersus hostes eadem possimus efficere sine his quæ modò cum ipsis, & eos habeamus modestiùs erga nos affectos? Quoties enim adesse abesseve voluerint, minus hoc curæ nobis futurum est, si absque eis satis præsidij, ipsis futurum sit in nobis. De his igitur nullius contraria, ut opinor, futura sentētia est, quin adeo multum referat nostra, ut in hoc sita sint omnia, habere Persas proprium equitatum. Verum istud fortè vobis in animo est, quanam ratione ille confici possit? Consideremus itaque, si equitatum constituere placeat, & quid sup-

petar, & quid desit nobis. Equi scilicet hîc multi sunt de-
 præhensi in castris. sunt & fræna, quibus equi reguntur.
 sunt & alia, quibus opus est ad vsum equorum. Quin etiã
 habemus ea, quibus vti equites oportet, loricas quidẽ ad
 corpora munienda, tragulam verò, qua vti liceat & con-
 iiciendo & retinendo. Quibusnam verò opus est præter-
 ea? nimirum viris opus est. Hoc sanè nos habemus potif-
 simúm. nihil enim tam nostrum est, quàm nosmetipsi no-
 bis. At dicet fortasse quispiam, Esse nos imperitos. Ne pe-
 ritorum quidem iam quisquam, antequam disceret, fuit
 peritus. Pueri autem, dixerit aliquis, illi didicerunt. Estne
 verò in pueris maior animi vis ad discendum ea, quæ di-
 ctantur & demonstrantur, quàm in viris? Vtri autem ma-
 gis sunt idonei ad elaborandum corporibus, si qua didi-
 cerint, puerine an viri? At qui nobis ad discendum conce-
 ditur tantum ocij, quantú neque pueris neque virilis æta-
 tis aliis. Non enim sagittas emittere nos iam discere ne-
 cesse est, vt pueris. iam pridẽ enim scimus. Neque cõiice-
 re iacula. scimus enim. Iam neque, itidem vt aliis, vel agri-
 cultura, vel alia artificia, vel res domesticæ, nobis negotia
 exhibent. Nobis verò vt in militia versemur, non ocium
 modò est, sed imponitur necessitas. Eiusmodine verò res
 equestris est, qualia sunt in bello alia multa, difficilia at-
 que graua, sed tamen vtilia? Immo equestris res & in iti-
 nere iucundior, quàm pedes incedere, & vbi studium re-
 quititur, nõnne iucundum est celeriter apud amicum, si
 opus sit, adesse, & celeriter tam hominem quàm feram
 data occasione insequi atque præhendere? Nõnne autem
 alleuat hoc, quòd arma, quæ gestanda sunt, ea simul equus
 gestat? Quod autem aliquis fortasse vereatur, ne pericli-
 tandum prius in equo sit, quàm equitandi opus elabora-
 tum, atque ita ij euadamus, qui neque equestri neque pe-
 destri rationi satisfacere possimus, ne id quidem inexpli-
 cabile est. vbi enim libuerit, licebit nobis peditibus statim,
 prælium cõmittere. non enim certè pedestrem discipli-
 nam dediscemus, discendo equestrem. Ita loçuro Cyro:

oratio

orationem approbatam sententiam ipsius subiicit Chry-
 santas talem : At ego, inquit, ita cupidus sum disciplinæ
 equestris, ut statuam, si eques factus sim, hominem me vo-
 laticum fore. Nunc enim ego sanè satis habeo, si in cursu
 æqualis incitatione, capite saltè eminēdo alterū antever-
 tam, siue conspectā cursu prætereuntē feram omni con-
 tentione præuerti ita possim, ut iaculo aut sagitta feriam,
 priusquam prorsus longè absit: eques verò factus, potero
 scilicet tunc è longinquo oculorum prospectu euertere
 alterum, potero & feras insequens, has ictas comminus,
 illas iaculo coniecto tanquam astantes. Nam in vtriusque
 celeritate appropinquantia duo sibi, inftar sunt insisten-
 tium. Quo autem nomine, inquit, maximè admiror ex
 omnibus animantibus Hippocētauros, si qui fuere, quòd
 & ante consilium capere intelligentia humana, & mani-
 bus, quo opus esset, præclarè efficere potuerunt, & equi
 habuerunt celeritatem atque robur ad capiēdum fugien-
 tia & remanentia prosternendum: ea ego omnia eques
 factus ad me comporto. In me enim prouidentia erit hu-
 manæ rationis nimirum & intelligentiæ: manus autem
 arma gestabunt, & aderit equus ad persequēdum, aduer-
 sariūque equi viribus prosternetur. Non tamen concre-
 tus deuinciar, sicut Hippocentauri. Præstat autem scilicet
 ita esse, quàm cōcretum. Nam Centauros equidem arbi-
 tror non habere, quo pacto utantur multis ab hominibus
 inuentis bonis, itémque quomodo frui conueniat mul-
 tis quæ natura equis iucunda procreātur. Ego verò scien-
 tia equitandi instructus, ubi in equo confedero, opera ni-
 mirum Hippocentauri effecturus sum: ubi verò descen-
 dero, & cœnabo, & vestiar, & dormiam, sicut homines cæ-
 teri. Quid aliud igitur nisi Hippocentaurus fio, qui diui-
 datur, & rursus cōponatur? Præterea hac in auctiore parte
 ero, quàm Hippocentaurus, quòd scilicet ille oculis vide-
 rit duobus, & duabus auribus audierit, ego verò exploran-
 do oculis iam quatuor prospectabo, & quatuor præsentia
 auribus. Nam multa aiunt equum præuidentem oculis

declarare hominibus, multa item audientem declarare
 auribus. Meum igitur nomen, inquit, perscribito inter cu-
 pidos equitandi. Ita profectò, inquit cæteri cuncti, etiam
 nostra. Tum deinde Cyrus: Quia igitur de his firma est
 sententia vestra, quid, si legem quoque nobis condamus:
 Turpe esse eum, cui equus à me attributus sit, peditem in
 via conspici, siue longa seu brevis ea facienda sit? vt homi-
 nes esse nos omnino Hippocentauros opinentur. Atque
 ita tunc interroganti illi assensu fuere cuncti. Et ex eo ad-
 huc cõsuetudo permanet ista apud Persas, Neque ex bo-
 nis honestisque viris quisquam, quod quidẽ per eum stet,
 peditem se ingrediendo vsquam conspici siuerit. In istis
 sermonibus dum hi versantur, iam dimidium diei præ-
 terierat, & aduentabant equites Medi & Hyrcanij, addu-
 cebantque equos & viros captiuos. nam qui arma tradi-
 didissent, eos non interfecerat. Cyrus autem aduectos per-
 cunctatus est, primùm, Essentne sibi omnes incolumes &
 salui? Cùmque esse se dixissent, ibi deinde interrogauit,
 Quo pacto rem gessissent? At illi narrare quæ egissent, &
 quàm fortiter singula, magnificè prædicare: ipse verò au-
 diebat cum lætitia, quæcũque commemorare voluissent,
 & deinde collaudauit eos hoc modo: At enim perspicuũ
 est, inquit, fuisse vos viros fortes. nã & grandior est, & pul-
 crior; & elatior species vestra, quàm dudum. Postea per-
 cunctatus ipsos est, & quantum viæ inuehendo confecis-
 sent, & an regio haberet incolas? Ipsique dicere, & lógo se
 spacio prouectos esse, & totam regionem habere incolas,
 referram ouibus, capris, bobus, equis, frumentis, bonisque
 rebus omnibus. Duũ igitur, inquit, cura nobis suscipiẽ-
 da fuerit, vt & nos potiores simus possidentibus hæc, & vt
 remaneant ipsi. terra enim quæ incolitur, preciosa posses-
 sio atque res est: deserta autem ab hominibus, amittit bo-
 norum omnium copiam. Qui quidem se defenderunt, eos
 interfecisse vos scio, fecistisque ordine & rectè, nam ita
 victoria conseruatur maximè; sed qui se tradiderunt, eos
 captiuos adduxistis: quos si dimiserimus, facturi ita su-
 mus,

mus, quemadmodum ego aio, quòd conducat: Primùm neque cauere ab his, neque ipsos custodire nos opus erit: Non cibum etiam istis parare. haud enim certè fame eos necabimus. Deinde dimissis istis, pluribus vtemur captiuis. nam terra ipsa potiti, qui hanc incolunt, eos habituri sumus captiuos vniuersos. Atque hos cùm viuentes atque dimissos conspexerint, remanebunt cæteri quoque, & ducent esse satius parare, quàm dimicare. Mea quidè hæc sententia est: si quis tamen alius meliùs rem intelligit, is dicito. Cùmque auditis his omnes essent assensi, ita Cyrus tunc cõuocatis captiuis, hanc habuit orationem: Vos, inquit, quòd modò paruistis, eo lucrati estis animas vestras: & de cætero si itidem facietis, nihil mali vobis eueniet. Is solummodo non habebit in vos imperium, qui priùs habuit: incoletis autem easdem domos vestras, & opera faciendo idem solum exercebitis, & consuetudine earundem vxorum domestica vtemini, & vestros liberos in potestate habebitis, quemadmodum nunc: nobiscum verò non geretis bellum, neque cum alio vllò. Si quis autem vim vobis iniuriámque inferet, tunc pro vobis nos sumus propugnaturi. Ne quis verò militiam vobis imperet, arma deferre ad nos. Ac pacem habituri sunt deferentes, quæque dicimus, præstabuntur sine fraude: qui autem bellica arma non deposuerint, aduersus eos scilicet exercitum ducturi sumus. Iam si quis vestrum beneuolo animo nos accesserit, idque agendo aliquid edocendóque planum fecerit, eum nos vt benefactorem & amicum, non tanquam seruum tractabimus. Hæc igitur, inquit, & vos scietis, & nunciabitis aliis. Quòd si refragando voluntati nostræ non paruèrint aliqui, aduersus eos nos ducitote, vt nos in illos, non illi in nos imperium habeant. Hæc eo locuto & adorauerunt captiui ipsum, & se ita facturos esse dixerunt. Quibus digressis, inquit Cyrus: Nunc tempus nobis omnibus, ô Medi atque Armenij, cœnæ adest. Sunt autem parata vobis necessaria omnia, ita quemadmodum nos parare potuimus. Ite igitur, & de panibus factis mitti-

te nobis dimidium: facti autē iam sunt multi, vt vtrisque sufficiat: obsonium verò non mittetis neque potum, habemus enim paratam horum copiam quæ sufficiat, apud nosmetipsos. Et vos, inquit, ô Hyrcanij, deducite istos ad tabernacula: principes quidem ad maxima, (sunt enim ea vobis nota) cæteros verò pro eo atque statueritis factu esse optimum. Vos quoque cœnate vbi libuerit, vobisque maximè erit iucundū. sunt enim tabernacula vobis salua & integra, & apparatus vobis eadem quæ istis. Hoc autem vtrique scire debetis, exteriùs nobis custodiam vestrum noctu curæ futuram esse. Quid in tabernaculis autem fiat, vos attendite, & arma expedite. nam qui in tabernaculis versantur, ij nondum amīci nostri sunt. Medi quidem, & qui cum Tigraue aduenerant, tunc lauare. erant enim parata omnia, & mutatis vestibus cœnare. Suppetebat & equis pabulum. Persis quoque mittebāt de panibus dimidium. Obsonium autem non mittebant neque vinum, quòd Cyri exercitum iam habere crederent. Cyrus autē hoc dixerat, habere eos obsonium famem, & potum aquā præterfluētis amnis. Cyrus autē curata cœna Persis, cum iā tenebræ vbique essent, emisit cōplures eorum denos ac quinos, iussitque circū castra sese abscondere, quòd statueret, simul eā custodiā fore, si quis extrinsecus accederet, simul eū, qui fugā pararet, rerum pecuniarumque aliquid auferēdo, captū iri. Et ita accidit. nā & multi aufugerūt, & multi intercepti fuere. Cyrus verò qui aliquos ceperant, eos retinere pecuniā sinebat, sed captos iussit interficere. Itaque posthac ne quærens quidē aliquis reperiret facile noctu obuersantē. Atque ita tūc degere Persæ: Medi autē potare & epulari & oblectari tibiis, & omnibus cupiditatibus satisfacere. nām multa talia erant in præda, quæ non paterentur copiam faciendi operis deesse peruigilātibus.

CYAXARES autem rex Medorum ea nocte qua Cyrus discesserat, & ebrius erat cum contubernalibus suis, vt re bene gesta, & cæteros Medos in castris adesse putabat, exceptis paucis aliquibus, quòd magnos strepitus audiret.

nam

nam familia Medorum quia domini discesserant, prohibente nemine & perpotabant & perstrebebant, cum præsertim de exercitu Assyriorum vinum & alia huiusmodi multa abstulissent. Postquam verò dies illuxit, neque ad fores affuit quisquam, præter eos qui vnà fuerant cœnati, audiuitque ille nullos esse reliquos Medos, equitèsque in castris, & ipse egressus rem ita se habere vidit: ibi tum irasci cum fremitu & Cyro & Medis, quòd solus abitu illorù relictus esset. Ac statim vt, quemadmodum perhibetur, crudelis & amens, iubet vnum ex præsentibus vnà cum suis equitibus, summa celeritate proficisci ad copias secutas Cyrum, & hæc nunciare: In ea ego opinione fui, Cyre, te tam imprudens erga me cõsilium non esse capturum: quòd si ista sanè esset sententia Cyri, at vos saltem, ô Medo, non voluisse me solum isto pacto relinquere. Atque nũc siquidem Cyrus voluerit, accedat & ipse sanè: sin minus, vos tamen quamprimùm adeste. Hæc mandata erãt Cyaxaris. Sed cui imperabatur iter illud, is inquit: Quo pacto autem, Domine, ego illos inuenturus sum? Quo pacto enim Cyrus eos, inquit, aduersus quos cum secutis sese est profectus? Quia audio profectò defecisse ab hostibus Hyrcanios quospiã, & huc venisse, & discessisse cum eis vt itineris duces. His auditis multò ille grauiùs Cyro irasci, quòd ea de re nihil secũ esset locutus: & studio iam multò maiore mittere ad Medos, vt horum societate nudaturus Cyrum. Atque multò quàm priùs, vehementiùs interminando eos accersere: & qui mittebatur, ei malum minari, nisi ista nunciasset vehementer. Itaque ille qui mittebatur, discedere cum equitibus suis centum ferme, ægrè ferès, quòd non ipse quoque cum Cyro abiisset. Pergentes autem cum via diuideretur, per semitam quãdam aberrauerunt. neque priùs ad exercitum Cyri peruenerunt, quàm incidissent in Assyrios quosdam, eõgissentque eos deducere se. Atque ita ad conspectum ignium peruenerunt circiter mediam noctem: sed ad exercitum vbi accesserunt, non admisit ipsos custodia, secundum mandata

Cyri, ante lucē. Die autem iam illucescente, primūm Cyrus Magos accersit, iubētque eximere Diis, quæ ius & fas postularer, rebus tam felicibus ac bonis. In hæc illis operam dantibus, conuocatis comparibus verba Cyrus sic fecit: Commilitones, Deus multa bona nobis ostendit: at nos, ô Persæ, in præsentia ad potiendum his sumus pauci. Siue enim quæ laboribus nostris pepererimus, ea non tueamur, rursūm aliorum futura sunt, siue relinquamus custodes acquistorum ex nostris aliquos, statim apparebit, nullas esse vires nostras. Quapropter mea est sententia, quam primūm vni vestrum in Persas proficiscendum esse, qui doceat illos, ea quæ à me dicuntur, & iubeat cum maxima celeritate exercitum nobis mittere, siquidē Persæ cupiunt imperium Asiæ & fructus venire in potestate suā. Tu igitur, inquit, ito, qui natu maximus es: atque profectus, & ista, & quoscūque milites miserint, iis, postquam ad me venerint, mihi curæ futurum, vt cibaria suppetant, dicito: quæ verò nos iam obtinemus, ea tu cernis. Caue verò occultes quicquam. Quidnam autē ex his mittendo in Persidem rectē & ordine fecero, de eo quod quidem ad Deos attinet, patrem meum, quod ad rempublicam verò, Magistratus percunctare. Mittant autem huc & inspectores actionum nostrarum, & consultos, qui ad interrogata respondeant: adiungēsq̄ tibi ordinem tuum, à quo deducaris. Post hæc iam & Medos ille vocare, & a se vnà Cyaxaris nuncius, corāmque omnibus exponere tam iracundiam aduersus Cyrum, quàm minas ipsius erga Medos: dixitque tandem, Cyaxarem iubere, vt Medi discedant, etiam si remanere Cyrus velit. Ibi tum Medi audito nuncio silere, inopes nimirum consilij, quo pacto non obtemperarent vocanti, & in metu obœdiēdi interminanti, præsertim non ignari quanta esset crudelitas ipsius. Tunc Cyrus ita est locutus: At ego, ô nūcie tu, vólque Medi, nequaquam miror, si Cyaxares cōspectis iam dudum tam multis hostibus, & qui nesciret quid nobis fieret, tam de nobis quàm se ipso sollicitus fuit: postquam

verò

verò resciverit & multos ex hostibus interiisse, & repul-
sos esse cunctos, primùm metuere desinet, deinde intelli-
get, sese non esse relictum solum, quandoquidem à suis
hostes interim cognoverit. At enim quo pacto succense-
ri nobis meritò possit? qui & benefici erga illum, & non
remerè obsecuti sumus nostræ voluntati. Ego enim per-
suasi ipsi, vt pateretur vos mihi progressuro adiungi: vos
verò non tãquam cupidi profectiois, interrogastis, pro-
grediendùmne vobis esset, & ita modò huc peruenistis,
sed iussi ab illo progredi, si cui non esset graue. Quocirca
iracundiam istam, satis scio, secundis bonisque rebus mi-
tigatum iri, & vnà cum cessante metu abituram esse. At-
que tu, nuncie, inquit, iam acquiescito, nam defatigatus
es: nos verò, ô Persæ, quia expectamus aduentum hostiũ,
qui vel depugnare, vel parere velint, ideo habeamus ordi-
nes quàm præclarissimè instructos. Ista enim species mo-
menti scilicet plurimum habebit ad expediendum ea,
quæ volumus: tu verò, inquit, Hyrcaniorum princeps, hîc
adesto, postquam mandata dederis militum ducibus, vt
hos arma capere iubeant. Hoc cùm fecisset Hyrcanius, &
accessisset ad Cyrum, ait Cyrus: Ego verò, ô Hyrcanie, in-
quit, lætor, cùm sentio ita te adesse, vt non solum demon-
stres amicitiam, sed docili & acri ingenio quoque prædi-
tus esse videaris. Atque est perspicuum iam, conducere
eadem nobis. nã & mei sunt hostes Assyrii, tibi verò etiã
magis infensi quàm mihi. Hoc igitur consilium capien-
dum est nobis ambobus, & ex præsentibus fociis nequis
desciscat, & ad hos si possimus, alios adiungamus. Audiui-
sti sanè auocare Medum suos equites. Iam isti si discedãt,
quo pacto nos pedites soli remanebimus? Hoc igitur &
me & te efficere oportet, vt iste auocator ipse quoque
apud nos remanere velit. Quapropter repertũ tu taber-
naculum ei tradito, vbi quàm præclarissimè degat, in
omnium quibus opus est, copia: ego verò conabor eiuf-
modi imperare ei laborem, quem libentiùs ipse susceptu-
rus sit, quàm abiturus. Edifferes etiam ei, quæ nostris spes

fit, de quàm multiplicium bonorum accessione, si prospere ea, quæ restant, euenerint: atque hæc executus ad me reuertere. Ita Hyrcanius abiit nuncium illum deducens ad tabernaculû: qui in Persidem verò proficisci debebat, is aderat paratis omnibus. Ei Cyrus mandata dedit exponenda Persis, quæ supra libro hoc demonstrata sunt, & litteras reddendas Cyaxari. Recitare autem tibi, inquit, pellegendo volo ea, quæ mandantur litteris, vt tu de tibi notis respondeas confitêdo, si quis interroget. In illa autem epistola hæc inerant: Cyrus Cyaxari salutem. Nos neque te solum reliquimus, (nemo enim dum hostes vincit, à suis solus relinquitur) neque recedendo, in periculo te esse constitutum arbitramur. ac potiùs, quo longiùs abs te distamus, eo maiorem tibi securitatem conciliare nos statuimus. Non enim qui proximè desident apud suos, ij securitatem suis præstant, sed qui quàm longissimè repellût hostes, ab iis magis sui in tuto collocantur. Considera verò, quem me erga te expertus sis, & què te erga me præbeas, qui modò mihi succenses. Ego enim auxilia sociorû adduxi tibi, quàm copiosa ego potui, non quibus vt uerent, tu persuasisses: tu verò in regione nostra pacata eos tradidisti mihi, quibus vt me sequerentur, persuadere potuissem, & nûc in hostili terra auocâs non volentè reuerti aliquem, sed vniuersos. Itaque ego nunc ambobus & tibi & istis gratiam me debere arbitrabar: nunc verò cogis tu me obliuisci tui, & conari vt gratiam omnem referam secutis me. Non possum tamen facere, vt similis tui sim. Atque iam mittens ad Persas, qui copias adducat, mandata dedi, vt quicumque ad me proficiscantur, illi tui sint, si forterè eis indigeas antequam nos redeamus, ita quidè, vt non ipsorum arbitrio, sed tuo ipsis utaris. Consilium autem tibi do, quamvis iunior sim, vt nolis auferre tradita, ne pro gratia debita inimicitix existant: vtque caueas ne accersas cum minis, si què accelerare aduentantem volueris, neu inter minas ad multos, te esse solû perhibeas, ne doceas eos contemnere te. Vale. Nos verò dabimus operâ,

vt adueniamus, vbi primùm ea confecerimus, quibus gestis, & tua & nostra commoda communiter existimamus contineri. Istam epistolam reddito, & de quibuscunque horum, vt perscripta sunt, te ille interrogauerit, ita se habere dicito. nam de Persis mādāta mea cum litteris congruunt. Sic cum hoc Cyrus locutus, tradita epistola, eum ablegauit, & insuper præcepit, vt festinationem tantam adhiberet, quantam celeritatem præsentia, utilitas requireret. Ex eo iam tempore Cyrus conspiceret armatos vniuersos, Medos & Hyrcanios, itémque Tigranis manum: ipsique Persæ aderant armati: ex finitimis autem tum quidam & equos adduxerant, & arma attulerāt: Cyrus autem tragulas ille quidem eò coniici iussit, quò antea, & comburi superuacaneas ab iis, quibus labor hic impositus erat: equos verò custodiri iussit ab iis, qui illos adduxerant, donec aliquid iis significaretur. Principibus autem equitatus, & Hyrcaniorum vocatis, ita est locutus: Ne mirum vobis, amici atque socij, videatur, inquit, quòd sæpius vos conuoco. res enim in præsentia nouæ multa complectuntur ordinis expertia. Quæcunque autem expertia sunt ordinis, ea negotia semper facessere necesse est, donec suo quæque loco consistant. Atque sunt modò nobis, & bona multa, quæ cepimus, & ad hæc homines. Quia verò ignoramus quænam ex his singulorum sint, neque illi sciunt, quem ex nobis quisque dominum habeat, ideo cernere est multos ipsorum non adeo facere officium suum, ac, quonam opus factò sit, ambigere propè cunctos. Ne igitur ita se res habeat, vos ista discernite. Si quis sanè tabernaculum adeptus est abundans esculentis & potulentis, itémque famulatu & stragula cæterisque vestibus, huic accessione alia opus non est, nisi vt sciat adeptus, curam sibi istorum suscipiendam esse tanquam domesticorú & suorum: si qui verò in tabernaculum delatus est, vbi penuria laboratur, ei vos quid desit videte, & explèdo sufficite. Scio autem multa superatura esse, quòd apud hostes copiosiora omnia fuerunt, quàm secundum

nostras copias. Venerunt autem ad me quæstores tam regis Assyriorum, quàm aliorum dynastarum, qui narrarunt, esse penes sese aurum signatum, commemorantes tributa quæpiam. quæ cuncta iubete per præconem afferri ad vos, quocunque in loco constiteritis, & incutite metum non facienti imperatum. Accepta autem illa vos diuidite, atque equiti duplo amplius detur quàm pediti, vt habeatis precium quo emantur, si quibus vsus egeat. Atque forum in exercitu violari ab vlllo, præco prohibeat, iubeatque omnes venales merces, quas habeant, vèdere tabernarios & mercatores, & distractis his apportare alias, vt domestico vsu colantur castra nostra. Hæc cum statim præconia fierent, Medi & Hyrcanij sic locuti fuere: Quo nos verò pacto absque te & tuis diuidere ista poterimus? Huic orationi Cyrus ita occurrit: Istane, inquit, commilitones, sententia vestra est? Quòd nos in omnibus, quæ efficienda sunt, præsentibus adesse omnes oporteat, neque possimus, ego actionibus pro vobis, vos pro nobis suscipiendis satisfacere? At enim quonam pacto nisi isto, cum plus negotij habituri, tum minus profecturi simus? Rem igitur videte, inquit. Et nos enim ista vobis conseruauimus, & vos habuistis fidem, præclarè ea conseruata esse. Nunc vos illa vicissim diuidite, & nos fidem sumus habituri, quòd diuiseritis præclarè: atque interea operam dabimus in actione alterius commodi publici. Primùm enim, inquit, cernitis, quàm multi equi nobis præstò sint, cum alij adhuc etiam adducantur. Hos si ita relinquemus, vt ascèdat nemo, nihil illi quidem vtilitatis afferent, sed curando negotia nobis facessent: sin equites in his cõstituerimus, simul negotiorum molestia liberabimur, simul nostras ipsi vires hac accessione augebimus. Quos si habetis alios quibus tradere placeat, cum quibus scilicet quàm nobiscum, re postulante, periculum libentius adieritis, eis sanè equos tradite: si verò nos inprimis adiunctos in acie habere vultis, tradite equos nobis. etenim modò cum absque nobis inuècti periclitatique estis, magnum incussistis metum nobis, ne quid

quid vobis accideret aduerſi: itémque feciſtis, vt valde puderet nos, quòd non vnà vobiſcum verſaremur. equòs autem naſti ita vos ſequemur. Quòd ſi equites nos in communi certamine magis prodeſſe vobis videbimur, ita nihil omittemus, quo animi prompti declarentur: ſin rurſus peditum oportunior præſentia noſtra exiſtimabitur, vt de equis tunc descendamus, & in medium procedamus, repente etiam pedites nos præſtò vobis erimus, atque rationem inueniemus, vt aſſint quibus tradatur equi. Ita locuto Cyro illi reſpòderunt hoc modo: At nos enim, Cyre, neque eos habemus, qui in equos iſtos à nobis imponantur: ac ſi habeamus, quandoquidem iſta eſt volùtas tua, haud nos aliud quicquam illi prætulimus. Et nunc acceptis, inquit, equis iſtis, id facito, quod optimum eſſe cenſueris. Ego verò, inquit, & accipio: & opto, vt feliciter proſperèque eueniat noſter equitatus, & veſtra còmunis prædæ diſtributio. Atque primùm ea, inquit, eximitote Diis, quæcunque Magi demonſtrauerint: deinde Cyaxari eximatis, quæ à vobis ipſi quàm gratiſſima fore creditis. Illi verò cum riſu, formoſas mulieres ei eſſe eximèdas, dixerunt. Mulieres itaque ei, inquit, eximite, & ſi quid aliud vobis in mentem venerit. Verùm poſteaquam, ò Hyrcanij, Cyaxari ſua exemeritis, pro veſtra virili perficite, ne iſtorum quiſquam, qui voluntarij me ſunt ſecuti, habeat de quo còqueratur: vos viciffim, ò Medi, iſtos primos ſocios noſtros in honore habeatis, vt eo, quòd amicitiam nobiſcum iunxerunt, bene conſuluiſſe videantur. De omnibus autè portionem tribuite etiã Cyaxaris nuncio, & iis qui vnà cum eo aduenerunt. hortaminique, tanquam ex ſententia mea quoque, vt remaneat, quò de ſingulis exploratam veritatem certiùs nunciare Cyaxari poſſit. Perſis autem, inquit, qui in meo ſunt comitatu, ſufficiēt ea, quæ ſuperauerint, vobis præclare inſtruetis. nequaquã enim nos, inquit, in deliciis educati ſumus, ſed planè populariter. Et ideo fortaffe nos irrideatis, ſi ſplendidũ quod ſit, nobis applicetur, quemadmodum ſat ſcio, inquit, ad-

modum nos ridiculos fore coram vobis equis insidentes, atque etiam, vt opinor, decedentes in terram. Post hæc & illi ad distributionem abierunt, & ipse conuocatos centuriones iussit equos ad se recipere, itémque instrumenta equestria, & curatores equorum, & ad numerum sortito æquales accipere singulas cēturias. Cyrus autem ipse per præconē euocari iussit, vt apparerēt, si qui in exercitu Assyriorum, Syrorum, Arabiorū essent serui ex Medis, Persis, Bactrianis, Caribus, Cilicibus, Græcis, aut aliunde arreptus. Quo præconio audito, cupidè exhibuerūt se complures. Ex quibus cū delegisset forma inprimis præstātes, dixit arma eis, qui liberi homines essent, gestāda, quæ tradidisset: vt necessaria autem ipsis, pariter atque Persis apud se suppeterēt, curæ sibi affirmavit fore: & statim deducens ad centuriones, his eos cōmendauit, iussitque illis tradi parmas & gladios nudos, vt cum his equitatum sequerentur. ipsos verò acceptis loriceis & hastis semper equis vehi, (& ipse ita facere exorsus est) peditibus verò suo quēque locō ex cōparibus alterum præficere, quem compares pedites principem haberent. Hic dum illi occupantur, affuit interea Gobrias Assyrius equo insidēs, vir senex, cum famulatu equestri. gestabāt autem omnes arma equestria. Ibi quorum prouincia erat vt arma acciperent, iubent tradi hastas, vt eas, sicut alias, comburerēt. Gobrias autem ait, se prius velle Cyrum videre. Ita ministri, cæteris equitibus ibi relictis, Gobriam deducunt ad Cyrum. Hic conspecto Cyro, ita verba fecit: Ego, Domine, gente sum Assyrius, éstque in mea potestate munitio firma, & imperio latæ regionis potior, & solebam equos circiter mille adducere regi Assyriorum, qui me amore maximo cōplectebatur. Postquam verò hic mortem obiit cæsus à vobis, vir præstans illi virtute, imperium autem nunc est penes filium eius, mihi inimicissimum, ita ad te venio, & supplex ad pedes tuos me proiicio, méque trado tibi seruum atque socium: oro autem te vt meas iniurias vlciscaris: atque te, sicut possum, filium mihi adopto. Sum autem

autem orbis liberis sexus virilis. nam quem habui solum, forma, ô Domine, & virtute excellentem, & me amantē honorantēque, ita vt honore suo filius beatum efficere patrem possit, eum igitur iste meus modò Rex accersitū ab illo, qui tunc regnabat, huius regis patre, vt cui filiam suam ille vxorem esset daturus: cūque ablegarem ego filium meum elato animo, quippe quem essem cōspecturus virum filix regix: eum, inquā, hic modò Rex euocatū ad venationem, & facta potestate vt totis viribus venaretur, quòd multò strenuiorem ipso equitem se esse duceret, ita habuit venationis socium filium meum. Cū autem in conspectu esset vrsa, persequentibus hanc ambobus, istum nostrum modò principem, iaculo cōiecto frustratur ictus, quod vtinā non accidisset: at meus filius nequaquam oportunè vrsam sternit. Atque tunc ille quidē inuidiam suam occultè repressit: cū rursus verò procurrisset leo, & denuo illum frustratus esset ictus, (id quod ei accidisse, mirandum, vt opinor, non est) meus ibi filius vsus infelicis fortunæ casu leonem confodit, & vno scilicet ictu iterū iam, inquit, percussi & prostravi feras vtrunque. In quo impius ille inuidiam amplius non cohibuit, sed cuspidē ab vno ex comitibus arrepta, plaga pectori inflicta animam abstulit vnico & dilecto filio meo, mihi que misero mortuus hic pro sponso redditur, & adeo grādis ego sepelio præstantissimum virtute filium primū tunc pubescentem, vnicum atque carissimum: at interfector ille tanquam hostem occidisset, neque pœnituisse se facti vnquam declarauit, neque aliquo honore ob tam malum facinus infra terram illum digno affecit. Pater sanè eius & lamenta sua communicauit, & perspicuè ostendit, se dolorem ex mea calamitate capere. Equidem si ille adhuc viueret, nunquam cum detrimento ipsius te accederem. nam multa amicitix cōmoda ab eo sum adeptus, & officia ipsi præstiti. Postquam autem imperium ad interfectorem filij mei deuolutum est, neque ego huic amicus esse vnquam, neque ipse me in numero amicorū ha-

bere possit. Nouit enim, quo pacto erga se affectus sim, quique hilarem pridem vitam agentis, nunc animus sit in hac solitudine & luctu isto senectutem degentis. Si igitur tu me recipis, & spes ita futura mihi est poenae debitæ, quæ persoluatur, te adiutore, filio, & rursus iuuenis fieri videbor, & non magis iam turpitudine erit in me viuente, neque cum tristitia moriens de vita exiturus sim. Hoc illo locuto respondit Cyrus: At enim si constet ea sentire te quæ nobis memoras, & te ego supplicem recipio, & tibi promitto me fore, Diis adiuuantibus, vltorem filij tui. Dicitur verò mihi, inquit, si ista tibi à nobis contingant, & in tua potestate si patiamur esse tam munitioem quàm terram, armamque & copias tuas, quas pridem habuisti, quid pro his abs te nobis obsequij præstabitur? At ille, Munitio, inquit, exhibebitur tibi, vt sit domus tua, tributumque terræ meæ, quod pendebat illi, id afferam tibi, & vbi cūque educendus exercitus fuerit, ibi in tuo exercitu vnà adero cum meæ terræ copiis. Est præterea, inquit, filia virgo, mihi carissima, ætate iam nubili: quam equidem arbitrabar me educare coniugem futuram ei, qui modò regnat. nunc verò & ipsa me filia cum largis lacrimis & eiulatu suppliciter orat, ne dare se velim interfectori fratris, & mea eadem sententia est. tibi autem iam permitto, vt de ea quoque ita consulas, quemadmodum de te apparuerit me consulere. Ibi tum Cyrus inquit: Istitis ego conditionibus in veritate dextram meam tibi do, & accipio tuam, & Deos testes nobis, inuoco. Atque his actis abire Gobryam retinentem arma iussit, & interrogauit, quàm longa ad ipsum via esset: quòd vellet accedere. Ille verò dixit, si crastino die iter manè ingrediaris, postridie statua apud nos habere poteris. Gobrias deinde relicto duce itineris discessit: aderantque iam Medi, & quæ Diis eximenda esse Magi dixerant, ea Magis tradiderunt, & Cyro exemerunt tabernaculum præclarissimum, & Susianam mulierem, quam formosissimam fuisse in tota Asia perhibetur, itemque Musicæ artis peritas duas præcipuas. Secundo loco Cy-

xari secundaria, & eodem modo faciebant de cæteris, simul quo deficiebantur sibiipsis suppleto, ne in vllius rei penuria militarent, omniũ enim magna erat copia. Hyrcanij quoque insuper ea acceperunt, quibus deficiebantur, & æquales partes datæ sunt Cyaxaris nuncio: tabernacula autem reliqua, quotquot erant, Cyro tradiderunt, vt tribuerentur Persis. Numos verò aiebant diuisuros ferum esse, cum fuissent collecta vniuersa: & diuiserunt. Hæc illi quidem & agere & dicere: Cyrus autem quos nouerat quàm maximè familiares esse Cyaxari, eos quæ ei obtigerant, ad se recipere & custodire iussit. Quæ etiam mihi tribuitis, ea ego libenter, inquit, accipio: vtetur tamen his vestrum omni tempore, quicumque maximè requiret. Ex Medis autem quidam Musicæ artis studiosus, Sanè ego, inquit, ò Cyre, cum audirẽ istas Musarum opifices vesperè, quæ nunc tuæ sunt, cum voluptate eas audiui. Quòd si illarum mihi dederis alteram, militiam mihi domestico ocio iucundio rem fore existimo. Tum Cyrus, Ego verò, inquit, & do tibi illam, & habere plus gratiæ tibi videor, quòd à me petieris, quàm mihi tu, qui hanc accipis. tanta est fitis mea ad gratificandum vobis. Atque ita mulierem accepit is, qui petierat.



XENOPHONTIS DE
CYRI DISCIPLINA
LIBER QUINTVS.

* *

CYRVS autem Araspam Medum, quem puer adhuc sodalem habuerat, & cui ab Aftyage reuertens ad Persas Medicā exuens vestem dederat, hunc igitur accersitum iussit mulierem illam & tabernaculū asseruare. Ea mulier coniunx erat Abradatæ Susij. cū caperentur autem castra Assyriorum, hic tunc vir illius in castris fortè non affuit, abierat enim legatus ad Regem Bactrianorum, quò miserat ipsum Assyrius de belli societate, quòd cum rege Bactrianorum ius hospitij sibi esset. Istam ergo asseruare Cyrus Araspam iussit, donec ipse reciperet. Hoc facere cū iuberetur, Araspas interrogans, Vidistín, inquit, Cyre, eam mulierē, quam asseruare me iubes? Minimè equidem, ita me amet Iupiter, inquit Cyrus. At ego, inquit ille, vidi, quando illam tibi eximebam: ac sanè cū tabernaculum ipsius ingrederemur, primùm eam non agnouimus. & humi enim confederat ipsa, & vnà circum eam ancillæ omnes. habebat item vestem similem ancillis. Vbi autem cognoscere volentes, quænam esset hera, contemplati mox effemus vniuersas, admodum excellere est visa inter cæteras omnes, quamvis & sederet, & operta esset, & terram intueretur. Postquam verò surgere eam iussimus, consurrexere simul cunctæ, quæ illam stipabāt. Præstabat hæc tum primùm magnitudine, deinde robore & bonitate & habitu decoro, tametsi hic esset abiectus & humilis. apparebant etiam defluentes lacrimæ, partim in vestibus

vestibus, partim ad pedes. Cùm autem maximus natu e nobis dixisset: Bono animo sis, mulier. nos quidem esse virum tuum audimus forma & virtute egregium, nunc tamen scito te eximi, vt tradamus viro. neque facie illo tuo, neque ingenio, neque potentia inferiori: immo nostra opinione, si quis alius dignus est admiratione, etiam Cyrus est, cuius tu deinceps futura es. Hoc cùm mulier audiisset, vestẽ superiorẽ conscidit & eiulauit, clamorẽque simul & ancillæ ediderunt. Ibi tum magna ex parte facies oris apparuit, apparuit & collũ, & manus sunt conspectæ. Atque planè scito, ô Cyre, & mihi & cæteris omnibus, qui aspexerunt, visum esse, nunquam procreatam esse neque extitisse humano satu, talem in Asia mulierem. Omnino verò, inquit, tu quoque eris spectator illius. Tum Cyrus, ita me amet Iupiter, inquit, multo quidem minus ero, si quidem talis ea est, qualem tu prædicas. Quid ita verò? inquit adolescens ille. Quia enim, inquit, modò etiã cùm ex te audierim formosam hanc esse, si persuaderi mihi sinam, vt spectatum veniam, nequaquam ocio abundans, vereor ne multò magis illa rursus mihi persuadeat, vt iterum veniam spectatum. ita accidere fortasse possit, vt necessariis rebus omissis, desidiosus sim spectator ipsius. Ibi ille adolescens cum risu dixit: An tu existimas, inquit, Cyre, vllam humanam formam efficere hoc posse, vt cogatur aliquis inuitus, in agendo ab officio discedere? Quòd si ita natura comparatum esset, cogerentur scilicet vniuersi pariter. Ignem, inquit, intueri. hic enim vrit omnes. nam talis est natura ipsius. Ex formosis autem, hi amantur, illi non amantur. Atque alij quoque ab aliis amantur. In voluntate enim totum est positum, & amat vnusquisque quos vult. Iam frater certè non amator est fororis, sed alius quispiam: neque pater amicam habet filiam, sed alius quispiam. nam satis efficax est metus & lex, vt prohibere possit talem amorem. Quòd si lege sanciantur, vt abstinentes cibo non esuriant, & potu abstinentes ne sitiant, neu frigoris horrorem hieme, & caloris mole-

stiam ætate percipiant sensu homines, nulla profectò lex ad parendum compellere homines possit. Ita enim fert natura, vt sint istis inferiores. Amare autem in voluntate positum est. Vnusquisque itaque amore capitur eorum, quæ sibi congruunt, vt vestimètorum & calceamentorū. Quis fit igitur, inquit Cyrus, si in voluntate, amore capi, positum est, quòd non potest cessare aliquis, quādo vult? At ego vidi, inquit, & lacrimantes præ dolore propter amorem, & seruietes amoribus suis, cùm inprimis malum esse statuerent seruitutem ante susceptum amorem. Vidi & largientes multa, quæ non amittere eos satius fuerat. Vidi & vota facientes, vt liberarentur hoc tanquam altero quopiam morbo, cùm non possent tamen liberari, alligati firmiore vinculo quàm ferrea sunt. Eos itaque se se erga amores suos præbèt, vt in multis incòsideratè ipsis inferuiant. Neque aufugere omnino conatur, cùm istiusmodi habeant mala, ac potius ipsi seruant amores suos; ne quò aufugiant illi. Ad hæc adolescens ille dixit: Sanè faciunt, inquit, ista: verùm sunt tales, inquit, futiles & improbi. quapropter, vt opinor, mori in votis semper habent, tanquam miseri, cùm autem sint viæ innumerabiles quibus excedi è vita facillè possit, ipsi nõ excedunt. Iidem quoque isti furari etiam conantur, neque manus ab alienis abstinere: vbi tamen aliquid rapuerint, aut furto subtraxerint, vidè sine te primùm increpare furantem & rapiètem, neque veniam dare, sed pœnas sumere, quòd necessitatem furta non habeant? Eodem modo sanè, inquit, etiam formosi non illi quidem cogunt se amare, neque appetere homines ea, quæ nõ decet, sed futiles & improbi homunculi, impotentes nimirum sunt in omnibus cupiditatibus, atque ita deinde culpam in amorem transferunt: honesti autem & boni, concupiscentes aurum, equos strenuos, formosas mulieres, nihilominus facillè ab his omnibus abstinere possunt, ne attingāt per iniuriam. Atque ego, inquit, ista conspecta, quæ perquam formosa mihi visa est, tecum tamen versor, & equito, & in cæteris
facio

fácio officium meum. Ita mediusfidius, inquit Cyrus. fortasse enim celerius abscessisti, quàm quâto tempore amor suapte natura eam vim obtinet, vt quasi conuascare hominem valeat. Licet enim & ignem attingere, neque statim aduri, neque ex lignis flamma statim emicat. Ego tamen neque vltro ignem tangere, neque formosos contueri soleo. Et tibi, inquit, do consilium, mi Araspa, ne morari in formosis patiare oculos tuos. nam ignis non vrit ille scilicet, nisi tangentes: formosi autem eos quoque, qui è longinquo aspectant, accendunt vt flagrèt amore. Habe bonum animum, ô Cyre: haud ego sic opprimar vnquam, quamvis contemplari illam non desinam, vt faciam quicquam eorum, quæ facere non oportet. Optimè, inquit, narras. Asserua igitur, quemadmodum iubeo, & fac illa tibi curæ sit. fortè enim non nihil oportunitatis ab hac muliere nobis contingat. Atque hæc collocuti ita tum discesserunt. Adolescens autem ille simul cernendo supra modum formosam mulierem, simul experièdo honestatem & bonitatem eius, simul colendo ipsam in opinione gratificandi, simul perspiciendo quàm minimè ingrâtã illam esse, sed vicissim curam adhibere per famulos vt & aduenienti necessaria suppeterent, & si quando ægrotaret, ne quid ei deesset, his omnibus amore est captus. neque mirum fortasse hoc illi accidit: sùntque ista ad talem modum tunc geri cœpta. **Q**uò d Cyrus autem vellet secum remanere tã Medos quàm cæteros socios, aduocatis omnibus quos oportunum esset conuenire, ad congregatos talem habuit orationem. Exploꝛatum mihi est, ô Medi & qui adestis cæteri, nõ exiisse vos mecum pecuniæ inopia, neque quòd statueretis hac re inferuiri Cyaxaris voluntati, sed vt mihi hoc itinere gratificaremini, & honoris mei causa, cum mecum noctu viam ingredi, tum adire pericula voluistis. Quo nomine gratiã sanè ego vobis habeo, siquidem hoc iniuriæ expers est, sed ad referendum nondum satis firmæ videntur esse vires meæ. neque hoc me confiteri pudet. Verum si mecum remaneatis, esse me re-

laturum, id verò dicere eiusmodi esse vt me pudeat, planè vos scire velim. Is enim hoc modo videar mihi, qui perhibeat hæc ideo, quò faciliùs retineri apud me possitis. Huius igitur loco ista aio, Me quamvis iam ad Cyaxarem reuertamini morem illi gerentes, tamen si quid boni contingat, conaturum esse perficere, vt & vos me laudetis. ipse enim ego abiturus certè nõ sum: sed primùm eam dextram ac fidem, quam dedi Hyrcaniis, præstabo, neque conuincar vnquam proditiõis & perfidiæ erga illos, deinde conabor perficere, ne Gobryam, qui modò tradidit nobis ista mœnia & regionem & copias, pœniteat vnquam suscepti itineris ad me: quòdque est præcipuũ, cum Dij immortales tanta bona tam splendidè largiãtur, non possẽ sine metu & pudore eorum, temerè his relictis discedere. Atque ego quidem, inquit, ita sum facturus: vos autem nihil nisi de vestra sententiã facietis, & quid facturi sitis, mihi ostẽdetis. Sic Cyro locuto, primus ille, qui aliquando se dixerat esse cognatũ ipsius, ad hæc dixit: At ego, inquit, ô Rex, (Rex enim natura mihi videris, nihilo secus quàm is qui in alueo apũ ductor nascitur. huic enim sua sponte parent apes semper, & vbicunq; ille manet, inde nulla discedit: sin aliquando egreditur, nulla eum relinquit. vsq; adeo vehemens amor ipsis innatus est subiici imperio illius.) ego itaque erga te hos homines similiter quodam modo affectos esse arbitror. Nam ad Persas quando à nobis discedebas, quis Medorum omnium relictus fuit ex iunioribus aut senioribus, qui te non prosequeretur, donec reuocauit nos Astyages? Postquã verò ex Perside profectus aduenisti, vt auxilio nobis esses, videbamus sua sponte te amicos tuos comitari fermè vniuersos. Rursum cum te teneret desiderium gerendi hoc bellum, omnes Medi te sunt vltro secuti. Atque nũc ita animati sumus, vt vnã tecum etiam in hostium regione assit confidentia: sine verò te, reuerti domum quoque reformidamus. Cæteri quidem quid facturi sint, narrabũt ipsi: at ego & ij, in quos habeo ego imperiũ, & manebimus apud

apud te, & non defatigabimur intuentes te, & perdurabimus patiendo nos affici beneficiis abs te. Post hæc Tigranes sic est locutus: Noli, inquit, Cyre, mirari, si ego taceã. animus enim, inquit, meus non ad deliberandum, sed faciendum quicquid imperaueris, est paratus. Hyrcanius autem dixit, Ego verò, ô Medi, si modò discedatis, alicuius numinis voluntate hoc euenire perhibuerim, quòd vos non sinat valde beatos fieri. Humana autem sententia quænam obsecro aut fugientibus hostibus auertatur, aut tradentibus illis arma non accipiat, aut non admittat tradentes seipfos & sua, tali præsertim ductore, qualis vester est, vt ego quidem cõseco, qui, id quod testatus omnes Deos vobis affirmo, maiorem capit voluptatem benefaciendo vos, quàm ipse diuitiis affluendo. Ad hæc Medi vniuersi huiusmodi quædam verba fecerunt: Tu nos, ô Cyre, eduxisti: idem domum, vbi oportunum esse existimaueris, vnà tecum reducito. Cyrus verò his auditis hoc votum adiunxit: At ego te, Iupiter optime maxime, oro, eam mihi facultatem largiaris, vt benefaciendo vincam colentes me. Ex eo alios quidẽ iussit custodibus dispositis, curare corpora: Persas verò tabernacula distribuere, primùm equitibus ea quæ ipsis congruerent, deinde peditibus quæ sufficerent: postremò sic constituere omnia, vt versantes in tabernaculis necessaria conficerent, & afferrent Persarum ordinibus, itẽmque equos vt exhiberẽt curatos, Persæ autem nullo opere alio, quàm militari, elaborando occuparentur. Atque eum quidem diẽ ista exequendo consumserunt. **M A N E** autem postero die vbi surrexissent, ad Gobryam iter susceptum est, cum Cyrus quidem equo veheretur, & pariter Persæ iam equites circitèr bis mille: qui autem parmas & gladios acceperant, deinceps sequebantur numero æquales: itẽmque reliquæ copix procedebant instructæ. Nouitiis autẽ famulis vnũquemque dicere iussit: Quisquis ipsorum aut post eos, qui à tergo seruariẽnt, aut ante exercitus frontem, aut extra latera ordinum conspectus depræhensusque esset, pœ-

nas eum esse persoluturum. Atque ita altero die ad vesperam appropinquare cœperunt Gobryæ agro. Ibi cernunt munitionem supra modum firmã, inque mœnibus omnia sic præparata ad propugnationem, vt præclariùs esse non possent: simulque boues multos & plurimas pecudes subter munimenta deductas videbant. Misso autem nuncio iussit Gobryas Cyrum circumuectum cõspicere, qua parte aditus facilimus esset, & ad se intrò ablegare aliquos, quibus fidem maximè haberet, qui interiora explorarēt, & ad ipsum renunciarent. Tum Cyrus planè volens perspicere, an alicubi illa mœnia expugnari possent, & mendax Gobryas reperiretur, ita circumuectus vndique cernebat omnia multò firmiora, quàm cùm accessisset: quos autem ad Gobryam ablegauerat, ij Cyro renuntiabant, tantum esse intus boni, quãtum tota ætate hominum non defectura incolas esse videantur. Cyrus tunc sanè animo sollicito fuit, cogitans quidnam hoc rei esset? At Gobryas cùm ipse ad eum prodiit, tum omnes ceteros eduxit, afferentes vinum, polentam, farinam: aliõsque adigentes boues, sues, oues, capras, & quicquid ad victum idoneũ est, id protulit copiosè, vt præclara cœna suppeteret exercitui Cyri vniuerso. Quorũ igitur ex partes erant, ij distribuabant hæc & cœnam apparabant: Gobryas verò cunctis eductis, iubet introire Cyrum, quo pacto statueret ipse se tutissimè posse. Cyrus ergo speculatoribus & copiis præmissis, ita introiuit ipse quoque: ingressusque cùm portas teneret apertas, accersiuit amicos & ductores suorum omnes: qui postquam intus fuere, proferens Gobryas aureas pateras, vrceos, urnulas, ornamentaque varia, & immensam vim Daricorum, & quicquid habebat boni, denique & filia producta forma & magnitudine stupenda, sed habitu lugubri propter fratrem mortuũ, sic locutus est: Pecunias istas, ô Cyre, tibi ego trado: filiã verò hanc committo vt curatori, de qua ages quod visum fuerit. Supplices autem ambo te bramus, ego quidem de filio iam dudum, ipsa autem modò de fratre, vt vltor illius existas. Ad hæc

hæc Cyrus dixit: At ego non mentienti tibi & hæc ipsa sum pollicitus, ultorem me fore pro viribus: & nunc postquam te veracem esse video, teneor promisso. Isti etiam eadem polliceor, diis adiutoribus, me perfecturum. Pecunias quidem istas, inquit, accipio: do autem eas & puellæ huic, & illi, qui ipsam duxerit. Cum vno autem abs te dono discedo, pro quo si mihi omnia quæ Babylone sunt, tamen si plurima sint, siue quicquid vspiam est contingeret, non libentius discederem, quàm cum isto quo me donasti. Ibi miratus Gobryas, quidnam id esset, & suspicatus de filia hoc dici, ita est percunctatus: Quid verò istud est, ô Cyre? Tum respondens Cyrus, Quoniam, ô Gobrya, inquit, multos esse mortales arbitror, qui neque impij neque iniusti esse velint, neque sua spòte mentiantur. Quòd autem nemo ipsorum potestati permittere voluèrit, neque pecuniæ vim, neque regni dominationē, neque munita & firma loca, neque liberos amabiles, eo fit vt prius mortem obeant, quàm quales essent, planè cognoscatur. Mihi verò tu modò & mœnia firma, & multiplices diuitias, & copias tuas, & filiã, rem preciosam, in manus cum tradideris, fecisti vt planè cognoscerent omnes homines, Me ea voluntate non esse, vt vel impius erga hospites, vel pecuniæ caussa iniustus sim, vel fidem pactam mea spon-te fallam. Huius igitur facti tui, scito me, donec vir iustus ero, & existimatio ista ab hominibus laudem mihi conciliabit, nunquam obliturum, sed conaturum esse omnibus rebus honestis & bonis, vt vicissim tibi honorem habeam. Neque verearis, quod ad filiam istam tuam attinet, ne copia desit viri ipsa digni. Multos enim & egregios amicos habeo, ex quibus quicumque eam duxerit, an ille quidem pecuniæ tantum quantum tu largiris, an multo præterea etiam plus habiturus sit, id dicere non habeo. Hoc autem tibi confirmo, esse inter hos, qui propter pecuniam, quam largiris, ne tantillo quidem magis te sint admiraturi. Me autem nunc suspiciunt, & omnes Deos præcantur, euenire vt declarare possint, se nihilo minus me fideles esse

amicis, & hostibus non cedere, donec vita supersit, nisi fortè diuinitus affligantur. Iam ad virtutem & gloriam quod attinet, non prætulerint huic omnia Syrorum & Assyriorum adiecta tuis. Tales scire debes viros hîc confedisse. Ad hæc Gobryas arridens, Per Deos immortales, inquit, ô Cyrè, indica mihi vbinam sint isti? vt abs te perâ, liceat ex eis vnum adoptare filium. Ibi Cyrus, Nihil profusus me percunctari opus fuerit. nam si nobis coniunctus sequaris, poteris ipse vnumquemque horum alteri quoque demonstrare. Hæc locutus compræhensaque dextra Gobryæ, ita surrexit atque abiit, eductis secum suis omnibus. Neque intus cœnare voluit, quamvis hoc ab eo multis precibus Gobryas contenderet: cœnansque in castris conuiuam adhibuit Gobryam. Accumbens autem in toro è stirpibus, ita ipsum est percunctatus: Dic mihi, inquit, ô Gobrya, putasne tibi maiorem esse copiam vestis stragulæ, quàm sit vnicuique nostrum? Vobis mediusfidius, fat scio, plura esse stragula, plures etiâ lectulos: ædes quoque multò, quàm mihi, ampliores, quippe qui ædibus vtimini terra ac cælo: lectuli autem vobis sunt omnia vbi que supra terram cubilia: at stragula vsurpatis non ea, quæ de pecudum lana conficiantur, sed quæ sarmenta montes & campi suppeditent. Atque Gobryas tûc adhibitus conuiuio ipsorum, cùm terneret quàm futiles cibi apponerentur, multò iudicauit magis eos ingenuos esse, quàm suos homines. Quid verò? postquam considerauit temperantiam in vescendo. Ex Persis enim conspexeris neminem, qui quidem rectè institutus sit, in quo perturbatio appareat, siue vultus, seu rapacitatis, seu etiam animi, quò minùs prouidentem se præbeat, perinde ac si cibus non adesset. Atque vt exercitati in re equestri, propterea quòd in equis placidè sedent, simul & equitare, & aspicerè, & audire, & narrare possunt, quicquid opus est: sic illi quoque ad cibum se adhibere prudentiam atque temperantiam oportere censent. Commoueri autem cibo potuque, perquam ipsis caninum ac ferinum videtur. Ani-
maduer

maduertit etiam tales esse interrogationes illorum, ut sic interrogari quàm non interrogari se aliquis mallet, & falsa dicta, quibus perstringi quàm non perstringi, esset iucundius: inque ludo ac iocis quantopere contumelia hi vacarent, & quàm nihil tum committeretur quod turpitudinem haberet, quàm nemo indignatione commoueretur. Maximum autem erat opinione illius, cum essent in armis & bellum gererent, quoniam in eodem periculo versarentur vniuersi, non existimare eos apparatus esse debere maiorem, sed hoc lautissimum statuere cõuiuium, perficere ut sociis in bello quàm fortissimis atque optimis vterentur. Postquam autem domum rediturus Gobryas surrexit, dixisse fertur: Non amplius miror, ô Cyre, nos quidem possidere maiorem copiam poculorum vestiumque & auri quàm vos, sed esse multò improbiores & futiliores vobis. nostra enim cura in hoc consumitur, illis ut circumfluamus: vobis autem hoc modò videtur esse curæ, ut virtutis laude excellere possitis. Atque ille sic locutus fuit. Cyrus verò, Fac, inquit, Gobrya, crastino die matutino assis cum armato equitatu, ut cõtemplamur copias tuas: simulque ductor noster sis, transeuntibus tuam regionem, ut sciamus, quos oporteat nostrorum aut hostium loco habere. Et his dictis tunc discessere, vterque ad suas res agendas. Postero autem die aderat Gobryas cum equitibus ductor illorum. **CYRVS** autem, id quod imperatoris est officium, non modò procedendo animum itineri intendebat, sed pergens cõsiderabat, si qua re consequi posset, hostium vires ut diminuerentur & augerentur suæ. Aduocatis igitur Hyrcanio & Gobrya, (hos enim maximè scire arbitratur ea quibus cognitis opus esset) Ego, inquit, ô amici vos, in ea sum opinione, si vobiscum de isto bello tãquam fidelibus, deliberationem suscipiam, me in hoc neutiquam errare. Video enim vobis etiã magis quàm mihi cogitandum esse, ne Assyrius superior euadat. Nam me si ista spes frustratur, quò vertam fortasse habiturus sim: vestra autem, si iste superior euadat, aliena-

tum iri intelligo vniuersa. Meus enim ille hostis est non odio mei, sed quia non putat sibi expedire potentia nos crescere, eamque ob causam exercitum aduersum nos eduxit, vos verò & odit, & statuit se esse iniuria à vobis affectum. Ad hæc ambo pariter responderunt, persequeretur incepta, quòd ista non ignorarent, quòdque sibi magnopere curæ essent euentus præsentium negotiorum. Ibi ita ille est orsus: Hoc mihi, inquit, dicitote, vtrum de vobis tantùm iudicium fuit Assyrij tanquam de hostibus, an nouistis & aliù ipsi infestum: Ita profectò, inquit Hircanius: & Cadusij maximè in ipsum hostili animo sunt, gens populosa & robusta: & vicini nostri Sacæ, quos grauius afflixit Assyrìus, conatus imperio suo subiicere, què admodum nos. Nunquid igitur censetis, inquit, libenter eos vnà nobiscum aggressuros Assyrium? Maximè, inquit, si quo pacto coniungi possint. Quid obstat verò, inquit, quò minùs cõiungantur? Assyrij inquit, Ea gēs, per quam modò iter facis. His auditis, At tu Gobrya, inquit Cyrus, nõne accusas in moribus istius adolescentis, qui modò Rex factus est, multiplicem superbiam? Sic enim, inquit, sum, vt opinor, ab eo tractatus. Vtrum verò, inquit Cyrus, erga te tantùm ille talem se præbuit, an alterum quoque quempiam? Omnino, inquit Gobryas, & erga alios complures. Verùm quàm petulanter contumeliosus sit in imbecilliores, quid attinet commemorare? Vnius autem multò me potētioris filium sodalē suum, quemadmodum & meus fuit, cùm vnà in potu esset, arreptum castrauit, quia, vt narrabant nonnulli, laudauerat eū concubina regia formæ nomine, & prædicauerat beatam futuram coniugem ipsius: quemadmodum autem iste nunc ait, quòd pudicitiam concubinæ tentasset. Et nunc eunuchus hic quidem est, mortuo autem patre suo imperium illud retinet. Nunquid igitur libenter, inquit, & hunc conspecturum nos esse putas, si adiutores nos habiturum se existimet? Planè ita esse scio, inquit Gobryas: sed in conspectum ipsius venire difficile est; ò, Cy-

re. Quo pacto? inquit Cyrus. Quia enim, si cum hoc aliquis coniungere se velit, præteriri ipsam Babylona oporteat. Quid in hoc ergo, inquit, difficultatis est? Quoniam scilicet, inquit Gobryas, scio exiuisse copias indidem numero longè superantes tuas. Atque scire prorsus debes, hanc causam esse, cur nunc Assyrij segnius quàm initio tam afferant arma, quàm equos adducant. exiguus enim aspiciētibus tuus exercitus visus est. Et de hoc rumor passim iam est dispersus: mihi que fatius esse videtur, vt cautè iter faciamus. Tum Cyrus audita Gobryæ tali oratione, hæc ad eum dixit: Bene mihi videris, ô Gobrya, narrare, dum censes tutam profectiōnē quàm maximè esse oportere. Ego itaque cogitans non reperio aliam tutiorē profectiōnem, quàm eius viæ quæ est ad ipsam Babylona. siquidem ibi hostium est robur. sunt enim numero multi, quemadmodum tu dicis. Quòd si confidentia accesserit, etiam metuendi, vt ego dico, futuri sunt. Dum igitur non cernunt nos atque abscondi opinantur, quòd ipsos metuamus, planè scito, inquit, fore vt timor qui ipsis iniectus est, abscedat: confidentia autem innascatur huius loco, eo quidem magis quo nos diutius non aspexerint. Sin iam ad ipsos contendamus, multos inueniemus deflentes adhuc suos, quibus mortem nos obtulimus: multos alligatis vulneribus, quæ infliximus: omnes recordantes exercitus istius audaciam, suamque fugam atque miseriam. Neque te fugiat, ô Gobrya, rem ita se habere, vt plerique mortales in confidentia adeo animosi sint, vt sustineri nequeant: vbi autem metus incussus fuerit, quòd plures aliqui numero sunt, eò formido esse maior atque vehementior solet. Adest enim hæc aucta variis & aduersis rumoribus, multis item & malis rebus, collecta præterea de multis vultus formidinem atque tristitiam & alienationem animi præ se fert. Itaque tantà huius magnitudo est, vt neque verbis extinguere eum, neque si in hostes ducas, animos addere, neque si reducas, conuertere illos facillè possis. Immo quò magis ad confidentiam cohorteris, eò in periculo

maiore se versari suspicabuntur. Sed istud iam cuiusmodi sit, diligenter cōsideremus. Si enim deinceps victoriæ in rebus bellicis penes eos futuræ sunt, qui maiorem turbam annumerauerint, rectè tu quidem facis, cùm nobis metuis, & omnino in periculo nos sumus: sin quemadmodum antea, ita adhuc prælia decernuntur virtute dimicantium, non erraueris, si bono animo esse non dubites. nobiscum enim multò plures, adiutoribus Diis, inuenies decertare cupientes, quàm apud illos. Ac quo animo meliore sis, hoc quoque cogita. nam hostes imbecilliores nunc sunt multò quàm ante victoriam nostram, qua fusi fuerunt: multò etiam imbecilliores sunt, quàm fuerunt ante fugam. nos verò & præstantiores nūc sumus posteaquam vicimus, & maius est robur nostrum, accessione vestrum. Noli enim ne tuos quidem contemnere, quandoquidem nobiscum sunt. nam coniuncti victoribus planè scito, ô Gobrya, quòd asseclæ etiam confidenter accedât. Neque hoc te lateat, inquit, nunc quoque concedi vt hostes nos aspiciant: his verò nunquam videbimur magis excelsi atque elati, quàm si ipsos adoriamur. Quam ob rem age ducito nos recta via Babylonem, quòd mea hæc sententia sit. Atque ita procedentes tertio die peruenerunt ad fines regionis Gobryæ: cùmque esset iam in hostium regione, instructos secum consistere & pedites, & ex equitibus quàm multos rei commoditatem postulare arbitrabatur, cæteros equites dimissos excurrere iussit, & eos qui in armis essent concidere, reliquos vnà cum pecudibus quas cepissent, adducere ad sese: iussit & Persas simul excurrere. Ac redierunt horum multi delapsi ex equis, multi etiã cum præda copiosa: quæ postquam fuit in medio, aduocatis tam Medorum principibus quàm Hyrcaniorum, & æqualibus sibi dignitate, verba fecit ad hunc modum: Gobryæ nobis, mei amici, hospitium omnibus multum boni exhibuit. Si igitur, inquit, eximamus Diis ea, quæ religionis leges postulant, & exercitui reliquo sufficiant, & aliam prædam illi largiamur, nonne, inquit,

quit, honestum istud factum sit, quo statim declaretur nos conari beneficos benefaciendo vincere? Hoc omnes cùm audiissent, omnes approbarunt, omnésque laudibus extulerunt. Vnus autem ita est locutus: Prorsus, inquit, ò Cyre, facere hoc nos debemus. nam mihi videtur Gobryas habuisse nos pro mendicis, quòd non onusti Daricis adueniremus, neque biberemus ex aureis pateris. Nunc verò si, quod censes, id fecerimus, cognoscere, inquit, ille poterit, posse aliquos esse liberales etiam sine auro. Ite ergo, inquit, & traditote Magis ad Deos pertinentia, & eximitote quæ sufficiant exercitui, atque reliqua accersito Gobryæ tribuitote. Ita illi exceptis iis, quæ æquum erat, alia tribuerunt Gobryæ. Post hæc Babylonem exercitum duxit sic instructum, vt ad prælium fuerat. Cùm autem contrà Assyriorum egrederetur nemo, iubet Cyrus propius aduectum Gobryam dicere: Si Rex procedere & pro regione sua propugnare velit, se quoque cum eo prælio decertare velle: sin negligat defensionem regionis, necesse esse vt pareat victoribus. Atque hæc Gobryas, eò prouectus vbi exponi tutò possent, commemorauit. Rex autem ablegauit quendam qui responderet hoc modo: Tuus dominus, ò Gobrya, ait: Non pœnitet me cædis, qua est occisus à me filius tuus, sed quòd non etiam te ego interfeci. Quòd si dimicare vultis, adeste ad diem tricesimum. nunc autem nobis nondum vacat, adhuc enim apparatus fiunt. At Gobryas dixit: Vtinam perpetuò te istorum pœniteat. Perspicuum enim est, quòd dolore ego te, quamdiu pœnitebit, affecturus sim. Atque ita Gobryas renunciauit Assyrij orationem. **CYRVS** autem his auditis, exercitum abduxit: & Gobrya accersito, Narra mihi, inquit, nõne aiebas castratum illum ab Assyrio, te arbitrari nobiscum esse facturum? Immo planè, inquit, scire hoc videor. multa enim ego & ille iamdudum inter nos liberè sumus locuti. Vbi igitur oportunum putaueris, accedito illum, ac primùm fac cognoscatis, quid ipse narret: postquam verò conueneris, si intellexeris velle eum nobis

amicum esse, id machinetur, ne hoc deprahēdatur. Non enim plus boni amicis, in bello aliquis conciliare possit, quàm si hostis esse videatur: neque inimicos grauioribus damnis afficere, quàm si amicus esse videatur. At ego scio, inquit Gobryas, libēter etiam emturum occasionem Gadatam, magno aliquo malo afficiēdi Regem hoc tempore Assyriorum: quid verò facere possit, id nos quoque considerare oportet. Age dic mihi, inquit Cyrus, putāne, in istud ante hanc regionem castellum, (cuius munitionē pro regione Hyrcaniis & Sacis obiectam, & firmamentū contra vim belli esse perhibetis) in hoc igitur censēn' fore vt recipiatur eunuchus ille à præfecto, si cum copiis adueniat: Prorsus, inquit Gobryas, si in nulla suspicione sit, quemadmodū nunc, & ita adueniat. Sic igitur, inquit, maximè extra suspensionem fuerit, si impressionem ego faciam in agrum ipsius, vt qui occupare cupiam, ille verò omnibus viribus repugnet. Atque capiam ego aliquid, & ipse vicissim capiat ex nostris cū alios, tum nūcios quosdam missos ad eos, qui à vobis perhibentur hostili erga Assyrium animo esse: capti autem narrent, se ad exercitum proficisci, & scalas vt ad castellum deportent: eunuchus autem his auditis, simulet se adesse vt ista indicet. Tum Gobryas dixit: Hæc si ita administrantur, certò scio quòd præfectus admissurus hūc sit, & rogaturus quoque, vt apud se maneat tantisper dum tu recedas. Nūquid autem, inquit Cyrus, si semel ingressus sit, in nostram potestatem castellum illud possit redigere? Ita videtur, inquit Gobryas, si ipse intus apparando adiuet, foris autem tu impetu maiore admoueas exercitum. Ito igitur, inquit, & annitere hæc illum vt edoceas, & perfecta re reuertaris: fidem autem neque memores neque demōstres amplius, quàm contigit tibi dari à nobis. Ex eo Gobryas discessit. cuius aspectus cū gratus fuisset eunuchis, conuenit inter eos de omnibus, & negotium sic, vt oportebat, compositum fuit. Cū autem renunciasset Gobryas videri omnia apud eunuchum certa esse atque firma, quæ fuissent

sent mandata, ita postero die Cyrus impressionem fecit, & Gadatas repugnauit, occupauitque eum locum Cyrus, quem Gadatas indicauerat. Nunciorum autem, quos significarat Cyrus prædicens quò proficiscerentur, alios elabi fuit Gadatas, ut copias adducerent, & scalas afferrent, quosdam cepit, eisque tormenta adhibuit coram multis. Cùmque audiisset, ad quæ proficisci se dicerent, statim comparatis omnibus, tanquam hæc enunciaturus, noctu iter ingressus est. Ac tandem, fide ei habita, tanquã opem laturus intrat castellum: ac primùm quidem præfectum in apparando adiuuare, quibuscunque posset rebus: vbi Cyrus autem aduenit, ibi ille castellum occupat, vsu adiutoribus quoque captiuis ex Cyri militibus. Quo facto, & omnibus intus constitutis, ad Cyrum Gadatas prodiit, & more gētis ad pedes illius se proiiciēs, Aue, inquit, ô Cyre. Ita facio, inquit Cyrus. tu enim adiutoribus Diis non modò iubes auere me, sed planè cogis. Omnino enim scire debes, magni æstimare me istius loci adiũctionem, ut fociis ille concilieretur. Tibi verò, ô Gadatas, inquit, Assyrius, ut videtur, ademit liberos procreandi facultatē: non tamen etiam illa te priuauit, qua amicos parares. Ac planè scito, quòd isto nos facto amicos tibi feceris, tales illos quidem, qui pro nostra virili conaturi simus non fecus auxilio esse, quàm si liberos ex te natos haberes. Atque hæc ille quidem locutus fuit. Interea Hyrcanius modò re comperta, accedens Cyrum & præhensa ipsius dextra ait: O ingens bonum tu tuis Cyre! Quantum facis ut debeam gratiæ Diis immortalibus autoribus congressus tecum mei? Ito igitur, inquit Cyrus, & eo loco occupato, propter quem tam amanter me appellas, sic constitue omnia, ut quamplurimi illum vestra natio itémque focij faciant: inprimis verò, inquit, Gadatas iste, qui occupatū nobis eum tradidit. Placētne igitur, inquit Hyrcanius, vbi Cadusij, & Sacæ & mei ciues aduenerint, aduocari istū quoque ad communem deliberationem omnium, quorum interest, quinam istius castelli vsus maximam com-

moditatem sit habiturus? Approbavit hæc & Cyrus. Arque ij congressi quos cura tangebatur castelli illius, decreuerunt commune præsidium, quo hoc teneretur, omnium quibus prodesset in sua ipsum potestate habere, ut belli ipsis iste quasi murus esset, obiectus à se Assyriis. Quo facto & promptiore animo & auctiore numero Cadusij Sacæque, & Hyrcanij ad bellum sunt profecti. Collectusque tum fuit exercitus, Cadusiorum quidem, cetratorum ad viginti milia, equitum ad quatuor milia: Sacarum verò sagittarij ad decies mille, equites verò sagittarij ad bis mille: Hyrcanij autem cum pedites quàm multos licuit, attribuerunt, tum expleuerunt equitatum, ut essent circiter bis mille. Superiore enim tempore complures equites domi remanserunt, quòd Cadusij & Sacæ hostes essent Assyrij. **Q**UAMDIU autem Cyrus ibi confedit, dum de castello res ordinatur, multi in vicinia Assyriorum equos adduxerunt, multi arma attulerunt, omnes iam vicinos pertimescentes, cum Gadatas Cyrum accedens narrat, nunciari sibi, Assyrium, audita castelli occupatione, eam rem ferre grauitè, & parare se ad incursionem in regionem suam. Quòd si me dimittas, ô Cyre, munitione conaturus sim conseruare, de aliis minus est curandum. At Cyrus, Si ergo iam abeas, inquit, quòd domi futurus es? Tum Gadatas, tertio die, inquit, cœnabo apud nos. Nunquid Assyrium, inquit, ibi depræhensurum te esse existimas? Immo certò, inquit, scio. festinabit enim ille, dum te cenfer abesse longius. Ego verò, inquit Cyrus, quoto die cum exercitu illuc peruenire possim? Ad hoc Gadatas, Copiosum, inquit, Dominè, iam habes exercitum, vixque sex aut septem diebus ad meam regionem accesseris. Tu itaque, inquit Cyrus, abito quamprimùm: ego verò itinera faciam, sicut potero. Ac Gadatas quidem discessit: Cyrus verò omnibus sociorum principibus aduocatis, qui iam multi præclarique & fortes viri videbantur adesse, talem habuit orationem: Gadatas, ô Socij, ea, quæ à nobis omnibus quàm plurimi videntur æstimanda, perfecit, idque

que priusquam à nobis beneficium vllum in ipsum collatum esset. Nunc autem impressionem facere Assyrius fertur in regionem illius, simul nimirum sumere de eo supplicium volens, à quo se magno detrimento affectum esse censet, simul verò hoc etiam cogitans, si deficientes ad nos, nihil ab ipso mali perpetiantur, & cum ipso facientibus interitus afferatur à nobis, par esse, vt nemo tandem remanere secum velit. Nunc igitur præclarum facinus duco, quamprimùm nos succurrere Gadatæ, qui in nos beneficus fuit: simul etiam iustum sit facere, vt illi gratia referatur. Quin etiam hoc agentes nobis ipsis vtilitatem conciliaturi sumus, mea quidem sententia. si enim manifestum fiat conari nos, vt malefacientes vincamus malefaciendo, beneficos autem superemus bonis, æquum fuerit, ex eo complures qui amicitiam nostram expectant, qui verò inimicus esse concupiscat, fore neminem. Quòd si nullam curam Gadatæ suscipere videamur, Deum immortalẽ, quibus verbis persuadere aliis poterimus, vt aliquid nobis gratificentur? Quo ore autem de nobis audebimus ipsi prædicare, aut aliquis nostrum aspicere Gadatam, si inferiores ipso sumus beneficiis, nos tam multi, vno homine, atque adeo ita affecto erga nos? Hæc illo locuto, vniuersi admodum collaudarunt cohortâtes vt faceret. Agite ergo, inquit, quoniam hæc probantur vobis quoque, ad iumẽta atque vehicula relinquamus. singuli idoneos maximè ad comitandum: at Gobryas horum princeps esto, & idem noster ductor. & itinerum enim peritus, & in cæteris is est, in quo nihil desideretur. Nos verò cum valentissimis equis virisque iter ingrediamur cum trium dierum cibariis. Quò autem leuior erit & vilior commeatus, eò sequentibus diebus prædia cœnæque gratiores, & somnus iucundior est futurus. Nunc verò, inquit, sic procedamus. Primùm tu Chryfanta ducito loricatedos. atque ita ducito, quoniam plana & lata via est, vt centuriones in fronte sint vniuersi: ordines autem singuli sic procedant, vnus vt alteri succedat. densa enim acie cum celeritate tutissimè

iter faciemus. Atque ideo loricanos, inquit, antecedere iubeo, quia armatura hæc est grauissima in exercitu. Eo autem antecedente quod grauissimum est, necesse est facile sequi leuiora. Si autem antecedant expeditissimi, nihil mirum acciderit, si noctu copiam distrahantur. tum deinde verò quod auulsum est, fuga dilabitur. Post hos Artabatas, inquit, ducito cetratos & sagittarios Persicos. Post hos Andramyas Medus, pedites Medicos. Post hos Embatas Armenios pedites. Post hos Artuchas Hyrcanios ducito. Post hos Sambacas peditem Sacarum. Post hos Datamas Cadusios. Ita autem & hi omnes ducito, ut sint à fronte agminis sui centuriones, in dextro latere cetrati, in sinistro sagittarij. sic enim procedentes paratiores quoque ad omnes usus esse solent. Post hos impedimenta, inquit, omnia sequantur. Horum autem ductoribus curæ esto, omnes ut vasis cunctis collectis antequam somnum capiant, manè cum his præsto sint loco certo, & videant ut sequantur ordine. Post impedimenta autem, inquit, Persicum equitatum ducat Medatas Persa, qui & ipse collocet ductores equestrium turmarum in fronte. Ductor autem quisque suos ita iubeat prouehi, ut vnus alteri succedat, quemadmodum iussi sunt peditum ductores. Post hos Rambacas Medus, suos equites pariter. Post hos, tuos, Tigrane, itemque cæteri ductores equitum eos, cum quibus quisque aduenit, & post hos Sacæ suos ducunt. Postremi autem ut aduenerint, sic procedant Cadusij. Tu verò Alceuna & ducito hos, & in præsentia eorum suscipito omnium, qui à tergo sunt, & vide ne quis post tuos equites deprehendatur. Curæ autem vobis sit tam ductoribus quam cæteris sobriis ac sanis omnibus, ut cum silentio progrediamini. Auribus enim noctu, quam oculis, vnumquodque magis percipi & geri necesse est. Noctu etiam perturbari, negotij, quam interdiu, & difficultatis plus habet. Quamobrem & silentio opera danda est, & seruandi sunt ordines. Custodias autem nocturnas, noctu castra moturi semper quam minimo interuallo quamplurimas dispone

disponetis, ne quæ vigiliæ nimix in itinere debilitent. Vbi verò tempus fuerit proficiscendi, signum detur cornibus. Atque vos parati ab iis, à quibus esse decet singulos, ita asfitis, vt contendamus ad Babylonem. Qui sese autè commouebunt, ij sequantur quamproximè antecedentes vltimos. Atque ita deinde illi ad sua tabernacula reuertentes, simul in via sermonibus inter se prædicabant promptam Cyri memoriam, si quid cum aliquibus esset constituendum, quàm præclarè mandaret nomina commemorans. At Cyrus hoc studiosè faciebat, videbatúrque ipsi valde mirum, cùm opifices instrumentorú quique officinæ suæ nomina sciant, itémque medici suæ, vnà cum medicamentorum quorú vsus est, nominibus: si imperator tam stolidus esse velit, vt nomina eorum ignoret, qui duces sint in suo exercitu, sine quibus quasi opera militiæ elaborari nequeât, siue præoccupari aliquid, seu custodiri, seu confirmari aliquos animis, seu etiã terreri studeat. Quin etiã si quæ honore afficere vellet, decere arbitrabatur, vt nominatim eum appellaret: atque censebat eorum, qui se Imperatori notos esse existimarent, magis conspici cupiditatem facinoris præclari faciendi, & promptiorem voluntatem esse abstinendi à turpibus. Ducebat autem hoc stolidum esse, si quis quid geri vellet, ita imperare, quemadmodum domini quidam domi suæ imperarent: Ito ad aquam aliquis: findito aliquis ligna. ad tale enim imperiũ arbitrabatur accidere omnibus, vt spectaret vnus alterũ, neque quisquam faceret imperatum, cùmque in culpa essent vniuersi, nullus tamen ideo aut pudore afficeretur aut meru, quòd similiter in culpa esset cū multis: propterea ipse, si cui imperaret aliquid, cunctos nominatim appellabat. At Cyri quidem de his ista erat sententia. Melites verò tunc cœnati & custodiis dispositis, & cunctis vasis, sicut res postulabat, collectis, ita somno se dederunt: post medium autem noctis signum dedit cornu. Cyrus autem cùm Chryfantæ dixisset, se eo itinere ante primam aciem versaturum, ita adhibitis ministris suis egrediebatur

tur. Neque diu post & Chryfantas aderat cum loricatis. Ei Cyrus tradidit itineris duces, iussitque placidè pergere, donec nūcius venisset, in via esse iā vniuersos. Ipse verò eodem in loco constitit, & accedentes quidem dimittebat progredientes ordine, eos verò qui cunctabantur, curabat accersendos. Postquam autem in via iam erant omnes, misit ad Chryfantam equites, qui nunciarent, esse in via iam omnes, utque deinde ducendo procederet celerius: ipse verò equo prouectus ante primam aciem, placidè contemplabatur ordines: & ad eos, quos cernebat ordine & cum silentio progredi, aduectus sciscitabatur, Quinam essent? quo cognito, illos collaudabat: si quos autem sentiret conturbari, dabat operam ut autore comperto, ita motum sedaret. Vnum tantummodo omissum est de cura & diligentia nocturna ipsius. Præmiserat enim ante exercitum totum pedites expeditos non multos, quos spectaret Chryfantas, quique hunc vicissim, captantes auribus, & si quo alio pacto persentiscere aliquid possent, significarent Chryfantæ, quicquid occasio videretur postulare. Præerat autem quidam his quoque, à quo illi regebantur. Et quod relatu dignum esset, id modò significabat: quod non esset, eo narrando non obstrepebat. Ea igitur nocte iter hoc modo fecerunt. Cùm dies autem illuxisset, Cadusiorum ille quidem equites apud suos reliquit, quòd pedites horum agmen clauderent, ne nudi ab equite hi destituerentur, cæteros verò prouehi ante aciem primam iussit, quòd hostium quoque equitatus aciem antecederet, ut si quid ab aduersariis occurreret, ipse penes se instructum robur haberet & decertaret: sique còspicerentur aliqui in fuga, ut quàm paratissimi essent ad insequendum. Semper autem erant ei instructi, si insequi aliquos oporteret, & qui insequi, & qui apud se remanere deberent: vniuersam autem aciem distrahi nunquam pariebatur. Ac Cyrus quidem ita ducendo exercitum se gerebat: non ipse tamen vno loco tantum vtebatur, sed aliàs alibi circūuectus, inspiciebat & curabat, si quo opus esset.

Atque

Atque sic Cyri exercitus procedebat. SED de equitatu Gadatæ vnus vir potens, vbi vidit illum ab Assyrio defecisse, arbitratus siquid Gadatæ accidisset, se omnia quæ teneret, accepturum esse, ita mittit ille vnum ex suis, quibus fidem maximè habebat, ad Assyrium, & mandat huic, vt profectus, siquidem iam exercitum Assyriorum in Gadatæ regione offenderet, Assyrio diceret, si vellet insidiari Gadatæ, posse eum vnà cum suis intercipi. Exponere etiã iussit, quid copiarum haberet Gadatas, & quòd Cyrus cum eo non adueniret. quòd etiã itinere accessurus esset, ostendit. Præmissis autē famulis ad suos, iusserat munitionem, quam fortè tenebat in regione Gadatæ, tradi in potestatem Assyrij, cū omnibus quæ in illa essent, quòd fides sibi apud Assyrium esset certior: se quoque significauit ipsum aduenturum, Gadata quidem, si fieri posset, interfecto: sin minus, vt deinceps apud Assyrium esset. Cui hoc negotium datum fuerat, is incitato equo, quanta maxima celeritate potest, ad Assyrium peruenit, & cuius rei causa assit, enarrat. Quibus auditis, locum illum Assyrius statim occupat, & cum equitatu copioso & multis curribus in vicis illic frequentibus insidias ponit. Gadatas cū illis vicis appropinquaret, præmisit quosdam exploratores. Hos vbi aduentare Assyrius cognouit, iubet suorum currus duos aut tres incitari ad fugam, itemque equites paucos, quasi timore percussos, quòd ibi non multi adessent. His visis, exploratores cū ipsi statim insequi, tam innuere Gadatæ: qui deceptus ipse quoque omnibus viribus insequi cœpit. Assyrij verò postquam capi posse Gadatam credere, ex insidiis statim exorti, & ab equitibus Gadatæ cōspecti, illos nimirum in fugam verterunt, suntque ipsi scilicet insecuti fugientes: interque hæc is, qui insidiabatur Gadatæ, ferit hunc, non ille quidem mortifero ictu, inflicto tamen humero, quem vulnerauit. Quo facto coortus ad eos contulit se, qui fugientes insequebantur. Et cognitus ille Assyrius incitato magna alacritate animi equo, vnà cum rege & ipse insequi: ibi iam quorum tardissimi

erāt equi, à velocioribus scilicet capiebantur, cū omnes Gadatæ equites grauius premerentur, quòd itinere confecti essent. Atque Cyrum cum exercitu aduentantē cernunt: id quod illis accidisse videri par est optatum & iucundum, qui tāquam ex tempestate in portum deferrentur. Ac Cyrus quidem, primò quid esset mirari: mox re cognita donec omnes contrā inuehebantur, ducere & ipse contra illos aciem instructam. At hostes eo, quod erat, cognito, vbi in fugā sunt versi, ibi tum Cyrus ad hoc ordinatos iussit insequi: ipse verò deinceps ita procedere cum cæteris, vt expedire arbitrabatur. Hic iam & currus capiebantur, hi prolapsis aurigis vel dum conuertere currus volunt, vel alio modo, illi circumuenti ab equitibus, & cadunt cū alij multi, tum is, qui Gadatam percusserat. Ex peditatu autem Assyriorum adducti ad oppugnandum castellum Gadatæ plerique in illam munitionem se contulerunt, quæ defecerat à Gadata, non etiam nulli accelerantes in urbem quandam Assyriorum magnam, quò & Rex ipse cum curribus & equis confugit. Ac Cyrus quidē his gestis reuersus est in regionem Gadatæ, cūque iis, ad quos cura ea pertinebat, de captiuis mandata dedisset, rectā ad Gadatam ire cœpit, vt eum viseret, & cognosceret, quo pacto se ille haberet ex vulnere. Cui accedēti Gadatas vulnere iam obligato obuiam venit. Quo cōspecto lætus Cyrus, Ego ad te, inquit, ibam visurus, quomodo te haberes. At ego, ita me Dij ament, processi iterum te vt contuerer, animaduersurus, quænam species tua esset, istiusmodi animo præditi, qui tam cupidè mihi succurreris, haud scio qua in re vsum mei requirens, neque etiā hoc te esse facturum mihi pollicitus: neque adeo, quod ad te priuatim attinet, vllò beneficio accepto à me, nisi tuis amicis quòd vtilitatis aliquid conciliasse videor. Itaque per me quidem occidi, per te verò saluus sum. Ego profectò, ô Cyre, si is, qui in hanc lucem procreatus fui, manerem, & suscepissem liberos, an sic affectum erga me filium nactus essem, ignoro. Nam & alios aliorū filios vidi, atque
istum

istum adeo, qui modò Assyriorum rex est, maiorem attulisse patri suo dolorem, quàm tibi afferre nunc possit. At Cyrus respondens, Multo scilicet, inquit, admirabilius quiddam prætermittens me admiraris. Quidnam hoc est? inquit Gadatas. Quòd tantæ, inquit, copiæ Perfarum studio suo te complexæ fuerunt, tantæ Medorum, tantæ Hyrcaniorum, itémque omnes qui assunt Armenij, Sacæ, Cadusij. Ibi Gadatas vota fecit, At te ego, Iupiter, oro: & his multiplicia bona à Diis immortalibus tribuantur, & plurima illi, quo autore fit, ipsi vt sint tales. Vt tamen eos, quos laudas, præclarè accipiamus hospitio, munera ista admitte, qualia dare conceditur. Simúlque permulta adducebantur, vt & sacrificandi volentibus copia esset, & totus exercitus hospitio acciperetur eo, quo digni erant, quique rem præclarè gessissent, & fortunam habuissent præclaram. CADUSIUS autem qui seruasset à tergo, neque particeps fuisset insectationis, cùm vellet ipse quoque splendidum facinus facere, neque communicata ea re, neque locutus quicquam cum Cyro, excurrit in Babyloniam regionem. Dispersis autem equitibus ipsius discedens Assyrius ab ea vrbe, in quam fugiēs se receperat, obuiam fit cum exercitu accuratè instructo: ac postquam solos Cadusios adesse cognouit, impressionē facit, interfectoque Cadusiorum ductore cum multis, equos complures Cadusiorū capit, & prædā, quam trahebāt, aufert; & insegutus quousque tutò hoc fieri putabat, reuertitur. Ex Cadusis verò primi, qui superfuerant, ad exercitum rediere circiter vespere. Cyrus autem eo, quod acciderat, cognito, & obuiam procedere Cadusis, & si quæ vulneratum cerneret, eum recipiens ad Gadatam deduci iubere, vbi curaretur: cæteros in tabernacula distribuere, & dare operam vt necessaria suppeterent, adhibitis sibi curæ illius sociis, Persis æqualibus dignitate. Talibus enim casibus præstantes virtute laborem communicari secum volunt. Atque ipsum quidem ingente dolore affici apparebat. Proinde aliis iam suo tempore cœnantibus, Cyrus

adhuc vnà cum ministris & medicis obire, neque exper-
tem curationis relinquere sua voluntate quenquam, &
vel coràm ipse inspiciendo operam nauare, vel si quò non
liceret ipsi peruenire, palàm qui illos curarent, ablegare.
Ac ita tum somnum ceperunt. Prima autem luce præco-
nio cæterorum ductoribus aduocatis, & Cadusiis vniuer-
sis, talem habuit orationem: Id quod accidit, ô Socij, hu-
manum est. nihil enim mirum est, vt opinor, homines na-
tos falli atque errare, Dignum autem fuerit, ex istius rei
euentu, prosperitatis aliquem nos fructum percipere, ni-
mirum vt discamus, Nūquam esse à toto exercitu abstra-
hendam copiarum partem hostium copiis inferiorem.
Neque hoc tamen, inquit, dico, non interdum, si opus sit,
cum minore parte copiarum progrediendum, quàm fue-
re Cadusij abeūtis copiarum: sed si quis se cōmouet & erumpit,
ei quantum satis sit subsidij paratū esse oportere. Fieri
sanè potest aliquis vt decipiatur: fieri autē & hoc potest,
vt ea parte, quæ remanet, decepti hostes auertantur ab
egressis: fieri etiam potest, vt alia negotia exhibeātur ho-
stibus, & sui in tuto collocentur. Atque hoc pacto etiam
is, qui discesserit, non est abfuturus, sed à robore exerci-
tus quasi pendebit. Qui verò ita abierit, vt cum nemine
communicet vbi sit futurus, ei nihil accidit diuersum ab
eo, qui solitarius esset miles. Verùm istius facti, haud ita
multo pòst, volente Deo, vltiores erimus, dabuntque pœ-
nas nobis hostes, ac mox pransos ego vos eò ducam, vbi
res est gesta, & simul mortuos sepeliemus, simul hostibus,
qua parte superiores se esse censent, ostendemus alios, si
Deus volet, potiores, neque aspectū eius loci, quo socios
nostros conciderūt, patiemur ipsis esse iucundum. Quòd
si noluerint congregari nobiscum, nos & vicos illorum in-
cendemus, & regionem populabimur, ne latentur aspe-
ctu eorum, quibus nos affecerunt, sed spectantes propria
mala dolorem capiant. Atque vos alij, inquit, ite & pran-
dete: vos autem Cadusij, primùm omnium digressi hinc
legitima ratione principem & ductorem legite, qui curā
vestri

vestri sustineat, Diis adiutoribus & nobis, si ope nostra indigeatis: & præsi ad me iubete venire lectum à vobis principem. Quæ cum illi peregrissent, Cyrus aducto exercitu & instructa acie, lectum à Cadusiis ductorem, iussit suos ordines ducere propinquos sibi, ut si possimus, inquit, animos istorum confirmemus. Sicque profecti cum aduenissent, Cadusios sepelierunt, & populati sunt loca illa: hisque perfectis redierunt in Gadatæ regionem, cum comœatu ex hostili. CUM autem veniret in mentem Cyro, eos, qui ad se defecerant, in vicinia esse Babylonis, & nisi ipse assit, malè cum eis actum iri, ideo quoscunque captos ex hostibus dimittebat, eis mandata dabat ad Assyriũ, & ipse caduceatore misso, hoc ei dici iussit: se agricolas non esse læsurum, neque passurum ut vis ipsis afferatur, si Assyrius eos sinat terram colere, qui ad Cyrum defecerint. Sanè, inquit, quamvis tu impedire possis, paucos quosdam impediturus sis, nam terræ non multum est eorum, qui ad me defecerunt: at ego plurimum, quod colatur, tibi reliquero. Quo tempore autem fruges percipi solent, eo si inter nos bellum fuerit, is scilicet qui potentior erit, illas percipiet: sin pacem habuerimus, tu nimirum, inquit: si verò vel quispiam meorum arma aduersus te sumserit, aut tuorum aduersum me, eos, inquit, vterque nostrum pro virili profligabimus. Cum his mandatis caduceatorem ablegauit Cyrus. Assyrij verò, auditis illis, assentiebantur omnes, & suadebant Regi ut conditiones istas admitteret, & quàm minimam belli partem relinqueret. Et Assyrius siue genti suæ obsecutus, seu voluntate propria, ista approbavit, cõuenitque inter ipsos, cum agricolis pacem esse, & bellum cum armatis. Atque hæc de facientibus opus ita transfegerat Cyrus. Pascua verò iumentorum suos iubebat, si vellent, collocare in locis subiectis ditiori ipsorum: prædam autem agebant vndecunque poterant, ut esset militia sociis iucundior. nam pericula adiri eadem non etiam patando necessaria, comœatum autem ex hostibus suppetere, faciliorem militiam reddere videbatur.

Iam verò abitum Cýrò parante, aderat Gadatas adducēs & apportans cùm aliam bonorum copiam, tum equos cōplures ademptos suis, quibus minùs propter insidias fidebat, cùmque appropinquasset, hæc locutus est: Ista nūc, ô Cýre, tibi adduco, vt illis, si opus sit, vtare. Sic tamen statuas, quicquid meum est, id esse tuum. Neque est enim, neque erit vnquam, cui ex me nato relinquam domum meam: sed moriente mecum extingui genus nostrum atque nomē necesse est. Arque hæc perpeffus sum, id quod iuratus Deos affirmo, inquit, ô Cýre, qui vidētque & audiunt omnia, cùm quod iniustum aut turpe sit, neque dixerim neque fecerim. Et simul inter hæc verba lacrimas profudit, neque plura loqui potuit. Cyrus autem his auditis, miseratus est casum ipsius, & ita dixit: Sanè equos, inquit, accipio. Atque erit hoc tibi vtile, quòd daturus hos sim magis beneuolis quàm fuere tui, qui modò habuerunt. Ipse ego quoque equitatum Persicum conficiendi iam dudum cupidus, ita numerum decem milium equitum citiùs potero complere. Cætera tu, inquit, abducito & seruato, donec eo me loco videris, vt non sim remunerando inferior. Quòd si tu ita discedas, vt plura dona tribuas quàm accipias, haud, ita me Dij bene ament, scio quo pacto facere possim, vt non afficiar pudore. Ad hæc Gadatas respondit: Sanè hæc credo verè abs te dici, animaduerto enim tale esse ingenium tuum. Sed mēcum esse censes, qui idoneus sit ad ista conseruanda? Donec enim cum Assyrio coniuncti fuimus, opes patris mei luculentæ sunt visæ in primis. nã quòd vicina esset Babylon vrbs maxima, quicquid commodi percipi ex ingente vrbe potest, eo fruebamur: molestiam verò ab eadē concedentes illinc huc omnem vitabamus. Nunc verò hostiliter alienatis nobis, vbi scilicet tu discesseris, & nos & tota domus nostra exponetur insidiis & violentiæ, & omnino, vt opinor, tristis erit & misera vita nostra, qui hostes cùm vicinos nobis tum parentiores habituri simus ante oculos. Alc dices fortasse, cur verò non venerunt ista tibi

tibi in mentem ante defectionem? Quia enim, ô Cyre, meus animus propter iniuriam acceptâ & indignationē, non hoc agebat, vt quid esset tutissimum cōsideraret, sed perpetuò parturiebat pœnā, quam repeterem ab illo Diis & hominibus inuiso, qui non desinit odisse haud eum fatē à quo fortè læsus est, sed si quem sibi virtute præstare suspicatur. Quamobrem ipse, cū improbus sit & malus, se scilicet deteriores omnes socios habiturus est. Quòd si quis fortè antecellat ipsi bonitate, ad eum quòd attinet, confidente animo sis Cyre, cū hoc enim præstante virtute viro te configere nihil necesse erit: sed ad id satis esse poterunt Assyrij ipsius machinationes, qui ipse tollet se præstantiorem è medio. Verùm vt mihi molestus sit, in eo, quamvis improbis sociis vtatur, facilè est superior futurus. Hæc Cyrus cū audisset, arbitratus ea dici, quæ nullo modo negligenda essent, statim respondit: Quin igitur, inquit, ô Gadata, præsidio firmo imposito munitio- nibus tuis, vt adueniens receptum in illis habeas, & sis in tuto, tu ad nostrum exercitum te adiungis, vt si Diis adiutoribus, quemadmodum modò, vtamur, iste te metuat, non ipsum tu; quicquid autem tuorū aspectu tibi iucundum est, aut cuius consuetudine lætaris, eo adhibito mecum proficiscitor. Atque tu mihi, mea quidem sententia, magnopere vsui esse possis: ego verò vt tibi sim, pro viribus conabor. His auditis animum recepit Gadatas, & dixit: Possimne autem, inquit, modò, colligendo mea, tuam discessionem anteuertere: nam mecum & matrem abducere cupio. Ita me Iupiter amet, inquit, anteuertes omnino. nusquā enim ego mouebo, donec tu rectè esse omnia perhibueris. Atque ita digressus Gadatas præsidio, vnà cum Cyro, firmavit à se, munita operibus loca; collegitque omnia, quibus ampla domus præclarè instrui posset. Abduxit etiam multos tam eorum, quibus fidem habebat, quorūque vsus ipsi voluptati erat, quàm quibus diffidebat. Ex his quoque cogebat alios suas vxores adducere, alios forores, vt his quasi vinculis astrictos illos

contineret. CYRUS itaque cum Gadata, & quos ille
 secum habebat, procedere utens illo demonstratore via-
 rum, & aquarum, & pabuli, & frumenti, ut exercitus sem-
 per omni copia abundaret. Iamque erat Babylon in con-
 spectu, videbaturque ea, quam ingrediebatur, via eò du-
 cere, ut moenia urbis ipsa prætereunda essent. Vocatos igitur
 Gobryam ac Gadatam interrogat: Essetne alia via, ut
 propius ad urbem accedi non oporteret? Tum Gobryas,
 Sunt, inquit, Domine, viæ complures. Ego verò credidi,
 te nunc quamproximè ad urbem velle ducere, ut osten-
 tes exercitum istis, quem scilicet habes iam copiosum at-
 que præclarum. Nam tum etiam cum habuisti minorem,
 & ad ipsa moenia accessisti, & spectatores illi fuere no-
 strum, qui pauci eramus: at nunc quamvis sit paratus, sicut
 dici ille tibi iussit, quòd pararet se ad prælium, scio impa-
 ratum sibi visum iri, ubi tuas copias conspexerit: Ad hæc
 Cyrus ita respondit: Videre mihi, ô Gobrya, mirari, me,
 quo tempore cum multò minoribus copiis adueni, ad
 ipsa moenia illas adduxisse, & nunc copiosiore exerci-
 tum nolle sub hæc ducere. Verum ne mireris, inquit. non
 enim idem est adducere & præterducere. Adducunt enim
 omnes ita instructas copias, quemadmodum quàm rectif-
 simè prælium committi posse existimant: abducunt au-
 tem, qui sapiunt, sic, tutissimè non celerrimè ut abscedant.
 In prætereundo autè necessariò plaustra longâ serie ten-
 dunt, & cætera impedimenta multum distinentur. at
 omnia hæc regi undique armatis, neque uspiam impedi-
 menta ab armis nuda conspici oportet. sic autem proceden-
 tibus copiis, necesse est ordines militum extenuari &
 debilitari. Si itaque ex munitione conferti hostes erum-
 pere, & manus conferere velint, conflictus horum vehemē-
 mentior futurus sit, quàm prætereuntium. præterea cum
 longum agmen trahatur, è longinquo etiam his succur-
 retur: qui verò ex munitione eruperint, ij breui interual-
 lo & propinquos adorientur, & se recipient. Sin autè non
 propius prætereamus, quàm modò extensis ordinibus
 proce

procedimus, illi quidem multitudinem nostram conspicient, omnis autem turba armis prætexta formidulosa apparet. Quòd si ita nos pergentes alicunde illi aggrediantur, procul eos prospicientes non depræhendemur imparati. Quin etiam sic habetote, inquit, ne esse quidem illos quicquam conaturos, quando à munitione recedendum longius fuerit, nisi totis suis copiis superiores uniuerso exercitu esse crediderint. metuenda enim res est, receptus. Hæc cum dixisset, & iis qui aderant, rectè narrare visus est, & Gobryas duxit, quemadmodum iussus fuerat. Prætereunte autem exercitu urbem, ita abibat Cyrus, ut vltima quæque firmaret. Postquam verò progrediens, confectis diebus certis, peruenit ad fines Assyriorum atque Medorum, vnde & mouerat, ibi iam tria Assyriorum eo loci castella cepit: vnum quidem minimè firmum, impressione & vi, duo autem reliqua dedente præsidio, cum Cyri formidine territo, tum Gobryæ cohortatione adducto. **A T Q V E** his gestis, mittit cum mandatis quædam ad Cyaxarem, accersens eum ad exercitum: simul de occupatis castellis horumque vsu ut deliberent: simul ipse ut exercitum contemplatus, consilium de cæteris communicet, quid deinceps agendum esse videatur. Quòd si iubeat, inquit, dicito, me ad ipsum venturum cum exercitu. Ista nuncius explicaturus vbi discessit, interea Cyrus iubet Gadatam id tabernaculum quod exemerant Medi Cyaxari, quàm præclarissimè instruere, cum aliis instrumentis, tum mulierculis in tabernaculi muliebri conclauē introductis, tam duabus aliis, quàm Musicis ipsi exemptis. Atque hæc illi exequabantur. Sed nuncius ad Cyaxarem missus cum mandata exposuisset, auditis iis Cyaxares, censuit esse melius, exercitum in finibus remanere. nam & Persæ, quos sibi mitti Cyrus petierat, iam aduenerant quadraginta milia sagittariorum & cetratorum: à quibus cum multum damni Medicæ regioni dari cerne-ret, etiam hos dimittere, quàm aliam insuper turbam admitttere, satius esse statuit. Qui igitur copias Persicas duc

cebat, is quemadmodum mandauerat Cyrus, percunctatus Cyaxarem, An exercitu' ei illo opus esset? Postquam hic opus esse sibi negauit, eodem die, quòd propè adesse Cyrum audiisset, exercitum ad ipsum deduxit. Cyaxares autem postero die cum iis Medorum equitibus, qui apud se remanserant, profectus est: quem ubi Cyrus sensit aduenire, adhibitis equitibus Persis, quorum iam numerus auctus erat, & Medis vniuersis, Armeniisque ac Hyrcaniis, necnon cæterorum sociorum iis, qui equis armisque essent instructissimi, ita processit obuiam, & Cyaxari copias spectandas exhibuit. Hic verò, qui videret esse in comitatu Cyri multos egregios & fortes viros, suos autem asseclas paucos, neque magno æstimandos, ad ignominiam hoc suam pertinere arbitratus est, & ex eo cepit dolorè. Postquam verò Cyrus ex equo desiliit, & accessit ad osculum, secundum gætis morem, Cyaxares quoque de equo ille quidem descendit, sed auertit se, neque osculatus est Cyrum, & lacrimas eum profunderè apparuit. Tum deinde Cyrus, iussis omnibus aliis recedere & acquiescere, manu Cyaxaris præhensâ abduxit extra viam illum subter palmas quasdam, stragulamque quasdam Medica substerni iussit, eoque collocato, cum & ipse assedisset, sic est percunctatus: Per Deos, inquit, immortales, mi auuncule, cur mihi succenses, & quid animaduertis molestum & graue, quod tam grauiter & molestè ferendum putes? Ibi Cyaxares huiusmodi, illi dixit: Quia inquit, ô Cyre, ego, qui arbitror post hominum memoriam, cum maioribus antiquis, tum patre rege me procreatum, & quem omnes regem ipsum esse statuunt, cerno me aduehi tam humiliter & indignum in modum, te verò adesse magnum atque magnificum, auctum meis ministris & copiis. Talia graue sit ab hostibus etiam, vt opinor, perpeti. Quanto autem, Deum immortalem, grauius perpeflum esse, à quibus minimè oportebat? Atque ego sic animatus sum, vt libentius velim terram mihi dehiscere decies, quam in tanta humilitate conspici, & cernere meorum neglectionem atque

que irrisiōnem. Haud enim ignoro, inquit, non modò te esse me præstantiorem, sed meos etiam seruos occurrere mihi viribus superiores, & sic paratos vt magis possint malè mihi facere, quàm ipsi à me quicquam pati. Simùlque inter hæc dicta maior lacrimarum vis profundebatur, adeo vt Cyrum quoque eò pertraheret, vt oculi ipsius lacrimis implerentur. Paululum autem moratus Cyrus, sic est locutus: At enim neque ista, mi auuncule, vera sunt quæ narras, neque rectè sentis, si putas mea præsentia ita paratos esse Medos, vt ad malè facièdum tibi satis instructi sint: te verò & irasci & metuere nõ sanè miror. Vtrùm autè iure an iniuria illis succenseas, id omittam. scio enim grauiter te laturum defensionem meam, si audias pro illis causam dici. Cæterùm principem virum, qui imperiũ in alios habeat, suæ ditioni subiectis grauiter succensere simul omnibus, eo magnopere peccari arbitror. nã multis si timor iniiciatur, multi etiam inimici necessariò habendi sint: & grauiter dum omnibus succèsetur, omnium coniungitur ipsorum concordia. Atque scire debes, quòd has ob causas non dimiserim istos vt ad te reuerterètur, veritus ne quid de tua iracundia existeret, quod omnibus nobis molestiam afferret. Sed me præsentè, nihil tibi erit hac in parte periculi. Quòd autem statuis me erga te esse iniustum, id ego perquam grauiter fero, si id agès vt amicis quantũ possim plurimum boni conciliem, videor tamen efficere contrarium. Verùmenimvero ne ita temerè criminemur ipsi nos, ac si fieri potest, planissimè perspiciamus, quale sit illud iniustũ meum facinus. Atque ego eam, quæ est inter amicos æquissima, conditionem fero. si enim appareat me mali aliquid fecisse, iam me esse iniustum confiteor: sinè neque fecisse mali me quicquam, neque adeo cogitasse appareat, nunquid tu quoque confitebere, nullam à me tibi esse factam iniuriam? Necessè est, inquit Cyaxares. Quòd si constiterit me tibi benefecisse, & eo animo fuisse, vt facerem quantum plurimum possem, nunquid lande, quàm reprehensione, dignior sim?

Meritò sanè, inquit. Age igitur, inquit Cyrus, quæ à me gesta sunt, ea consideremus singula. hoc enim modo maximè erit perspicuum, quid in his boni quidve mali insit. Ordiamur autem, si tibi quoque sufficere videtur, de hoc initio. Tu enim profectò cùm multos hostes comperisses cõuenisse impressionem facturos in regionem tuam, statim nuncios misisti tam ad Persas communiter petès auxilia, quàm priuatim ad me postulans vt studerem aduenire ductor Persarum, si qui proficiscerentur. Nunquid igitur obsecutus sum voluntati in hac parte tuæ, & affui adduxique viros quàm potui plurimos atque fortissimos? Aduenisti sanè enim, inquit. In hoc ergo primùm, inquit, dicito mihi, vtrùm iniuriam aliquam in te meam depræhenderis, an beneficium potiùs? Perspicuum, inquit Cyaxares, est, quòd beneficium in hoc quidè. Quid verò, inquit, postquã hostes affuerunt, & cum his certamen præliumque committendum fuit, in eõne animaduertisti vel aliquem me laborem declinare, vel periculo parcere? Haud equidè, ita me amet Iupiter. Sed victoria cùm iam ad nos, Diis adiutoribus, inclinasset, & discessissent hostes, nõne accersui te ego, vt vnà eos insequeremur, & vnà vlcisceremur, & simul eo frueremur, quod euenisset boni malive? In his omnibus habésne quòd accuses in me prauæ cupiditatis facinus iniustum? Ad hæc Cyaxares tacuit. Tum Cyrus rursus ita est locutus: Quia nimirum siliere quàm respondere ad hæc magis tibi libet, hoc memorato, inquit: In eõne existimes aliquid iniuriæ tibi factum, quando quòd insequi nos tutò posse non existimares, ego nõn permisi te eius periculi esse participem, ac petij, vt tuorum equitum aliquos mihi adiungeres? An verò iniustæ fuerunt istæ preces? cùm præsertim me tibi belli focium præbuissem: hoc iam, inquit Cyrus, abs te demonstratur. Tacente ad hæc quoque Cyaxare, At enim si neque ad hoc respõdere vis, inquit, dicito deinceps: An hoc iniustum sit, cùm tu respondisses, quoniam cerneres Medos istos hilaritati operam dare, non velle te hæc impedita,

dita, cogere eos ad insequendum periculose hostes, nunquid perperam hac in parte à me factum esse videatur? quòd omiſſa iracundia, poſtea ruruſum orauit te, quò nihil exilius tribui ab te mihi, neque facilius imperari Medis poſſet. contendi enim, vt volentes ſequi mihi traderes. quo impetrato ab te, quid profeceram, ſi non iſtos adducerem in ſententiam meam? Hoc igitur, cum eos acceſſiſſem, perfecit: & qui mihi aſſenſi fuerunt, iis adhibitis ſum profectus, ſicut tu permiſeras. Quòd ſi hoc culpandum cenſes, nimirum non vacabit culpa accipere dona tua. Atque ita caſtra mouimus. Poſtquam verò exiuiſſimus, quid eſt obſcurum omnium, quæ egimus? Nonne caſtra hoſtiũ capta ſunt? nonne complures ex aduerſariis tuis mortem oppetierunt? Ex hoſtibus autem tuis qui adhuc viuunt, nonne multi armis, multi equis ſpoliati ſunt? Res quidem certè eorum, à quibus dudum tuæ rapiebantur & ferebantur, nunc tuas vides tenere & abducere, partim tibi, partim ſibi ipſis, vt ſub tuo imperio ſint: quòdque eſt omniũ maximum atque præclariffimum, tuam regionem vides ampliorem, hoſtium anguſtiorẽ: itẽmque hoſtium caſtella occupata eſſe, & tua quæ paulo antè auulſa Syrorum acceſſerant territorio, iam ruruſum ad te eſſe redacta. Ex his maline aut non boni aliquid tibi extiterit, neſcio ſanè quomodo dicere poſſim me velle cognoſcere: nihil tamen vetat audire, proinde quæ de his ſit ſententia tua, exponito. Atque Cyrus hoc loco finem dicendi fecit. Ibi ad illa Cyaxares iſta dixit: At enim, ô Cyre, quo pacto dicam mala eſſe hæc, neſcio: hoc verò planè, inquit, ſcito, quòd eiufmodi iſta bona ſint, vt quò plura appareant, eò magis me onerent. Nam tuam ego, inquit, regionẽ malim meis copiis fieri ampliorem, quàm cernere ab te tali modo augeri meam. Tu enim hoc facto laude ipſe quidem afficiaris, cum ad meam illa ignominiam quodammodo tendant. Etiam pecunias, inquit, iſto tibi pacto libentius donaturus, quàm ab te accepturus eſſe videor ea, quæ mihi nunc tribuis. Perſpicuè enim intelligo, me

ditari ita abs te, vt fiam pauperior. Meæ etiam potestati subiectis, si modicas iniurias abs te fieri cernam, minus videor id molestè laturus, quàm quòd modò magnis beneficiis affectos esse cerno. Quòd si absque vera ratione cogitari à me hæc arbitraris, ne in me ista, sed versa vice in te ipso contempleris, qualia appareãt. Quid enim, inquit, si quis canes, quos ad tui tuorumque custodiam aleres, eos curando redderet sibi, quàm tibi notiores, istòne obsequio tandem te delectaret? Quòd si tibi paruum hoc videretur, istud considera: Si quis tuos ministros & stipatores, quos & cultus & præsidij causa parasses, in eam voluntatem adduceret, vt illius, quàm tui, esse mallent, nunquid ob hoc beneficiũ gratiam ei haberes? Quid verò, (id quod homines arctissimè complectuntur & familiarissimè colunt) si quis tuam vxorem sic curet, vt efficiat amantiorẽ sui, quàm tui, istòne beneficio delectaturus te esse videatur? multum etiam, vt opinor, absit. immo satis scio, hoc facto maximam illum tibi iniuriam illaturum esse. Atque vt commemorem id, quod inprimis congruit perturbationi meæ, si quis Persas, quos adduxisti, ita curaret, vt sequi ipsam mallent quàm te, eumne amicum esse statueres? meo quidẽ animo nequaquam, ac potius infensorem hostem duceres, quàm si multos tuorũ concidisset. Quid verò, si quis tuorum amicorum, te benignè iubente acciperet tuorum quicquid vellet, his auditis discederet ablatiis quibus posset omnibus, & ipse tuis opibus diues, non relinqueret tibi ne mediocrium quidem facultatũ vsum, possesne talem culpæ expertem amicum iudicare? Atque ego nunc, ô Cyre, inquit, si non eadem ista, at his similia abs te perpeffus mihi esse videor. Vera enim tu narras, cùm ego dixissem, abduci posse volẽtes, tu discessisti cum meis copiis omnibus, me relicto solo. Et nunc quæ meis copiis occupasti, iis me & meam regionem auctam esse ais, meis nimirum copiis: à me verò nihil scilicet ad hæc bona momenti allatum videtur, & tanquam femina præstò sum ad beneficium accipiẽdum, tam ab alienis quàm

his

his meo imperio subiectis. Tua enim species viri est, ego verò indignus habeor imperio. Ista igitur tua, ô Cyre, esse beneficia videntur. Quòd si quæ cura mei te attingeret, scire debebas, nihil tantopere cauendum tibi esse, quàm ne spoliare me autoritate & honore. Quid enim lucri faciã dilatata regione, si ignominia ipse afficiar? Non enim ideo sum adeptus Medorum imperium, quòd ego vnus præstarem vniuersis, sed quòd ipsi illi me sibi potiore esse statuerent atque vellent. Hæc dicentem interpellans Cyrus, Per Deos immortales, mi auuncule, inquit, si qua re antea tibi gratificatus sum, & nunc tu mihi gratificare, eo quod rogaturus sum: in præsentia desiste mihi succensere. Vbi verò periculum feceris, quo modo affecti nos simus erga te, si res à me gestæ beneficij loco ponendæ videbuntur, complectentē tunc amanter me vicissim complectere, & inter beneficos recensere: sin aliter, tunc mihi succensere. Fortasse scilicet, inquit Cyaxares, rectè narras, & ita ego faciam. Nunquid igitur, inquit Cyrus, iam osculabor te? Si libet, inquit. Tu verò non auersaberis me, sicut paulo antè? Non auersabor, inquit. Itaque ille eum est osculatus. Quòd videntes Medi ac Persæ, necnō alij multi, (omnibus enim curæ erat quoniam ista euasura essent) statim voluptate & hilaritate affecti fuerunt, & Cyaxares deinde & Cyrus conscensis equis, ducere, sequique Cyaxarem Medi, (id enim vt facerent, Cyrus innuerat) Cyrum Persæ, & post hos cæteri. Cùm autem in castra peruenissent, & collocassent in suum tabernaculum Cyaxarem, apparabantur huic quæ par erat, ab iis quibus fuerat mandatum. At Medi, quamdiu antè cœnam ociosus erat Cyaxares, adire ad eum, plerique sua sponte, non autem nulli quòd Cyrus iussisset, & dona afferre: hic formosum & scitum pincernam, ille egregium coçum: alius pistorum, alius Musicæ artificem: alius pocula, alius præclaram vestem: denique vnusquisque ferme, aliquid ex sua præda dono dare, vt Cyaxares, mutata sententia, neque Cyrum auctorem defectionis à se illorum, neque Medorum minus erga se attentos animos esse statueret. cùm

autem cœnæ tempus iam esset, postulauit Cyaxares à Cyro, quòd longo interuallo se ille conspiceret, vt vnà cœnaret: Cyrus verò, Ne tu hoc iubeas, inquit, ò Cyaxare. ànnon vides omnes istos præsentés, ita adesse vt de nobis pendeant? malè igitur facerem, si istos negligens meas voluptates pèrsequi viderer. milites autè qui negligi se existimant, si boni sunt, franguntur animis: si mali, petulantia illorum augetur. Tu verò, inquit, lōga præsertim via confecta, cœnato iam, & vicissim complectere amanter & accipe conuiuio, si qui te honorant, vt tu illis etiam fretus esse possis: ego verò digressus ad ea quæ dixi, diuertar: crastino autem die ad fores tuas manè omnes, quos cōuenit, affuturi sumus, vt tecū consultemus quid deinceps agendum sit. tu verò iniice præsens de hoc, vtrū in armis milites diutius, an dimitti exercitum, tempus esse videatur. Post hæc Cyaxares ad cœnam se contulit: at Cyrus cōuocatis ex suis, qui & consilio & manu, cū opus esset, præstabant cæteris, talem habuit orationē: Quæ primūm precati sumus, amici, ea diis adiutoribus nobis contigerunt. quascunque enim regiones obimus, iis etiam potimur, atque videmus hostium vires diminui, nostrum exercitum numero & robore augeri. Quòd si illa auxilia, quæ nobis accesserunt, remanere velint, multò magis poterimus incepta perficere, siue vī agendum, siue persuadēdo aliquid obtinendum sit. Vt igitur quam plurimis sociis nobiscum manere itidem placeat, id efficere, non magis meū quàm vestrū opus fuerit. Quemadmodū enim in prælio is fortissimus existimatur, qui plurimos superauit, ita vbi cōsiliū ineundū est, qui in sententiā nostrā plurimos adduxerit, is & dicendi & agēdi pèrtissimus meritò habeatur. Non tamen vos meditari velim, vt orationem ostētetis mihi, qua apud vnumquēque illorum vsuri sitis, sed ita parare, vt re ipsa declarētur, quid ab vnoquoque aliquibus persuasum sit. Atque hæc vobis, inquit, curæ sint: ego verò, vt necessaria suppetant militibus de militia deliberaturis, quantam maximam pōtèro cūram sum adhibiturus.

Xenō



XENOPHONTIS DE
CYRI DISCIPLINA
LIBER SEXTVS.

* *
*



TQVE eo die ita consumto, cœnati acquie-
uerunt: postero autem die manè, ad fores
Cyaxaris conuenerunt socij vniuersi. Dum
exornatur igitur Cyaxares, qui audiret ma-
gnam esse ad fores multitudinem, interea
amici ad Cyrum adducere, alij Cadusios petentes ab illo
vt remaneret, alij Hyrcanios, aliquis etiam Gobryam, ali-
quis Sacas. Hystaspes verò adducebat Gadatam eunuchū
orantem vt remaneret Cyrus. Ibi Cyrus, qui sciret iam-
dudum formidine extinctū esse Gadatam, ne exercitus
dissiparetur, arrisit, & Perspicuū est, inquit, Gadata, Hy-
staspem autorem esse persuadendo sententiæ eorum, quæ
narras. At Gadatas, sublatis manibus in cælum, iureiuran-
do affirmavit, sententiæ suæ persuadendo non esse auto-
rem Hystaspem: verum hoc noui, inquit, de meis rebus
prorsus actū esse, si vos discesseritis. Propterea ego, inquit,
ad hunc ipse accessi interrogans, nūquid sciret, quænam
esset sententia tua de exercitu dimittendo. Tum Cyrus,
Hystaspem igitur immeritò accuso, inquit. Et Hystaspes,
Profectò, inquit, Cyre, immeritò omnino. siquidem ego
contrà Gadatæ dixi, non posse fieri vt tu remaneres, &
ostendi te accersi à patre. At Cyrus, Quid narras? inquit.
Tūne verò hoc efferre ausus es: siue ego vellem, seu nol-
lem. Ita profectò, inquit. Cerno enim immensam esse cu-
piditatem tuam obambulandi in Persis illustri specie, &
demonstrandique prædicandique patri, quo pacto omnia ad-

ministraris gerendo. Cyrus verò, An non tu habes, inquit, cupiditatem reuertēdi domum? Non habeo profectò, inquit Hystaspes. neque omnino discessurus, sed hìc remanens ductor copiarum futurus sum, donec efficiam vt sit Gadatas hic Assyrij dominus. Atque hoc modo illi studiosè secum iocabantur. Inter ista autem Cyaxares pro dignitate exornatus prodiit, & consedit in folio Medico: cùmque conuenissent omnes, quos oportebat, factùmque esset silentium, sic fuit locutus Cyaxares: Ego, Socij, quia fortè nunc præsens & maior natu sum Cyro, fortasse initium me facere orationis par fuerit. Nùc itaque tempus, inquit, mihi videtur, de hoc primùm disserere, vtràm in militia adhuc perseuerandum, an exercitus dimittendus esse videatur. Dicat igitur de hoc ipso aliquis, quæ sit sententia sua. Ex eo primus Hyrcanius dixit: Equidem, Socij, an verbis opus sit nescio, cùm ipsa res quid optimum sit, demonstrat. omnes enim nouimus, manente coniunctione nostra, maiora dari mala hostibus, quàm ab illis perpetimur: dum autem separati fuimus inter nos, illi nobis sic utebantur, vt ipsis erat suauissimum, nobis verò acerbissimum. Post hunc Cadusius, Nos verò, inquit, quid dicamus de eo, vt domum abeūtes singuli separemur? cùm ne in militia quidem perseuerantibus separari, quemadmodum apparet, expediat. Noster sanè exercitus non longo tempore à nostris copiis abductus, pœnas eas dedit, quæ & vobis notæ sunt. Post hunc Artabassus, qui aliquando se esse cognatum Cyri dixerat, sic locutus est: Ego verò, ô Cyaxares, hætenus ab iis qui verba fecerunt, dissentio. Isti enim aiunt oportere remanentes in militia perseuerare: ego autem aio, militasse me cùm domi essem. Sæpe enim numero quãdo nostræ res rapiebantur, succurrendo opẽ tuli, deque propriis castellis, in periculo insidiarum, sæpe mihi negotia fuere exhibita formidanti & custodienti, atque hæc agebantur cum impensis rei familiaris: nunc verò illorũ teneo castella, & ipsos haud reformido, epulandóque & bibendo hostiles facultates absumo. Quasi itaque

itaque domestica vita, militia, hæc autem feriæ sint, non censeo, inquit, solennem istum cœtum dimittendum esse. Tum deinde Gobryas, Ego, ô Socij, inquit, ad hunc usque diem dextram Cyri laudo. nihil enim mentitur de iis quæ pollicitus est. Quòd si ex hac regione discesserit, nimirum requies continget Assyrio, neque ille pœnas persoluet iniuriarum, quas vobis afferre conatus fuit, & eorû quæ in me patrauit: atque ego vicissim ipsi pœnas daturus sum, quòd amicitiam iunxerim vobiscum. His cunctis dictis ita deinde Cyrus verba fecit: Neque me fugit, ô Viri, si nunc exercitû dimittamus, nostras res infirmiores, hostium autem rursus futuras esse auctiores. Nam & arma quibus adempta sunt, ij celeriter alia fabricabuntur, & qui equos amiserunt, alios parabunt: mortuorum autem loco, alij & adolescent, & succedent nascêdo, vt mirandum non sit, si illi rursum negotiû faceffere nobis valeant. Cur igitur ego Cyaxarem iussi de exercitu dimittendo inferre sermonem? Planè scitote, inquit, metu futuri temporis. Cerno enim aduentantes nobis aduersarios graues, cum quibus, in ista tali militia, pugnare non poterimus, appropinquat enim scilicet hiems: tecta autem vt nobis quidê suppetant, at non equis certè etiam atque famulis, neque adeo gregariis militibus, sine quibus in militia durare nõ licet. Iam res ad victum necessariæ quòd venimus, ibi absunt: quòd autem nondum venimus, inde ob formidinê aduentus nostri in loca munita translata sunt, vt ipsi quidem teneât, nos verò capere nequeamus. Quis est igitur tam fortis tamque robustus, vt cum fame & gelu dimicãs in militia durare possit? Quòd si talis futura est militia, ego quidem oportere nos exercitum nostra sponte dimittere, cêseo, potius quàm inuiti inopia rerum omnium exterminemur. Sin perseverare in militia diutius volumus, hoc censeo faciundum, vt conemur quamprimùm munitiones hostibus eripere plurimas, & efficere vt firma plurima loca nos teneamus. His enim perfectis necessaria ad victum plura habituri ij sunt, qui plura capta po-

terunt condere: obſidebuntur autem, quicumque fuerint inferiores. Nunc verò nihil eſt inter nos & in mari nauigantes diſcriminis. nam illi quidem nauigant ſemper, ſed quod nauigando ſpaciũ emenſi ſunt, id relinquunt nihilo magis ſuum atque proprium, quàm quò nõdum nauigando proceſſerunt. Quòd ſi caſtella nobis acceſſerint, hæc iam ab hoſtibus regionem ipſorum alienatura, nobis autem vndique ſerenitatem tranquillitatẽque cõciliatura ſunt. Iam, quod fortasſe aliqui veſtri timeant, ne cuſtodes eſſe in locis à patria ſua remotis cogantur, id ne vos terreat. Nos enim, qui ſic quoque domo peregrinantes abſumus, recipimus præſidio fore iis in locis, quæ ſunt maximè vicina hoſtibus: at vos ea tenebitis, quæ ſunt vobis ipſis finitima: Syriæ verò agros illos poſſidebitis ipſi & coletis. Si enim nobis in illorum vicinia præſidiis munitis tutis ſaluĩſque eſſe licebit, vos nimirum in profunda pace procul ab iis collocati viuetis. Non poterunt enim, vt opinor, propinquis malis neglectis, inſidias ſtruere remotioribus vobis. His dictis, cum alij omnes ſurrexere, promptumque ſtadium de his ſuum polliciti fuere, tum Cyaxares quoque: Gadatas verò ac Gobryas mœnia promiferunt ſinguli ſeſe eſſe munituros, ſi ſocij permiſſent, vt ea quoque propria & ſua ſocij haberent. Cyrus autem, poſtquam vidit paratos eſſe cunctos ad efficiendam ea, quæ dixerat, tandem ait: Si igitur, quæ memoramus, adducere ad exitum volumus, efficere quamprimùm nos ea oportet, quibus opus eſt, & quæ uſus poſtulat: machinæ quidẽ vt ſuppetant, ad euertenda hoſtium mœnia: fabri verò ad noſtrarum munitionum exſtructiones. Ex hoc Cyaxares quidem ſui operis ipſe vnam machinam pollicitus fuit, alteram verò tam Gadatas quàm Gobryas, alteram etiam Tigranes: at ipſe Cyrus conaturum ſe dixit, vt duas efficeret. Atque his decretis, ſtatim & machinarum artifices conquiſiuerunt, & ad has efficiendas neceſſaria compararunt, & eos præfecerunt, quos maximè eſſe idoneos ad hanc operam dandam arbitrarentur. Cyrus autem, quòd
intellige

intelligeret moram negotia illa habitura, exercitum quidem ibi collocavit, ubi & sanitati & com meatui, quicquid apportari deberet, quàm optimè esset prospectum, & si quid munitionis adhuc desiderabatur, id perficere, ut qui remanerent, semper essent in tuto, quamvis robur exercitus longius fortè abduceretur. Præterea interrogans eos, quos maximè peritos regionis esse credebat, unde plurimum utilitatis exercitui conciliari posset, semper pabulatum aliquos educebat: simul necessaria ad victum exercitui quàm plurima ut auferret, simul sui meliore ut valetudine & integris magis viribus essent, in labore itinerum, simul etiam ducendo ut recordarètur ordinis. **AT QVE** ipse quidem Cyrus his occupabatur. Transfugæ autem & captivi Babylonij narrare hæc: Abiisse in Lydiã Assyriũ, deportantem illuc multa argenti & auri talenta, itèmq; facultates alias, & omnis generis ornamenta. Atque vulgus militum suspicari, exportantem suas res fortunásque velle eum alicubi deponere: Cyrus verò sentiens discessisse ipsum ad copias, si quid harum quod opponeretur suis colligere posset, sese cõtrà totis viribus parabat, quòd prælio opus tunc etiam esse statueret. Et equitatum ille quidem Persicum explere, partim à captivis, partim ab amicis equis acceptis. Hæc enim admittebat ab omnibus, neque repudiabat quicquam horũ, siue arma præclarã aliquis, seu equũ donabat: instruere verò etiam currus, tam de curribus captis, quàm aliunde vndecunque concederetur. Atque curulem agitationẽ Troianæ rationis veterem, & quæ nunc quoque vsurpatur, aurigarum Cyrenaiorum, reiecit & removit. Superioribus enim temporibus tam Medi quàm Syri & Arabes & Asiæ incolæ uniuersi, eo modo curribus utebantur, quo nunc etiam Cyrenæi. Statuit autem ipse, eam exercitus partem, in qua plurimum roboris esse par foret, quòd præstantissimi virtute quique curribus veherentur, ita vicem tenere velitum, neque multum ad victoriam conferre. Nam currus trecenti, dimicantes exhibent trecentos, & hi vtuntur equis

mille ducentis, habentque aurigas scilicet eos, quibus virtute præstantes potissimum freti sunt, ad trecentos. Et hi sunt ij qui nihil profus lædunt hostes. Talem igitur Cyrus rationem curulem remouit, & pro ea currus bellicos instituit, rotis firmis, ne facile comminueretur, axibusque longis. minus enim citò lata omnia euertuntur. Sellam autem in curru aurigarum tãquam turrim lignis firmis construxit. Est autem altitudo harum pertinens ad aurigæ cubitos vsque, vt supra eas habenis equi regi possint: ipsos verò aurigas loriceis armauit vndique, exceptis oculis: apposuit insuper falces ferreas ferme cubitum duum, vtrinque ad axes, & alias inferius subter axes spectantes in terram, quòd in aduersarios facturi impressionem essent curribus. Ac Cyrus quemadmodum tunc ista instituit, ita nunc quoque in terra etiam Regia curribus vtuntur. Habebat & camelos multas, cum ab amicis collatas, tum de captiuis omnes congregatas. Atque hæc quidem ad istum modum peragebantur. Quid cuperet autem exploratorem quempiam mittere in Lydiam, & rescire quid Assyrus ageret, visus ipsi fuit idoneus ad eam profectionem Araspas, custos formosæ feminæ illius. Nam euenerat tale quiddam Araspæ: Captus amore feminæ illius, appellare eam de consuetudine coactus fuit: ea verò negare, & fidem feruare viro suo quamvis absentem, valde enim hunc amabat, non tamen Araspam accusare apud Cyrum, verita ne amicos inter se committeret. Cum autem Araspam seruitutis & obsequij opinio frustraretur, neque obtineret ille quod voluerat, feminæ isti interminatur, Si nollet sponte, facturam hæc inuitam. Ibi deinde ipsa meruens vim, non amplius tem celare; sed mittere ad Cyrum eunuchum suum, iubens indicare omnia. Cyrus verò, vbi audiuit, risu edito, de eo, qui se superiorem esse amore perhibuisset, mittit Artabassum vna cum eunuchis, iubetque ei dicere, ne vim ullam afferat tali feminæ: neque tamen vetare se, si possit, in suam illum. hanc sententiam persuadendo adducere. At Artabassus cum venisset ad Araspam, conuicium ei facere,

cere, & nomine depositi illam feminam appellare, & dicere esse eum impium iniustumque & intemperantem, ut Araspas & lacrimarum multum profunderet præ dolore, & opprimeretur pudore, & formidine exanimaretur, ne quid Cyrus grauius in se consuleret. Cyrus itaque his cognitis, accerfuit illum, solusque cum solo ita locutus est: Video te, inquit, ô Araspa, & metuere me, & pudore vehementer affici: at tu desiste iam his. nã ego & Deos amore victos esse audio: homines verò quid ab amore, etiam quidam qui in opinione prudentiæ singularis, perpeffi sint, noui. Ipse etiam contra me iudicauit, non posse me mihi moderari, ut si vnã cum formosis versarer, his negligendo abstinere. Atque ego istius rei tibi autor sum. ego enim te conclusi cum ista re inuicta. Tunc Araspas vicissim, Tu quidem, inquit, Cyre, idem in his es qui in aliis quoque, & clemens & facilis ad veniam dandam delictis humanis: me verò cæteri, inquit, mortales pudore turpitudinis huius obruunt. Nam postquam rumores dissipati fuere calamitatis meæ, iam inimici lætantur malo meo, amici autem aduentantes suadent, ut me subducam de medio, ne quid acerbius abs te eueniat, quòd meum peccatũ magnum sit. Ibi Cyrus, At tu, inquit, Araspa, plane scias facere te posse, ut cum ista opinione & mihi admodum gratificeris, & fociis valde profis. Vtinam, inquit Araspas, hoc fiat, ut mei sit aliquando tibi oportunos usus. Si igitur, inquit, per simulationem quasi me fugias, ad hostes te conferre velis, fidem omnino eos tibi esse habituros arbitror. Ita profectò est, inquit Araspas: quin etiam ab amicis rumor dissipabitur, quòd te fugerim. Redieris igitur, inquit, nobis, cognitis omnibus quæ apud hostes geruntur. atque existimo hos, quòd fidem tibi habeant, sermones, rationesque & consilia sua tecum esse communicaturos, ut nihil omnium te clam futurum sit eorum, quæ rescire cupimus. Itaque iam nunc, inquit, proficiscar: nam hoc quoque scito, vnum esse, quod pertineat ad fidem faciendam, cum existimabitur me aufugisse, tanquam cui

immineat periculum acerbitatis abs te perferendæ. Poterisne verò, inquit, deserere formosam illam Panthiam? Duas enim, inquit, habeo, ô Cyre, animas planè: & modò studium hoc collocatum fuit in doctrina sapientiæ professoris improbi amoris. Nam haud sanè si anima vna sit, simul fuerit hæc & bona & mala, neque simul honestas & turpes res adamauerit, hæcque simul agere velit, & non velit. Verumenimvero duæ sunt animæ. Et bona quidem vbi superior atque potior est, agit eas res, quæ sunt honestæ: vbi verò mala, turpia hæc aggreditur. Nunc verò postquam te adiutorè & socium in hoc certamine naçta fuit, bona illa anima superior atque multò adeo superior est. Si igitur tu quoque censes proficiscendum esse, id fieri oportet, vt plus fidei apud illos acquiras: atque enuncia- bis quid apud nos rerum geratur. Sed sic enuncia- bis, vt tua dicta iis, quæ agere ipsi volent, maximè sint impedi- mento. Impedimento autem futura scilicet sunt, si dicas eum apud nos apparatus esse, vt impressionem facturi simus in aliquam partè terræ illorum. Hoc enim audien- tes minus iam cunctas vires ipsi suas congregaturi sint, singuli nimirum timentes rebus suis domesticis. Maneto verò, inquit, apud eos quàm longissimo tempore. Maxi- mè enim nobis oportunum fuerit, ea rescire quæ faciant hi, vbi quàm proximè ad nos accesserint. Cõsilium etiam eis dato, vt aciem ita instruât, quemadmodum optimum esse videatur. Si enim ab eis discesseris cum opinione, quòd cognitã habeas instructionè ipsorum, necesse erit illos ordines seruari. nam mutare hos non est futurum integrũ: ac si quo pacto fortè subitò mutauerint, ita con- turbabũtur. Atque Araspas tum egressus à Cyro, adiun- ctis ex familia fidelissimis, & ea cum quibusdam locutus, quæ negotio illi maximè conducere arbitrabatur, ita dis- cessit. AT PANTHIA vbi sensit discessisse Araspam, misit ad Cyrum qui hæc dicerent: Ne capias, ô Cyre, ex Araspæ ad hostes transitione molestiam. si enim mihi co- piam feceris mittendi aliquos ad meum maritum, reci- pio

pio tibi affuturum amicum longè fideliorè Araspa. **Q**uin etiam quantum poterit copiarum adueniens adducet. Et pater enim eius, qui nunc regnum tenet, amicus ipsi fuit, & qui modò Rex est, is aliquando etiam conatus est me à viro, illumque à me distrahere. Cùm statuat igitur esse eū iniustum & contumeliosum, planè scio, quòd libenter sit ad eum virum qualis tu es, defecturus. His auditis, iussit Cyrus vt mitteret ad virum: id quod illa fecit. Abradata verò signis ab vxore cognitis & aliis intellectis, cum apparatu suo cupidè ad Cyrum proficiscitur, habens equites ad bis mille. Postquam autè ad speculatores custodèsque Persarum peruenit, mittit ad Cyrú qui dicerent, **Q**uinam esset. At Cyrus rectà deduci ad conjugem illum iuber. Cùmque hæc & Abradata sese mutuò aspexissent, complexi sunt inter se, ita vt credibile est, rebus pœnè desperatis. Ex eo deinde narrat Panthia Cyri pietatem, & temperantiam, & misericordiam erga se. Abradata verò, his auditis, **Q**uid igitur, inquit, mea Panthia, facere possim, vt gratiam Cyro referam pro te & pro me ipso? **Q**uid aliud verò? inquit Panthia, nisi vt studeas is esse erga ipsum, qui ipse fuit erga te. Exinde iam accedit ad Cyrum Abradata. **Q**uem vbi conspexit, præhensa manu ipsius, ait: Pro collatis in nos beneficiis tuis, Cyre, quid maius dicam nõ habeo, quàm quòd me tradam tibi amicum, famulum, socium: & quarumcunque rerum studio te teneri videro, in iis meam operam sum additurus quàm potero præclarissimam. Tum Cyrus ait: At ego & accipio, & nũc quidem dimitto te cœnatum apud vxorem tuam: postmodò verò meum contubernalem te esse oportebit, vnà cum tuis & meis amicis. Post hæc cernens Abradata Cyrum teneri studio falcatorum curruum & loricatorum equitum & equorum, dedit operam vt conficeret ipsi ad currus centum de suo ipsius equitatu, quales Cyrus iam factos habebat: sese autem ita comparabat ipse, vt qui curru vectus dux futurus esset copiarum istarum. Atque currum suum ita iunxerat, vt equis octo & quatuor temonibus trahere-

tur. Panthia verò coniunx eius, de facultatibus propriis curauerat ipsi faciendam auream lorica, & auream galeam, pariterque armillas: equis autem iugalibus integumenta ærea vndique parauerat. Atque hæc quidem ab Abradata agebantur. Cùm Cyrus autem vidisset currum illius cum temonibus quatuor, considerando animaduertit, fieri posse vt cum octo quoque temonibus currus efficeretur: atque ita veheretur machinarum infima constructio, seu ædificium, bouum iugis octo. Erat autem altitudo illius à terra vnà cum rotis vinarum ferè trium. Cuiusmodi turres si instructis ordinibus adducerentur, videbantur ipsi multum adiumenti suæ phalangi allaturæ, magnòque incommodo hostium aciem affecturæ esse: atque in illis exstructionibus tam circuitus quàm munimenta fabricatus, collocavit supra turres singulas homines viginti. Cùmque iam totum ipsi opus turriū constaret, periculum deinde fecit vecturæ, ac multò faciliùs octo illa iuga, & turtim, & supra illã collocatos homines trahebant, quàm impedimentorum onus, singula iuga. Impedimentorum etenim onus talentorum circiter viginti quinque in iugum erat: turtis autem quam iuga illa trahebant, & cuius materia crassa erat ad similitudinẽ Tragicæ scenæ: itẽque viginti virorum cum armis, onus fuit vecturæ tale, vt ad singula iuga pertineret non prorsus quindecim talentorum pondus. Postquam igitur intellexit talem vecturã parari in promptu esse, ita instituit vnà cum exercitu illas turres producere: Quòd statueret in bello studium plura & potiora occupandi, simul & salutem & iustitiam & felicitatem complecti. **VENERUNT** autem interea temporis ab Indo etiam quidam pecunias afferentes, & nuntiarunt, mandare ipsi Indum talia quædam: Ego, ô Cyre, lætor significasse te mihi quæ requireres. Atque volo esse hospes tuus, & mitto pecunias tibi. Quòd si alia quoque requires, ea hinc petito. Habent autem mandata, qui à me missi sunt, vt faciant quicquid tu iusseris. His auditis Cyrus, Iubeo igitur, inquit, vos cæteros quidem ibi
rema

remanere, vbi tabernacula fixistis, & pecuniarum esse custodes, & vitam agere vobis iucundissimam: tres verò ex vobis profecti ad hostes tanquam ab Indo de societate belli, vbi cognoueritis, quæ illic dicuntur & fiunt, quamprimùm renunciate & mihi & Indo. Quæ si mihi rectè administrando executi fueritis, plus vobis gratiæ ob hoc habiturus sum, quàm quòd adestis & affertis pecunias. Qui enim exploratores seruis similes sunt, ij nihil aliud compertū renunciare possunt, quàm quæ norunt omnes: tales autem viri quales vos estis, sæpenumero etiam consilia resciscunt. Hæc sanè Indi audiuerunt libenter, & hospitio tunc accepti apud Cyrum, postero die vasis collectis iter ingressi sunt, polliciti vbi cognouissent quæ possent plurima, omnino ita se quamprimùm possent ex hostibus reuersuros esse. At Cyrus cum aliis rebus, ad bellū illud sese parabat magnificè, tanquam is, qui nullas paruas actiones animo suo versaret: tum nō solūm curæ ei erant decreta sociorum, sed contentionem quoque excitauit inter amicos, vt singuli horum conspicerentur & armis instructissimi, & rei equestris peritissimi, & iaculis emittendis sagittisque coniiciendis exercitatissimi, & patientissimi laborum. Idque efficiebat educendo ad venationes, & afficiendo honore præstantissimos quosque, vbique & semper. Præpositos etiam in exercitu aliis, quos cernebat diligentiam adhibere, vt sui milites præstantissimi essent, eos quoque incitabat & laudando & gratificando, quibuscunque rebus concederetur. Quòd si quando rem diuinam faceret, aut celebraret diem festum, tūc quoque quæcunque studia belli causâ homines exercent, eorum omnium certamina & ludos instituebat, & præmia victoribus magnificè præbebat: eratque exercitus ille admodū bono & læto animo. Iamque Cyrus propemodum perfecta habebat ea, cum quibus volebat ducere copias, exceptis machinis. nam & Persarum equitum completus iam erat numerus ad decies mille, & curruum falcatorū, tam quos ipse parauerat, numerus plenus erat ad centum,

quàm quos Abradata Sufius parandos susceperat Cyri curribus similes, numerus idem plenus erat ad centum alteros. Quin etiam Medici currus, quos vt ad eúdem modum cõformaret, mutata ratione agitationis Troianæ & Lybicæ, Cyaxari Cyrus persuaferat, & ipsi iam plenū numerum habebāt ad centum alteros. Supra camelos etiam singulas collocati erant sagittarij duo. Ac tum quidem maxima exercitus pars ita animata erat, vt persuasum haberent, se victores, & hostilē apparatū nullius momēti esse. **P O S T Q V A M** verò sic ipsis affectis Indi, quos Cyrus miserat ad explorādum, ex hostibus reuerfi, cõmemorant: Delectum esse Cræsum ducem & imperatorem hostium omnium, decretumque cunctis regibus belli illius sociis, cū omnibus copiis & viribus vnumquēque ipsum adesse: itēque conferre pecuniæ quamplurimū: & hanc impendere ad milites conducendos quoscūque possent, & danda munera quibus oporteret: atque adeo iam conductos esse & Thracas multos gestantes machæras: aduenire etiam Ægyptios nauigiis, quorum numerum dicerent esse ad centum viginti millia, cum scutis pertinentibus ad pedes, & hastis prolixis, quales nunc quoque gestant, & gladiis: aduenire nauigiis item Cypriorum quoque exercitū, & iam adeo præsentis esse Cilicas omnes, Phrygāsque vtrosque, & Lycaonas & Paphlagonas, & Cappadoces, & Arabios & Pœnos: itēque cum principe Babylonis Assyrios: præterea Iones, & Æolenses, ac propemodum cunctos Græcos incolentes Asiam coactos esse Cræsum sequi: ad hæc missos esse legatos à Cræso ad Lacedæmonios de belli societate: ipsum autem exercitū colligi circa Pactolum fluuium, futurumque vt procedāt in Thybara, vbi nunc quoque conuentus aguntur barbarorum inferioris Asiæ, subiectorum ditioni Regis: denūtiatumque esse omnibus, vt illuc rerum venalium forum conferant. Ac erat eadem ferè & captiuorum oratio. Curæ autem Cyrus habebat, vt caperentur aliqui, ex quibus cognosci quidpiam posset: mittebātque exploratores seruatorum

uorum habitu, tanquam transfugas. Hæc igitur ubi exercitus Cyri audiuit, sollicitudo singulos, nec immeritò, inuasit: iamque magis placidè, quàm consueuerant, diuersari, & plerique parum hilares còspici, & congregari in circulis, omniàque plena esse percunctantiũ de istis, & differtium. Cyrus autem postquam sensit in exercitu formidinem diuagari, conuocat & eos, quorum in copiis illis principatus erat, & cunctos, quorum perturbatio animi aliquibus detrimento esse posse, & prompta firmitas bono, videretur. Dictum etiam erat famulis, si alius quoque armatorum accedere vellet, audiendæ orationis gratia, ne prohiberent. Postquam igitur conuenerunt, verba ille fecit ad hunc modum: Ego vos, ô Socij, congregaui, quòd cernerem nonnullos vestrum, nunciis ex hostibus allatis, admodum similes esse perterritis hominibus. Mihi enim mirum videtur, aliquem ex vobis, quòd hostes congregari perhibeãtur, pertimuisse: ac non potius bonum vos habere animũ, cum videatis & multò maiore numero iam nos congregatos, quàm cum illos vinceremus: & multò præclariùs, Deo adiuuante, modò instructos esse, quàm pridem. Per Deos, inquit, quid faceretis vos, qui nunc ita pertimuisistis, si qui nunciarent, quæ apud nos instructa sunt, ea ab aduersariis contra nos aduentare? Ac primum quidem, audiretis, inquit: Quòd qui prius nos vicissent, ij rursus accedant cum parta tunc victoria: deinde, qui tunc retudissent sagittariorum & iaculatorum velitationes, iidem nunc adueniant & alij similes horum, multiplici numero: præterea quo armorum illi genere vsi, tunc pedites vicissent, eodem nunc equites ipsorum instructi contra equites procedant: quòdque arcibus & iaculis improbatis, atque vna firma hasta comprehensa, ita inuehi decreuerit vnusquisque, vt comminus prælium commissurus: quòdque item currus adueniant, haud sic constituti vt dudum, tanquam conuersi ad fugam, sed & cum equis iugalibus loricatis, & aurigis collocatis in turribus ligneis, quorũ omnes partes eminent-

tes contextæ sint loricis & galeis, falcibus etiam ferreis insertis in axes, vt in aduersariorum acies hi quoque rectà inuehantur: ad hæc esse eis camelos quibus aduehantur, quarum singularum conspectum equi centeni ferre nequeant: accedere quoque cum turribus, vnde pro suis propugnent, inque vos tela conicientes in campo aperto dimicare non sinant. Hæc si quis apud hostes esse nunciaret vobis iam timentibus, quidnam faceretur? cùm trepidetis allatis nunciis, Cræsum delectum esse ductorem copiarum hostiliū, qui eo ignauior Syris extitit, quòd Syri quidē prælio superati fugerint: Cræsus autem superatos cùm vidisset, qui opẽ ferre sociis deberet, ipse fugam fecerit abeundo. Atque hoc etiam nunciis scilicet spargitur, quòd ipsi hostes non ducant se in prælio nobis pares esse, aliósque mercede cõducant, quasi præclariùs pugnaturos pro se quàm ipsos. Sanè si quibus ista quidem horribilia esse, nostræ verò res futiles videntur, eos ego, ô Socij, ad aduersarios dimitti oportere aio. ibi enim cum maiore vtilitate nostra, quàm nobiscū futuri sunt. Hæc cùm Cyrus dixisset, surrexit Chrysanta Persa, & sic locutus est: Noli mirari, inquit, Cyre, si qui auditis nūciis tristitiæ aliquid præ se ferunt. non enim ista formidantum est affectio, sed grauius ferentum, vt si fortè, inquit, velint prandio frui aliqui, idque iam fore putent, atque denunciatur operis quidpiam, quod necessariò ante prandium sit efficiendum, nemo sanè, quemadmodum opinor, hoc audito lætetur. Sic itaque & nos, qui putaremus iam iam diuitias nobis obuenturas, postquam cognouimus restare opus quoddam adhuc efficiendum, ita contraximus tristitia vultum, haud formidantes nos quidem, sed cupientes illud iam esse effectum. Verum enim uero quoniam non de Syria modò certamen propositum nobis est, vbi frumenti & pecoris multum est, & sunt palmæ fructiferæ istæ, sed de Lydia quoque, vbi magna vini copia, magna item ficorum, magna etiam olei, alluit autem terras mare, quæ plura aduentant bona, quàm quisquã vidit: hæc, inquit, cogitan

tantes omnem molestiam abiicimus. Atque tu quamprimùm nos ducito animis confirmatos, quò citiùs Lydiorum bonorù fructus percipiamus. Chryfanta quidem sic locutus fuit: cæteris verò fociis oratio ea voluptati fuit, & ipsum collaudarunt. **A T Q V I**, inquit Cyrus, ô Socij, mea sententia est, vt quàm celerrimè etiam ad illos contendamus: primùm, vt præuertamus eos, profecti si queamus eò, vbi ipsis commeatus comportatur: deinde, quò nos magis accelerauerimus, eò minorè copiam apud illos præsentem, & plura quibus deficiantur, sumus reperiuri. Atque ego sanè ita censeo. Quòd si quis aliter existimat, de eo quod nobis aut tutius fit, aut expeditius, is edoceat. Cùm autem multi sententiam hanc comprobarent oratione sua, Esse nimirum quamprimùm ad hostes pergendum, neque contradiceret quisquam, ibi tum Cyrus verba facere cœpit hoc modo: Et animi & corpora, ô Socij, necnon arma quibus vtendum est, iam pridem nobis, adiuuante Deo, præparata sunt: nunc verò commeatu ad iter, quod instat, comparato opus est, vt necessaria ad vitum suppetant tam nobis ipsis, quàm iumentis quibus vtimur, ad dies non pauciores x x. nam ego ratiocinando reperio, viam nos habituros longiorem quàm dierum xv. in qua nihil commeatus inuēturi simus. remota enim sunt quæcunque potuere è medio tolli, partim à nobis, partim ab hostibus. Comparandum igitur frumenti est tantum, quantum satis futurum nobis sit. Absque enim hoc neque bellum gerere, neque vitam producere liceat. Vini autem tātum penes vnumquemque esse oportebit, quantum sufficiat ad affuescendum aquam bibere. Nam spaciū longum viæ istius est vini omnino expers. ad quod quamvis plurimum vini comparatum sit, sufficere omnino nobis nequeat. Ne igitur carentes vino derepente in morbum incidamus, sic faciendum est: cibus dum capiatur nunc, statim bibere aquā incipiamus: quòd modo facientes, non relinquemus magnæ mutationi locum. Nam & qui polenta vescitur, is pulmentum semper aqua

mistum comedit: & qui pane vescitur, panem subactum aqua. Quin etiam elixa omnia copiosa aqua percoquuntur. Post cibum verò quamvis vini potus non accedat, nihilominus quietis copia animo contingeret. Ad hæc detrachere de potu post cœnâ aliquid oportet, donec nos ipsos fallentes euadamus ij, qui aquam bibere possint. Nam declinatio paulatim deflectens tolerabilem efficit mutationem in natura quacunque. Docet & ipse hoc Deus, paulatim nos abducens ex hieme ad perferendos vehementes calores, & ex caloribus ad hiemem vehementem. Quem imitantes nos par est, quò venire oportet, eò priùs assuefactos accedere. Stragulorum etiam onus facite vt absumatis impendēdo in necessaria ad vitum. hæc enim si abundant, non sunt inutilia. In penuria autem stragulorum, ne metuite minus suauē quietem somni: sin minus, mea ista culpa esto. Sanè vestis, si quis huius copia affluit, multū adiumenti asferre potest & rectè valētibus & laborātibus morbo. Obsonia parāda sunt quammaximè acria atque mordentia & falsa. nā istiusmodi & inuitant ad cibū capiendum & diutissimè durant. Postquā verò peruētum fuerit in loca intacta, vbi frumēta videmur esse percepturi, habere iā hinc paratas molas debemus, quibus illa conficiantur. est enim hoc panificij instrumētum leuissimum omnium. Comparanda & ea sunt, quæ ab infirmis requiruntur. horum enim moles minima est, sed si ita fortuna ferat, vsus inprimis. Lora habere etiā oportet. loris enim plurima depēdent, & cōcinnantur tam hominibus quàm equis. quæ dum conteruntur aut rumpuntur, cessari necesse est, si desint vincula. St quis verò peritus est poliendi hastilia, profuerit ne ascia quidem obliuisci. Profuerit & limā adesse. nam qui lanceam acuit, is acuit simul animū quoque. Pudet enim scilicet eum, qui lanceam acuit, ignauum deinde esse. In promptu haberi quoque debet materia, quæ supersit curribus atque plaustris. In multis enim negotiis & actionibus prorsus necesse est multa deficere. Præstò etiā esse oportet horum omnium, maxime

mè necessaria instrumenta. non enim vbique copia fieri potest officinæ. Quo autem vnus dies contētus sit, id qui efficere nequeant, reperiuntur perpauca. In singulis quoque plastris & bipalium & ligonem esse cōuenit: & parte horum posteriore securim ac falcem. nam & priuatim hæc vtilia sunt, & publicè prodesse sæpe solent: Quibus quidem ad cibaria opus est, ea vos ductores armatorum exquirite potestati vestræ subiectis. non enim quicquam prætermittendum est horum, quò vnus aliquis indiguerit. nam sic penuria ad nos ipsos peruentura sit. Quæ autem iubeo habere iumenta, ea vos præfecti impedimentorum curatoribus & clitellariis exquirite, & quibus illa deerunt, cogite eos apparare. Vos autem operis faciendarum viarum præfecti, iam habetis descriptos à me exiculatoribus, sagittariis, funditoribus reiectos. Cogetis igitur ex funditoribus reiectos singulos securim qua ligna cædi solent, ex sagittariis verò ligonem, & ex funditoribus bipalium habere, atque ita versari in exercitu: cùmque his ante plaustra per turmas procedere, vt sicubi apertis viis opus sit, statim habeatis efficaces operas, & ego, si quid requiram, sciam vnde sumi debeat, vt vsus sit in promptu. Ducam etiam militari ætate præditos cum officinæ instrumentis, excusores, fabros signarios, sutores, vt ne quid desit talium artium operis, si in exercitu vsus indigeat. Atque illi soluti erunt & liberi ab ordinibus armatorum: inseruiet autem mercede eo, quo peritus est volentibus vti, loco quisque suo. Quòd si mercator quoque aliquis sequi volet, vt vendat quidpiam, is suintra eos dies, qui præfiniti sunt comœtati ferendo, deprehendatur in vendendo, omnibus mercibus priuabitur: verùm isti dies vbi præterierint, ita ille, deinde vendet quæ volet arbitrio suo. Ex mercatoribus autè qui cōspicietur, quàm maximè forum augere, is & à me & à sociis muneribus honorèque afficietur. Si quis etiam pecuniâ ad mercaturam sese egere existimat, ille adducens nobis, quibus notus sit, & sponsores, ab exercitu nullo modo sese discessu-

rum esse, ita accepta nostra pecunia vtatur. Atque hæc ego edico. Quòd si quis præterea quidquam quo opus sit, perspicit, is mihi significet. Ac vobis quidem iam digressis apparatus curæ sit: ego autem de ista profectioe rem diuinam faciam. Sacris verò litatis, signum dabimus: & tunc vniuersos præstò esse oportebit, cum iis quæ imperata sunt, apud ductores suos locò assignatò. At vos ductores, suis quisque ordinibus instructis, ad me conuenite omnes, vt suis cuique locus attribuatur. His auditis, illis quidem apparatus in manibus erat, Cyrus verò sacris operam dabat: quibus litatis, cum exercitu proficisci, & castra mouere cœpit. Ac primo sanè die quàm potuit loco proximo castra fecit, vt recedèdo petere possiet, si quis alicuius fortè esset oblitus, siue animaduerneret deesse sibi quidpiam, illud vt pararet. Atque Cyaxares cum parte tertia Medorum remansit, ne domi solitudo esset: Cyrus verò quammaximè potuit in itinere accelerauit, ita quidem vt primo loco equites haberet, exploratores autem & speculatores semper præmitteret in loca oculis inprimis exposita. Hos sequebantur impedimenta, ita in locis campestribus vt plaustrorum & clitellariorum multiplices ordines ducerentur: ponè autem subibat phalanx: & si quid de impedimentis relinquebatur à tergo, qui ex præfectis aderant, iis ea res curæ erat, ne mora itineri inferretur: sicubi verò esset via angustior, in mediū acceptis impedimentis, hinc & illinc armati procedere: & si quid obstaret, id militibus curæ esse, qui eo loci aderant. Procedebant autem ordines p̄serumquè comitantibus impedimentis. nam clitellariis omnibus præceptum fuerat, vt singuli secundum ordinem suum progredierentur, nisi necessitate aliqua prohibente. Atque habebat vnus ex his ductor signum centurionis, notum ordini suo: itaque fiebat vt agmine conferto procederetur. Habebat autem curam suorum vnusquisque vehemèter, ne qui relinquerentur. Quo pacto negotium illis administratibus, nequè opus erat vnus alterum vt quæreret, & simul cum præstò,

tum magis salua erant vniuersa, & celerius suppèbant militibus quæ debebant. Postquam verò speculatores, qui præcesserant, videbantur videre aliquos arripiètes pabulum & ligna, cernebantque iumenta & quæ illa ducerēt, & quæ pascerentur, iamque longius prospiciendo, videbantur percipere efferentem se in sublime vel fumum vel puluerem, eque his omnibus coniecturam illi capiebant, exercitū hostilem appropinquare, statim tum præfectus speculatoribus mittit quendam, qui Cyro hæc nunciet. Qui auditis illis manere quidem eos iussit in iis ipsis speculis, & quicquid noui conspexissent, id annunciare, sed turmam equitum misit, qui prouherēt longius, eosque iussit conari aliquos excipere homines in campo versantes, vt certiùs cognosci res posset. Atque hoc illi, quibus imperatū fuerat, agere: ipse verò reliquas copias ibidem collocare, vt præpararēt ea, quibus opus esse arbitrabatur, priusquam omnino cōgrederentur. Ac primùm quidem cohortatus eos fuit vt pranderent, deinde vt manentes in suis ordinibus prouiderent quid imperaretur. Iam prafos autem conuocauit & equitum & peditum & curruum ductores, itémque præfectos machinis & impedimentis, & curulibus plaustris. Qui cùm congregarentur, adducebant captos quosdam excursioni illi prouecti in campum. Hi interrogati à Cyro, dicebāt se esse ex castris, processisseque ad pabulum, quosdam etiam ad ligna, prægressos primas custodias. Nam propter multitudinem in exercitu, omnium esse penuriam. Quibus auditis Cyrus, Quàm longè, inquit, exercitus hinc abest? Circiter octo millia passuum, inquit illi. Tum deinde Cyrus percunctatus fuit: De nobis verò, inquit, apud illos aliquidne verborum fieri? Ac multum quidem certè, inquit: nimirum appropinquare iam vos aduentantes. Quid igitur, inquit Cyrus, lætarine illi hoc audiètes? id quod sciscitabatur ille, eorum causa qui aderant. Haud illi quidem profectò, inquit isti, lætari, ac tristes esse potiùs admodum. Sed quid nunc faciunt? inquit Cyrus. Educuntur in

aciem, inquit, Atque heri ac nudius tertius idem ipsum
 hoc egerunt. Sed quis est, inquit Cyrus, qui instruit? Et
 Cræsus ipse, inquit, & vnà cum eo Græcus quispiam, &
 alius item Medus: hic sanè à vobis perfugisse memoraba-
 tur. Ibi Cyrus, O maxime Iupiter, inquit, eueniat vt mihi
 comprehendendi istum, quemadmodum volo, detur co-
 pia. Posthæc captiuos iussit abduci, & conuertit se ad præ-
 sentes tãquam aliquid dicturus: cùm interea aduenit alius
 à præfecto exploratoribus, & narrat, Turmam cõspici in-
 gentem equitum in campo: atque nostra coniectura est,
 inquit, prouehi illos ad hunc exercitum contemplãdum.
 etenim ante eam turmam alij equites ad triginta adue-
 huntur celeriter, atque adeo aduersus nos fortasse eo ani-
 mo vt spèculam, si possint, occupent: at nos vna tãtùm de-
 curia sumus in specula ista. Ibi Cyrus iussit quosdam ex
 eorum equitum numero, quos circum se semper habe-
 bat, sub speculam illam ita vt hostes fallerent, prouectos
 quiescere. Quando verò nostra, inquit, decuria speculam
 deseret, tum vos erumpite, & facite in speculam conscen-
 dentes impetum. Ne vobis autem aliqui ex ingente illa
 turma molesti sint, contra hos tu exito, ô Hystaspa, cum
 mille istis equitibus, & aduersum ostendito te hostium
 turmæ. nullo modo autem insecteris ipsos locis ignotis,
 sed opera data vt speculæ conseruentur, ita præterito.
 Quòd si qui fortè sublatiis dextris aduehantur, eos aman-
 ter admittite. Hystaspes quidem statim abibat & sumebat
 arma: ministri verò illi rectà auhebantur, sicut iusserat:
 quibus intra speculas adeo, occurrit Araspa vnà cum ser-
 uis suis, is qui custos Susidi feminæ datus, iam pridem mis-
 sus fuerat explorator. Postquam igitur cum Cyrus aspe-
 xit, exillit è folio, & obuiam ei processit, dextramque il-
 lius præhedit. Qua re alij, quippe omnium ignari, obstu-
 pescere, donec Cyrus, Mei amici, inquit, aduenit nobis vir
 optimus, nunc enim cuncti mortales, quæ iste opera effe-
 cerit, scire debent. Hic neque vlla turpitudine victus, ne-
 que quòd me metueret, discessit, sed à me ablegatus, vt co-
 gnitis

gnitis consiliis & rebus hostiū, nobis certò & planè, quicquid esset, renunciaret. Equidem, Araspa, quæ tibi pollicitus sum, ea & memini & vnà cum his præstabo. Æquum enim est, ô Socij, haberi huic honorè ab vniuersis nobis; vt viro forti. Nostri enim cōmodi caussa ille & periculum adiit, & crimen suscepit sanè graue. Ex eò iam omnes, Araspam saluantes complexi fuere, & manus iunxerunt. Cùm Cyrus autem dixisset, satis esse iam istorum: Tu verò, ô Araspa, inquit, ea narrato, quæ nostrá scire refert, neque hostium vires detrahendo de veritate extenuato. Nam in opinione maiores esse, fuerit satius illas apparere minores, quàm auditu cognitas minores, maiores inueniri. Atqui, inquit Araspa, perfecit vt quàm planissimè notas illas haberem, copias enim præsens simul instruxi. Nō tu igitur, inquit Cyrus, multitudinem solūm hostium, sed aciem quoque tenes. Ita profus, inquit Araspa, profectò, atque adeo, quo pacto cogitēt proelium committere. Tu tamen, inquit Cyrus, primūm nobis multitudinem summam enarra. Sic igitur illi sunt instructi, vt ordines densi sint ad triginta, tam peditum quàm equitum, exceptis Ægyptiis. Occupāt autem illi circitèr quinque milia passuum. nam diligenti curæ habui, vt compertum mihi loci spacium esset, quātum ab ipsis obtineretur. Sed Ægyptij, inquit Cyrus, quo pacto instructi sint, commemora. dixeras enim, Exceptis Ægyptiis. Hos verò tribuni præfecti decē milibus ita ordinabāt, vt ad centenos vbique decies mille singilatim extenderentur. nam domi quoque sibi institutum esse aiebant, isto modo aciem instruēdi. Cræsus sanè perquàm inuitus cōcessit, vt ista ratione instruerentur ordines. Volebat enim quàm maximā multitudine, sua phalange exercitum tuum superari. Quamobrem verò, inquit Cyrus, istud cupit? Nimirum, inquit, profectò, vt abundante copiarum parte cingendo tuum exercitum includat. Ibi Cyrus, At istis nondum exploratum est, an non includantur ipsi includentes cingendo alios. Verūm, quæ ex te cognoscere oportunū fuit, ea audiuius. Nunc

ita vos, ô Socij, facere oportet: Digressi mox hinc inspicite arma & equorum & vestra. nam sæpenumero ob parua rei indigentiam, inutilis efficitur & vir & equus & currus. Die autem crastino, dum ego operam dabo sacrificio, vos prandere & dare equis pabulum debebitis, vt nihil à nobis desideretur, quod quoque tempore opportunum sit. Postea tu, Araspa, inquit, teneto dextrum cornu, quemadmodum obtines. Et vos tribuni ceteri decem milibus præfecti, vestros ordines, vt instructi sunt, sic seruate. Proelii enim contentione instante, non erit tempestiua in vlllo curru mutatio iunctorum equorum. Centurionibus item, & ordinum ductoribus, vt in phalange consistant, præcipite, ordinibus singulis densis ad duos. Erant autem isti ordines singuli militum viginti quatuor. Tum vnus ex tribunis præfectis decem milibus, Tu verò, inquit, Cyre, arbitraris sufficere nos ordinatos isto numero posse tam densæ phalangi sustinendæ? Ibi Cyrus ait: Phalanges densiores, quàm vt armis aduersarios assequantur, quid censes, inquit, auertere hostes & prodesse sociis? Ego etenim, inquit, istos armatos centenos, optarim ad decies mille ordinatos esse. sic enim cum paucioribus esset dimicandum. Ego verò quàm multis densam phalangem facturus sum, iis existimo consecuturum me, vt tota acies operis aliquid edere, sibi que in proelio opitulari possit. Iaculatores submixtam loricatis, & iaculatoribus sagittarios. Nam eos primos ordinando rectè locaueris, qui ipsi quoque consistentur, non solere se proelium vnquam sustinere comminus. Sed manebunt tamen hi loricatis præmuniti, atque alij iaculis, alij sagittis pro antecedentibus se propugnando hostes affligent. Quicquid autem malitiosè aduersus hostes aliquis fecerit, eo vniuerso scilicet socios subleuat. Postremos sanè statuam, eos qui vltimi omnium vocantur. Vt enim nullus est vsus ædificij sine firma lapidum compositione, & absque tecti fabrica, sic neque vllus phalangis vsus est, si nihil in primis & postremis roboris atque virium sit. Atque vestra sit ea instructio,

ctio, quàm præcipio. Vos etiam præfecti cetratis ordines eodem constituite post istos modo, & post cetratos vos sagittariis præfecti, eodem modo. Tu verò qui præfectus es vltimis omnium, tuos illos postremos adhibens præcipe eis, vt respiciant ad sibi quique proximos, vtque faciētes officium suum cohortando incitēt, ignauiores autem increpent vehementer. Quòd si quis conuertatur voluntate desertionis, is morte multetur. Est enim hoc primorum opus, vt animū addant sequētibus, tam verbis quàm factis. Vos omnium verò vltimos, maiori esse formidini oportet ignavis, quàm ipsos hostes. Hæc vt fiant, videte. Tu verò Abdrata, qui præfectus es machinis, operam dato, vt iuga quæ ministros ferunt, & turres quamproximè phalangem sequātur. At tu Dauche, qui præfectus es clitellariis & impedimentis, illiusmodi totas copias post turres ducito, ministrique tui vehementer castigēt vel procurrentes, vel cessantes intempestiuè. Tu Carduche autē, qui præfectus es plaustris curulibus vehentibus mulieres, cōstituito eas vltimo loco post impedimenta. nam subiecta ista cuncta & opinionem multitudinis, & ad insidias locandas, nobis potestatem facient, & hostes si circumuenire velint, cogent compræhendere ambitus maiores. Quo maius autem illi loci spacium compræhenderint, eo infirmiores existere necesse est. Ac vos scilicet hoc agite. Tu verò Artabasse & Artagerfa, suas vterque millenūm copias peditum subiicite, & tu Pharnuche & Asiadata, turmas millenūm equitum, quibus vterque vestrum præest, ne admiscete ordinando phalāgi, sed sub plaustra curulia arma capite ipsi apud vos seorsim: atque ita deinde ad nos venite vnā cum aliis ductoribus. Ita autem paratos vos esse oportet, vt qui primi proelium committere debeatis. Tu quoque qui præes impositis in camelos, post curulia plaustra ordines instrue: id autē facito quod præceperit Artagerfa. Vos verò curruum ductores, sortes cōiicite: & is cui fors obuenerit, is ante phalangem suos quisque secum currus constituat, cæteræ autem centuriæ

curruum sic procedant, ut hæc propter latus dextrum, cornu dirigat, illa propter sinistrum. Hoc modo cum Cyrus exercitum ordinaret, Abradata Susorum Rex, Ego tibi, inquit, Cyre, recipio, ultrò me contra aduersariorum phalangem spectantem ordinem ducturum, nisi tu aliter censes. Tum Cyrus, admiratus ipsum cum manum eius præhendisset, interrogauit alios curribus præfectos Persas, Nunquid vos quoque ista, inquit, conceditis? Qui postquam responderunt, non esse honestum ista permittere relinquendo, ita sortes ille duxit, & obtigit fors Abradata, afferens id quod ipse iam receperat, constitutusque fuit aduersus Ægyptios. Atque tunc sanè discedentes ea, quæ supra exposuimus, curæ habere, & cœnare: & custodiis constitutis, somnum illi ceperunt. Postero autem die & Cyrus manè sacris esse operatus; & cæteri in exercitu pransi post libationes armari, cum multis & præclaris tunicis tum loriceis atque galeis. Armabant equos etiam integumentis frontis & pectoris, singulos hos etiam femorum, ad currus autem adiunctos laterum quoque. Itaque fulgere exercitus ære, & puniceis vestibus nitere vniuersus. Erat & Abradata ille cum temonibus quatuor currus & octo equis, per quæ præclare exornatus. Vbi autem lineam loriceam populari consuetudine, induere cœperat, ibi Panthia affert illi galeam auream, & armillas, & torques amplos circumdandos manuum cum cubito commissuris: itemque tunicam purpuream demissam ad pedes usque specie inferius pallæ, necnon iugas coloris hyacinthini. Hæc curauerat fabricanda clam viro, ad mensuram armorum ipsius. Quibus ille inspectis, admiratus interrogauit Panthiam, Numquidne ipsius mundo constato atque conciso, ista sibi arma esset fabricata? Minimè verò, inquit Panthia, eo, qui preciosissimus est. tu mihi enim, & à me & ab aliis si is conspiciaris, quem ego te esse censeo, maximum futurus es ornamentum. Hæc memorans arma viro induere, & decultare quidem fletum domari, cum tamè lacrimæ per genas manarēt. Sed Abradata qui prius specie

cie esset eximia, armis illis armatus, apparere & pulcerimus & forma maximè liberali, cùm præsertim & naturâ adiuuaretur. Acceptis autem, tradente auriga ministro, habenis, accingebatur ad conscendendum currum: interea præsentibus iussis discedere omnibus, Panthia sic est locuta: Quòd ego, ô Abradata, vna sim ex earum mulierum numero, quarum vlla vnquam pluris fecit suum virum, quàm proprium animum, tibi notum esse existimo. Quid verò opus est singilatim quidque enarrare? Me enim arbitror res ipsas probabiliores iam exhibuisse, iis quæ nunc dicerentur. Verùm ita tamen affecta erga te, quemadmodum nosti, iurata testor tuum & meum amorè: Me prorsus malle tecum viro, qui vir fortis sis, communiter potiùs terra obrui, quàm cum infami viuere infamis: vsque adeo te dignum ego iudico, nec non me, iis quæ sunt præclarissima. Cyro etiam plurimum gratiæ à nobis deberi sentio, qui me captiua adducta, & sibi exempta, neque vt serua vti, neque vt libera per ignominiam voluit, sed tibi me conseruauit, haud aliter quàm si fratris vxorem cepisset. Præterea quando recessit ab eo Araspa custos ille meus, pollicita sum ipsi, si pateretur mittere aliquos ad te, aduenturum te esse & fideliorẽ longè & potiõrẽ Araspa. Atque hæc illa locuta tum fuit. At Abradata admiratus eam & caput ipsius leniter tangens, sublatis in cælum oculis, ita precatus est: Tu verò, ô Iupiter maxime, da vt appareat cùm Panthia me esse maritum, tum Cyro amicum dignũ, qui tanti nos fecit. Quibus dictis per ostium curulis sedilis currum cœpit conscendere. Postquam autem ascenderrat, & auriga minister sedile occluserat, quòd Panthia aliã ipsum complectendi facultatem non haberet, sedile illud osculata fuit. Iamque Abradata currus procedere, Pãthia verò clam illo simul subsequi, donec cõuersus Abradata, qui ipsam conspexisset, Bonum animum, inquit, habe Panthia, & auc, & abito iam. Ex eo tum eunuchi & famulæ receptã illam abduxere ad curule plaustrum, & compositam in lecto operuerunt tabernaculo. Cùm autẽ spe-

Etaculum, Abradata ac currus ipsius, esset præclarum: nemo hominum potuit cõtemplari ipsum priusquam Panthia discessisset. Postquam autem & rem diuinam Cyrus ritè fecerat, & instructus aderat exercitus ita vt mãdaucrar, dispositis speculis quas tenerent alij ante alios, conuocauit copiarum ductores, & hãc habuit orationem: Amici & socij mei, in extis maçtatarum hostiarum ea nobis demonstrant Dei, quæ pridem, quando nobis victoriam largiti sunt. Vos autem commonefacere volo eorum, quorum memores alacrius multò atque confidentiùs in certamen descensuri videmini. Et maior enim est in vobis belli exercitatio quàm in hostibus: vnà autè pariter conuiuendo, & eodem modo simul instruendo, diutius estis versati quàm hostes. Coniuncti etiam inter vos victoria estis potiti: ex hostibus verò multi inter sese deuiçti sunt: aliqui vtrinque ne depugnarunt quidem. Atque qui in exercitu hostili sunt, ij norunt se habere manipulares, à quibus proditi desertique sint: vos autem in nostro, scitis dimicaturos vos esse cum promptæ voluntatis ad propulsandam hostium vim sociis. Par est autem vt sese mutuo freti resistent & concorditer prælietur: qui autem sibi inter se diffidunt, eos necesse est, consilia singulos subducendi se quamprimùm capere. Quapropter, ô Socij, ad hostes contendamus, cum curribus nostris armatis contra inermes hostium: similiter & cum equis virisque armatis contra inermes, vt ad committendum prælium cominus. Contra peditatum autem configetis, qui idem est ac ille, cum quo priùs concertastis: Ægyptij verò & armati & instructi sunt similiter. nam cum clipeos habet ampliores, quàm vt efficere aliquid atque prospicere possint, tum ad centenos ordinatis sibi ipsis in certamine, exceptis perpaucis, impedimento sunt futuri. Iam si trudendo crediderint se posse nos elidere, primùm equis eos resistere oportebit, & ferro quod ab equis corroboratur. Ac si quis illorum fortè non cedat, quo pacto hic poterit cum equitatu simul & peditatu, & ad turres dimicare? Nam collo-

cati in turribus & nobis auxilio futuri, & feriendo hostes pro eo vt dimicent, eò redacturi sunt, vt quid agant, prorsus nesciant. Quòd si qua re indigere vos arbitramini, mihi narrate: Diis enim adiuuantibus, nullius inopia laborabimus. Ac si quis quid memorare vult, dicit: sin minùs, ad rem diuinam discedite, & votis nuncupatis, iis numinibus quibus sacrificatù est, ita abite ad ordines, & vnusquisque suis eadem subiiciat, quæ ego vobis, ostendatque iis, qui sub ipsius imperio sunt, se esse imperio dignum, præ se ferendo expertem metus gestum vultumque & orationem.

XENOPHONTIS DE
CYRI DISCIPLINA
LIBER SEPTIMVS.

* *
*



ATQUE illi quidem votis susceptis & imploratis Diis, ita discessere ad ordines: Cyro autem & suis famuli cibum potumque afferebant, qui adhuc rei diuinæ operam darent.

Ac Cyrus quo habitu astiterat, eo ordiri religiosè prandium, & simul impertiri cuique maximè desideranti: itémque post libationem bibere, id quod faciebant cæteri quoque qui aderant. Post hæc verò precatus, Vt Iupiter paternus dux & socius esset, ita ascendit equum, iussitque idem facere cæteros. Erant autem Cyri turmales iisdem armati armis, quibus ipse Cyrus: tunicis puniceis, loricis æneis, galeis æneis, iubis albis, gladiis, hasta seu tragula cornea singuli: equi autem laminis æneis, quibus & frontes tegebantur & pectora & latera, quæ ipsæ femora quoque defendebant equitis. Hoc differebant Cyri ar-

ma tantum, quod aliis color illitus auro erat, cum Cyri arma elucerent tanquam speculi nitor. Postquam vero equum ascendit, & constitit circumspiciens, quae progrediendum esset, ibi tonitruum dextri vox edita est. At ille, Sequemur te, inquit, Iupiter maxime. Et ita prochi habens in dextro latere Chrysantam praefectum equitibus & copias equestres, in sinistro Arasamam & pedites: imperatumque fuerat, ut oculis ad signum conuersis, aequali gradu sequerentur. Signum autem erat Aquila aurea cum extensis alis supra arduam perticam. Quod signum a Regibus Persarum nunc quoque retinetur. Verum priusquam hostes haberet in conspectu, ter exercitum continuit, ut acquiesceret: iamque progressi circiter passus M. CCCC. quadringentos, hostium ad sese exercitum accedentem incipiunt conspici: cumque utriusque alteros in conspectu plane haberent, quod constitutum esset hostibus, utrinque phalange longè superare, ita sistendo suam phalangem, aliter enim circumuenire seu cingendo includere, non licet, ad cingendum inflexerunt, ut tanquam Gamma litterae forma instructo exercitu suo utrinque, simul undique decertarent. Quae Cyrus cum cerneret, nihilo ille magis declinare, sed ducere exercitum, quemadmodum instituerat. Animaduertens autem quam procul utrinque flexum illum produxissent, circum quem flectendo cornua intenderent, Intelligisne, inquit, o Chrysanta, unde isti inflexionem faciunt? Prorsus, inquit Chrysantas, equidem admirans. multum enim mihi cornua a sua phalange abstrahere videntur. Ita profecto, inquit Cyrus, atque adeo a nostra quoque. Qui istud verò? Nimirum, inquit, metuentes, si cornua nobis appropinquent, longius adhuc absente phalange, ne ipsos adoriamur. Proinde, inquit Chrysantas, quid utilitatis alteri alteris per tam longum interuallum afferre poterunt? At perspicuum enim est, inquit Cyrus, ubi cornua ascendendo sic produxerint, ut è regione sint obliquorum in nostro exercitu, ibi illos conuersos tanquam in phalangem seu cuneum, simul undique nos inuasuros esse.

esse. Videnturne verò tibi, inquit Chryfantas, rectè con-
 sulere? Ad ea scilicet, quæ cernunt : ad ea verò quæ non
 cernunt, deterius aliquantò, quàm si inuaderent directo
 cornu. Verùm tu Arafama, inquit, ita ducito procedendo
 cum peditatu placidè, quemadmodum me cernis : & tu
 Chryfanta, æquali gradu simul cum equitatu hunc prose-
 quere. At ego obeundo conferam me illuc, vnde mihi vi-
 detur tempestiuum initium fore prælij: simul etiã obeun-
 do inspiciam omnia, quo pacto sese nobis illa habeant.
 Atque ibi versatus, postquam congregiẽtes simul appro-
 pinquauerimus, tum Pæana exordiar ego: at vos assequi-
 mini. Nos autem manus cum hostibus quando confere-
 mus, sanè hoc vos sentietis, (haud enim, vt opinor, modi-
 cus tumultus futurus est) & tunc Abradates simul cum
 curribus (id enim ipsi mandabitur) inuehetur in aduersa-
 rios, vósque sequi oportebit quàm proximè adhærentes
 curribus. sic enim in hostes quàm maximè conturbatos
 impressionem faciemus. Ipse etiam ego adero, cùm pri-
 mùm potero illos insequens, volentibus Diis. Hæc locu-
 tus, & signo tesserae dato, Iupiter salutis autor & dux, ita
 perrexit. Per currus autem & loricatos transiens, vbi in
 ordinibus aliquos intuebatur, modò dicere: Quàm iucū-
 dus conspectus est, milites, oris vestri? modò apud alios
 talia quædam loqui, Intelligitísne, milites, præfens certa-
 men non esse tantùm de victoria hodierna, sed superiore
 quoque tempore à vobis parta, deque felicitate vniuersa?
 ad alios verò accedens, Milites, inquit, quod restat, nihil
 prorsus est quod Deos accusemus. tradidere enim illi
 nobis multorum & magnorum bonorum possessionem.
 quocirca, ô milites, præbeamus nos viros fortes. ad alios
 rursus dicere talia quædam: Quasñã, ô milites, ad com-
 munes epulas præclariores alter alterum inuitauerimus,
 quàm istas? nunc enim conceditur nobis, si viri esse fortes
 velimus, multa bona mutuo cõferre. ad alios item : Scitis,
 vt opinor, milites, nũc esse proposita certaminis præmia,
 vincentibus quidem, vt persequantur, feriant, trucident,

bonis fruantur, bene audiant, liberi, principatu præditi sint: at ignavis contraria his scilicet. Quisquis igitur ipse sibi carus est, is vnà mecum decertet. nam ego nihil vitij aut turpitudinis, volens sum admissurus. Quòd si fortè accessisset ad eos, quos in bello socios antea quoque habuerat, sic eos affari: Ad vos, ô Socij, quid verbis opus est? scitis enim, quos viri fortes in præliis dies agitent, & quos ignaui. Iam autem digressus cùm ad Abradatam ventum esset, ibi cõstitit: & Abradatas traditis habenis ministro aurigæ, ad ipsum accessit: accurreruntque & alij proximorũ ordinum tam ex peditibus quàm agitatoribus curruum, apud quos præsentem talem Cyrus orationẽ habuit: Deus ipse, ô Abradata, quemadmodũ tu postulauisti, ita annuit postulationi tuæ, vt tibi & tecum coniunctis primæ inter socios deferrentur. Tu verò hoc facito memineris, vbi iam certamen oportebit institui, quòd Persas & spectatores habituri sitis & sectatores, neutiquam passuros vt deserti atque soli in certamen deueniatis. Tunc Abradatas; At enim, quod ad nos, inquit, Cyre, attinet, res bene se habet: verum obliquæ partes seu latera afficiunt me molestia, quòd videam illa in hostium exercitu porrecta, firma atque robusta cùm curribus tum aliis omnis generis copiis: à nobis autem nihil oppositum est instruẽdo, præter currus. Itaque ego, inquit, nisi forte mihi istius ordinis ductus obuenerit, puderet me hoc in loco versari. vsque adeo me esse in tuto maximè iudico. Ibi Cyrus, At enim, inquit, si apud te res bene sese habet, de illis bono animo esto. ego enim, Diis adiuantibus, obliquas istas partes seu latera efficiam vt nuda atque sola, quo ad hostes, conspiciantur. Neque tu prius in hostes impressionem facito, id quod contestatum esse volo, quàm istos, quos nũc metuis, fugientes cernas: (taliam autem magnificè cùm præliũ iam esset committendum, loqui solebat, aliis temporibus magnifico sermone non vtens) sed vbi videris istos fugere, ibi & me iam adesse statuito, & in hostes facito impetum. tunc enim tu & aduersariis ignauissimis, & tecum
coniun

coniunctis maximè egregiis vti poteris. Verùm, ô Abradata, dum ocium tibi cōcēditur, præteruectus currus tuos cohortare tecum coniunctos ad impressionem, animum vultu addens, & spe subleuans. Vt autem vos omnium, qui curribus vehuntur, præstantissimi appareatis, contentio- nis studium quoddam in illis fuscitato. Hoc enim si factū fuerit, scire planè debes, omnes posthac dicturos, nulla in re plus lucri inesse, quàm in virtute. Ac Abradatas quidē præteruechi, & ista exequi: Cyrus verò pergens postquam ad sinistrum latus venit, vbi erat Hystaspas cum dimidio equitum Persarum, nominatim eo compellato, Mi Hystaspa, inquit, nunc opus esse vides effectione celeritatis tuæ. nunc enim, si nos obtruncando hostes anteuertimus, nostrum mortem oppetet nemo. Ibi Hystaspas cum risu, At nobis, inquit, de aduersis res curæ est futura: sed de iis, qui à lateribus sese inferunt, aliis scilicet mandata dabis, vt ne illi quidem ociosi sint. Et Cyrus, Ego verò, inquit, ipse cōtra eos procedo. Verùm, ô Hystaspa, hoc memento, ytri nostrum Deus victoriam largiatur, si quid hostilium adhuc copiarum resistat, vt cum repugnante semper parte manus cōferamus. Hæc locutus progrediebatur, & secundum latus illud procedens, cūm peruenisset ad præfectum illo loco curribus, ad eum dixit: Ego verò vobis opem laturus eor. Cūm autem senseritis nos facere summis viribus impressionem, tum vos quoque conamini per hostes inuehendo penetrare. multò enim magis in tuto futuri estis exterius, quàm si compræhendamini interius. Postquam autem pergendo ad vltimos peruenit, vbi plaustra erant curulia, iussit Artagersan & Pharnuchū ibi vnà cum mille peditibus, & totidem equitibus suis remanere: vbi verò, inquit, senseritis me hostes adoriri in dextro latere, tunc vos aggredimini eos, qui ad vos spectant: eritque vestrum, inquit, prælium aduersus cornu, qua parte exercitus esse infirmior solet: & aderit vobis phalanx, vt vestrum robur maius iam futurum sit. Atque sunt, quemadmodum cernitis, postremi in hostium exer-

citu equites. in eos omnino camelorum ordines immitte. Ac planè scitote, vos hostes, antequam manus conferantur, ridiculos esse conspecturos. His peractis Cyrus ad dextrum latus se contulit. Cræsus verò phalangem, cum qua ipse procedebat, propiùs ad hostes accessisse ratus, quàm cornua illa quæ extédebantur, signum extulit, quo cornua admonerentur, ne lógiùs sursum versum procederentur, sed vt illo loco conuerterétur. Cúmque omnes constitissent conuersis oculis ad Cyri exercitum, ita signú illis dedit, vt hostes aggredierentur. Sic tunc tres phalanges ad Cyri exercitum accedere: vna aduersa, ex duabus reliquis, hæc ad dextrum, illa ad sinistrum latus. Itaque Cyri totus exercitus magno in metu versari. Quemadmodum enim laterculus paruus collocatus intra magnum, ita Cyri quoque exercitus vndique ab hostibus circumdabatur, tam equitibus quàm legionariis, quàm etiam cetratis & sagittariis & curribus, præterquam à tergo. Veruntamen postquam Cyrus suis præcepit, conuersi omnes fuere, vt ora contra hostes haberent: erátque silentium vbique ingès, præ futuri euentus formidine. CVM verò iam tempus esse Cyro videretur, tunc exorsus ille Pæana fuit, & simul exclamauit exercitus vniuersus. Postea & Mauortem exultante voce celebrarunt, & erupit Cyrus, statimque cum equitatu in hostes obliquos, seu in latera illorum inuectus, rem cominus quamprimùm gerere, & peditatus seruans ordinem celeriter consequi, ac circumfundi hinc atque illinc. Itaque longè ipsi fuere superiores. nam ad cornu cum phalange inferebantur. Mox igitur fuga ingens hostium facta est. Artagerfa autè, postquam sensit Cyrum rem esse aggressum, ibi ipse quoque adoritur partes sinistras, emissis camelis, quemadmodum Cyrus iusserat, quos equi è lóginquo admodum non admittere, sed alij consternati fugere, alij saltu efferri, alij in sese mutuo incurrere. accidere enim hoc equis solet à camelis. Artagerfa verò, qui suos haberet instructos, vrgeret cum ordinatis conturbatos, & simul currus

ram

tam à dextro quàm sinistra. Iàtere, inuehi. Ac multi, qui currus fugerent, à sequentibus cornu directo occidi, multi qui istos fugerent, à curribus intercipi. Atque Abradates non amplius ibi cunctari, sed magna voce exclamando, Sequimini, ô Socij, ita equos immittere, neque quicquam illis parcere, cum sic stimulo foderet, ut multo sanguine respergerentur. Eruperunt autem una cum ipso & ceteri agitatores curruum & currusque oppositi, statim hos fugere, alij ablatis iis qui conscenderant, alij etiam relictis. Abradates autem recta, per hos in phalangem Ægyptiorum impressionem facit, unaque eum eo, qui proximos ordines tenebat. Quod quidem & alias sæpe patuit, Non esse phalangem firmiorem, quam quæ ex amanti- bus inter se sociis collecta sit, id tunc quoque res ostendit. nam Abradatae sodales atque conuictores, una cum ipso impressionem fecere: ceteri autem aurigæ, ubi videt denso agmine Ægyptios resistere, ad fugientes currus deflexerunt, & illos fuere infecuti. Abradates vero cum suis, qua parte inuehebatur, quod Ægyptij cedere non possent, resistantibus hinc & illic aliquibus, euertere stantes impetu equorum percellendo, cadentes vero tam ipsos quam arma & equis & rotis obterere: si quem autem falces corripuissent, ibi omnia violenter concidebantur, cum arma tum corpora: atque in ista, quæ enarrari nequit, turba, per multiplices & varios acervos rotis subsultantibus excidit curru Abradates, necnon alij, qui impressionem simul fecerant. Atque hi illo loco viros se præbentes fortes contrucidati interierunt: Persæ vero consecuti, quæ Abradates quidem & ceteri cum ipso impressionem fecerant, eâ irruere, & conturbatos cadere: qua vero parte, Ægyptiorum agmen integrum remanserat, neque ipsi fuerant afflicti, in numero permulti obviam ire adversus Persas: ibi prælium fuit atrox hastis, lanceis, gladiis. superiores tamen Ægyptij erant cum multitudine, tum armis, quod & hastæ firmæ essent atque longæ, (quales nunc quoque gestant) & scuta multo quam lorice magis atque par-

mæ, cum regerent corpora, tum ad propulsandum adi-
 mentum afferrent applicata humeris. Cōfertis igitur scu-
 tis, aduersum ire & propulsare Persas. Qui cum sustinere
 eos non possent, tenentes scilicet parmas manibus, ita re-
 trocesserunt plagas inferentes & accipientes, donec sub
 machinas successere: quò cum peruētum fuisset, Ægyptij
 rursus plagas ex turribus accipiebant, & vltimi omnium
 fugere neminem sinēbant, siue essent sagittarij seu iacu-
 latores, sed strictis gladijs cogebant illos & sagittas emit-
 tere, & conicere iacula. Ingens tum cædes fuit, ingens
 item strepitus armorum & telorum omnis generis, ingēs
 etiam clamor, alijs sese mutuo, reuocantibus, cohortanti-
 bus alijs, alijs Deos implorantibus. Interea Cyris insequē-
 do se fugientes aduenit ac Persas vbi vidit loco pulsos, &
 dolore est affectus, & intelligens non posse citius coher-
 cere hostes, quò minùs longiùs procederēt, quàm si à ter-
 go illos circumueniret, præcepit, vt, qui apud se aderant,
 sequerentur, & ita eos à tergo circumuenit: irruētēque
 ipsi illos respectantes cædunt, & multos trucidant. At
 Ægyptij vbi hoc senserunt, exclamare, Esse hostes à ter-
 go, & inter plagas cōverti, ibique tum promiscuum præ-
 lium fuit tam peditum quàm equitum. Vnus autem qui-
 spiam qui subter equum Cyri concidisset, & ab hoc con-
 culcaretur, percutit equum illius impacto gladio ventri:
 at equus saucius nutando excutit Cyrum. Ibi verò perspiti-
 cere potuisses, quanti sit amari principem à suis. Statim
 enim exclamare vniuersi & irruere atque dimicare, pro-
 pulsare propulsari, ferire feriri: ac vnus ex Cyri ministris
 cum ab equo suo desiliisset, in illū imposuit Cyrum: cum-
 que Cyrus equum ascendisset, conspexit vndique cædi
 Ægyptios. nam & Hytaspas iam aderat cum Persis equi-
 tibus & Chrysantras, sed eos impressionem facere in pha-
 langem Ægyptiorum non est passus, ac iussit extrinsecus
 sagittas & iacula conicere. Iamque circumuectus ad ma-
 chinas pertenerat: ibi visum ei est in turrim aliquā ascen-
 dere & circumspicere, tum alicubi ex hostibus pars quæ-
 piam

piam resisteret atque præliaretur. Ac postquam ascendit, campum vidit esse refertum equis, viris, curribus, fugientibus, insequentibus, iis qui vincerent, quique vinceretur: hostibus quidem qui fugerent, suis verò qui vincerent, quique vincerentur nusquam: neque cernere agmen reliquum potuit vllum, exceptis Ægyptiis. Hi verò iam cõsiliij inopes, circumdatis vndique armis, vt essent ea in conspectu, ita subter scuta confederant: neque faciebant illi quidem amplius quicquam, sed multa atque atrocia perpetiebantur. Eos Cyrus & admiratus & miseratus, quòd interirent viri fortes, cum abscessit ipse, tum cæterorum, qui præliabantur circumquaque, neminẽ amplius præliari siuit: mittitque ad eos caduceatorem cum interrogatione hac, Vtrum interire potius vellent omnes autoribus iis, à quibus proditi essent, an conseruari cum existimatione bona, quòd essent viri fortes? Ad hæc illi responderunt: Nos verò quo pacto cõseruari possimus cum existimatione bona, quòd simus viri fortes? Quia enim, rursus inquit Cyrus, cernimus vos & remanere velle & dimicare solos. At enim, Ægyptij deinde, quòdnam facinus præclarum fecerimus, inquit, vt conseruemur? Ad hoc tum Cyrus, Si, inquit, nemine sociorum vestrorum prædito, ita conseruemini, vt tradatis nobis arma, & iam deinde sitis amici nostri, qui vos conseruandos duximus, cum liceret interimere. His auditis, amplius illi interrogarunt: Sed tibi iam amicis factis nobis, ad quas res vti volēs? Ad beneficia, respondit Cyrus, data & accipienda. Ægyptij ibi rursus interrogarunt, Ad quam beneficium? Ad hoc Cyrus, Mercedem, inquit, ego vobis dedero maiorem, quam accepistis modo; donec bellum hoc durauerit: postquam autem pax fuerit facta, si quis vestrum remanere mecum voluerit, & regionis & oppidorum possessionem, & cõiugia & seruitia daturus sum. Quæ Ægyptij cum audissent, orauerunt societatem militiæ aduersus Cræsum sibi remitti, nam soli illi veniam se dare dixerunt: de alijs verò conuentum, & data acceptaque fides

fuit. Et qui tunc remanserunt Ægyptij, nunc etiam permanent in fide erga Regem, & Cyrus vrbes eis attribuit, alias quidem mediterraneas, quæ adhuc appellantur Vrbes Ægyptiorum, Larissam verò & Cyllenen vicinam Cumæ, maritimas: easque nunc etiam possident posterii illorum. His confectis Cyrus iam sub tenebras noctis reuersus, castra metatus est Thymbraris. In prælio autem isto soli hostium præclaram existimationem fuerunt consecuti Ægyptij: ex Cyri verò copiis equitatus Persicus præstantissimus visus. itaque ad hodiernum vsque diem armatura illa permānet, qua illo tempore equites à Cyro instructi fuere. Valde etiam bona existimatio fuit de falsatis curribus. quamobrem iste quoque bellicus apparatus adhuc retinetur à cuiusque temporis Rege. Cameli sanè equis metum solummodo incusserant, sed illis insidentes equites neque conciderunt quenquā, neque ipsorum quisquam ab equitibus occisus fuit. equi enim nulli accessere propius. ac visa quidem est res utilis. nemo tamen vir honestus & fortis vel alere camelos vult, quibus ipse vehatur insidens, vel exercere se ad dimicandum ex ipsis. Ita ad suam conditionem reiectæ cameli inter impedimenta iam degunt. Ac copiæ quidem Cyri cœnati dispositis, quemadmodū oportuit, excubiis, ita somnum cepere. **A T C R O E S V S** cum exercitu fugiens rectà Sardis contendere: cæteræ verò nationes, quàm longissimè quisque poterat, ea nocte abeundo domum petere. Orto autem die, ad Sardis exercitum Cyrus rectà duxit: cūmque ad mœnia accessisset Sardium, ibi & machinas instituere, tanquam mœnia statim oppugnaturus, & scallas parare, idque iis in partibus facere, vbi munitiones Sardium propter præcipitia videbantur esse firmissimæ: & mox nocte secuta emittit ad ascendendum & occupandum tam Chaldæos, quàm Persas. Horum ductor erat Persa quidam, qui seruierat aliquando vni in præsidio arcis illius, & cognouerat descensum quendam in amnem, itidemque ascensum. Vbi verò iam apparuit arcē captam esse,

esse, ibi Lydi fugere cuncti, & ex mœnibus sese recipere in urbem, quò quisque poterat. Cyrus autem cum prima diei luce introire in urbem, imperio dato, Ne quis ordinẽ suum momento vllò relinqueret. Sed Crœsus, qui se in Regia inclusisset, Cyrum clamare: Cyrus verò relictis custodibus Crœsi, ipse in arcem captam abscessit. Atque cõspicatus Persas quidem remanentes, vt par erat, in custodia arcis, arma autem Chaldæorum deferta, (quòd illi ad diripiendas domos decurrissent) statim cõuocatis ductoribus eorũ, iussit abire ipsos de exercitu. Haud enim ferre, inquit, possint oculi mei cernentes desertores ordinis sui in parte auctiore. Atque planè, inquit, scitote, quòd vos, qui in meo essetis exercitu, parauerim efficere beatissimos inter Chaldæos: nunc verò nolite mirari, si abeuntibus quoque vobis occurrat aliquis præstantior. His auditis Chaldæi & pertimere & orarunt, vt sedaret iracundiam suam, seque omnem prædam restitutos esse dixere. Ille ea verò minimè sibi opus esse respondit: sed si, inquit, vultis meam sedari indignationem, restituite, quæ rapuistis omnia, iis qui in custodia arcis remanserunt. Si enim senserint cæteri milites, potiores esse partes eorum, qui ordines seruarint, omnia mihi præclarè se habebunt. Ac Chaldæi quidem fecere ita vt Cyrus iusserat: & accipere illi, qui imperio obœdientes fuerant, rem copiosam atque variam. Cyrus verò castris positus eo loco, qui visus esset in vrbe oportunitissimus, arma suos retinere & prandere præcepit: atque his perfectis Crœsum ad se adduci iussit. Crœsus verò, vbi Cyrum aspexit, Aue, inquit, Domine. nam hoc tibi nomen posthac fortuna tribuit, vt habeas, & mihi vt vsurpem appellando. Etiam tu, inquit Cyrus, quando quidem ambo homines sumus. Nunquid autem, inquit, consilium, Crœse, mihi dare velis? Etiam boni, inquit, Cyre, aliquid tibi reperire velim. nam idem mihi quoque, vt opinor, bono futurum sit. Audi igitur, ô Crœse, inquit: Ego enim cernens multum laboris sustinuisse milites meos, & multum adiisse periculi, & arbitrari se

potitos esse vrbe locupletissima post Babylonem, æquum iudico aliquid ad eos vtilitatis peruenire. Intellego enim, inquit, non posse me habere eos lōgo tempore obœdientes, nisi laborum suorum fructum aliquem perceperint. Nolim autem permitti ipsis à me vrbs direptionem. simul enim arbitror vrbe perditum iri, simul planè scio in diripiendo potiores partes magis improborum futuras esse. Hæc Cræsus cùm audiisset: Tu verò, inquit, finito me dicere hoc iis ex Lydis, quibus volo, Me nimirum egisse tecum & obtinuisse, ne rapinæ fierent, néve sineres abstrahi liberos & coniuges, quòdque pro his receperim, omnino tibi affore à volentibus Lydis, quicquid est præclarum & bonum Sardibus. Hæc enim si illi audierint, scio tibi aduenturum esse, quicquid omnium boni hîc est in facultatibus virorum & mulierum: ac futuro pariter tēpore multis & præclaris rebus vrbs erit referta. Quòd si illam diripueris, etiam artificia, quæ fontes perhibentur esse præclarorum operum, ita tibi interibunt. Licebit autem vt tu intuitus illa, ita deuenias tamen ad consultationem direptionis. Primùm autem, inquit, mitte ad meos thesauros, & accipiāt hos tui custodes à meis custodibus. Atque hæc omnia sic censuit fieri oportere Cyrus, vt dixerat Cræsus. I S T A verò, ò Cræse, inquit, prorsus narrato, Quonam Delphica oracula euaserint? Ferunt enim te admodum religiosè Apollinem illum coluisse, & habere eum autorem omnium actionum tuarum. Sanè velim, ò Cyre, inquit, rem ita se habere: nunc verò sic cum Apolline res mihi fuit, vt statim ab initio agerem contraria omnia. Quonam pacto? inquit Cyrus, edoce. nam mirabilia admodum narras. Quia, inquit, primùm neglecta interrogatione Dei, de iis rebus quibus opus esset, periculum feci, an vera ille respondere posset. Id autem eiusmodi est, vt homines quoque honesti ac probi, nedum Deus, inquit, vbi sensere fidem sibi non haberi, nequaquam diligant. diffidentes. Cùm verò iam illi nota esset absurditas factorum meorum singularis, & ego longè Delphis abes-

sem,

sem, ita tum mitto de liberis. At ille mihi primùm ne responsum quidem dedit: postquam verò ego multa munera, quæ offerrentur Apollini, mittendo aurea, multa item argentea, & post multa sacrificia, tandem, ut arbitrabar, eum placassem, tum demum interroganti mihi, *Quid faciendum esset, ut mihi liberi nascerentur?* ille respondit, & fore dixit ut existerent. Atque sunt nati sanè, non enim ne in hoc quidem mentitus fuit: sed nati nulli vsui fuere. Alter enim mutus ut erat, ita permansit: alter virtute præstâtissimus in flore ætatis interiit. Cùmque calamitatibus liberum præmerer, rursus mitto & interrogo Deum istum, *Quidnam facere me oporteret, ut reliquam vitam agerem quàm felicissimam?* At ille mihi respondit:

Semper eris, si tu noscas te, Cræse, beatus.

Hoc oraculo lætatus fui. censebam enim felicitatem illum mihi tribuere, mandantem quod esset facilimum. nam de aliis rem ita se habere arbitrabar, partim ut nosse, partim ut nō nosse liceret: se autem quinam esset, omnes homines scire. Ac tēpore eo, quod secutum est mortem filij mei, donec quiete vsus sum, non fuit cur fortuitos casus incularem: postquam verò ab Assyrio mihi, ut aduersus vos arma expedirem, persuasum fuit, omnis generis pericula adiui: atque sum conseruatus nullo malo accepto, ut ne hac quidē in parte Deum illum accusarem. Cùm enim cognouissem me non esse dimicando vobis parem, ita tunc, adiuuante Deo, periculo caruit discessio & mea & meorum. At modò rursus deliciis præsentis opulentiæ diffluens, & insolens de precibus orantium ut præesse vellem, & muneribus quæ mihi dabantur, necnō hominum, qui mihi assentantes perhiberent, fore ut meo imperio parerent, modò ego vellē, vniuersi, & ego omnium mortalium maximus euaderem: talibus igitur sermonibus inflatus, vbi delegerunt me vicini reges cuncti præsidē belli, suscepi exercitum ducendi onus, quasi is essem qui euadere maximus possem, planè ignorans me ipsum, qui in bello arbitraret me aduersarium tibi esse parem, primùm

genito ex Diis, deinde regia profapia procreato, itémque à puero in virtute exercenda versato: ex meis autem maioribus eum, qui regno primus est potitus, simul Regem, simul liberum esse factum audio. In istorum igitur ignoratione iustam pœnam sustineo. At modò, inquit, Cyre, noui equidem me ipsum. Tùne verò, inquit, arbitrare verum responsum esse Apollinis, fore beatum me cognoscendo me ipsum? Quæro autem hoc ideo ex te, quòd de eo optimè coniecturam in præsentia facturus esse videaris. potes enim efficere. Ibi Cyrus, Consilium mihi dato de hoc ipso, inquit, ò Cræse. ego enim in cogitatione de priore felicitate tua, & miseror te, & nunc iam coniugem restituo tibi tuam, vt habeas eam, quam antea habuisti, itémque filias tuas, audio enim tibi esse filias, præterea amicos & famulos, eúmque victum quo estis vsi: prælia verò & bella abs te aufero. Nihil tu igitur profectò iam, inquit Cræsus, consultes mecum, de meæ felicitatis responsione. narro enim iam tibi, si mihi ea, quæ tu narras, effeceris, fore vt, quam alij beatissimam vitam esse statuebant, & cum quibus congruebat sententia mea, illa mihi nunc degenda contingat. Quisnam verò, inquit Cyrus, est istius beatæ vitæ compos? Mea, inquit, ò Cyre, vxor. hæc enim bonorum & suauitatis & hilaritatis ex æquo omnium particeps mecum fuit: curarum verò, quo pacto hæc contingerét, itémque belli & præliorum nihil ad ipsam pertinebat. Atque tu nunc elaborare de me pariter videre, ac de illa ego, quam omniũ mortalium haberem carissimam. Itaque iam Apollini alias gratiarum declarationes debiturum me esse existimo. Quæ Cyrus cùm audiisset, & fuit admiratus securitatem tranquillitatemque animi de sermonibus Cræsi, & deinceps quocunque proficisceretur, eum duxit secum, siue sanè arbitratus alicui vsui ipsum fore, seu esse hoc tutius iudicans. Atque tunc quidem ita cubitum iuere. Postero autem die Cyrus amicis & ductoribus exercitus conuocatis, assignauit aliis munus accipiendi thesauros, alios iussit, quicquid pecunia

cuniarum aut rerum Cræsus tradidisset, inde eximere primùm Diis quæcunque Magi interpretando demonstrassent, reliqua deinde ponderata & coniecta in arcas in plaustris componere, & sorte distributis plaustris, deportare secum quocunque proficiscerentur, Vt tempore oportuno, inquit, quæ meriti sunt quique, ea partiendo accipiant. Hæc illi igitur exequiebantur. AT CYRVS quibusdam ex ministris, qui aderant accersitis, Dicite mihi, inquit, viditne vestrum aliquis Abradaten? Miror enim nusquam hunc iam apparere, qui prius me frequenter accedere consueverit. Ibi ministrorum vnus respõdit: Non enim viuit ille, Domine, sed in prælio occisus est, immisso curru in Ægyptios: cæteri autem exceptis sodalibus eius, deflexere, quemadmodum ferunt, cursum, conspecto agmine Ægyptiorum. Et modò, inquit, dicitur coniunx ipsius, mortuo sublato, & in curule plaustrum imposito, quo ipsa veheretur, deportasse eum huc aliquò ad Pactolũ amnem, narrantque eunuchos ac famulos effodere in tumulo quodam locum vbi mortuus reponatur: coniugem autem eius perhibent sedere humi, & exornasse virum quibus potuerit, & tenere caput illius manibus supra genua sua. Quibus auditis, Cyrus femur suum percussit, & mox saltu in equum ascendit, cumque equitibus mille aduehitur ad tristem illum casum: Gadatam verò ac Gobryam iussit, quicquid ad amici & fortis viri mortui ornatum possent, eo accepto se subsequi: qui autem greges agebat cum exercitu, itemque boues & equos, ei mandat, vt alias quoque oues complures eò adigat, vbi se esse rescuerint, mactandas apud Abradatam. Postquam autem mulierem illam humi sedentem, & propositum mortuum aspexit, ob casum tristẽ lacrimas effudit, &, Heu, inquit, ô virtute præstans & fida anima, itane nobis relictis abiisti? & simul dextram manum eius præhendere, & ea à corpore mortui abstracta sequi, (nam gladio ab vno ex Ægyptiis fuerat amputata) & ille hoc cernens dolere vehementiùs, & mulier eiulare: receptaque manu à Cyro, & osculari:

ipsam, & rursum adaptare, sicut poterat. Tum dixit, Cætera quoque scilicet, ô Cyre, ad hunc iste se modum habet. Quid opus verò est te ea contemplari? Atque scio, mea hunc caussa talia esse haud minimè perpeffum, & tua quoque fortasse non minus, ô Cyre. Ego enim, ô stultam me, multis verbis cohortata illum fui, Eum se re ipsa præberet, qui prædicatione amicitiaæ tuæ dignus videretur. Atque ipsum istum planè scio non cogitasse, quid sibi accidere, sed quo pacto tibi gratificari posset. Atque ita ille quidem, inquit, mortem obiit expers criminis & culpæ: ego autem hortatrix nunc apud eum hîc viua sedeo. Ibi Cyrus aliquantum temporis lacrimando cum silentio absumsit: deinde, At iste, mulier, inquit, finem præclarissimū sortitus est, mortem enim obiit victor: tu verò acceptis istis à me hoc ei ornamentum adiunge. Aderant autem Gobryas & Gadatas afferentes ornamenta multa atque præclara. Præterea, Scito, inquit, neque alios honores ipsi defuturos, sed & monumenti tumulus exaggerabitur à nostra multitudine, is qui nobis dignus sit, & mactabuntur insuper quàm multæ pecudes par est mactari viro forti. Etiam tu, inquit, deserta atque sola non es futura. nam te ego, cum propter pudicitiam & castitatem cæterasque virtutes tuas colam, & commendabo alicui, qui te, quocunque volueris ipsa, deducat: tu modò, inquit, ostendito mihi, ad quem deportari te cupias. Ibi Panthia, Tu verò securo, inquit, animo sis, Cyre. non enim celabo te, ad quemnam peruenire velim. Atque hæc Cyrus locutus discessit, cum mulierem miserans, quæ tali viro deinceps caritura, tum illum, qui relictam talem coniugem nunquam aspecturus esset. Panthia autem eunuchos abfistere iussit: donec ego istum, inquit, deplem arbitrio meo: sed nutrice dixit, debere eam remanere, eique mandauit, vt sese mortuam & virum vna veste velatos congereret. Nutrix verò cum multis precibus supplicando, ne faceret facinus istud, nihil proficeret, ita lacrimans affedit. Illa autem quæ iam dudum haberet acinacem ad hoc præpa

præparatum, iugulat se ipsa, & deposito capite supra pectus viri ita moriebatur. Tum nutrix cum eiulatu velatos ambos, quemadmodum Páthia mandauerat, cõtexit. At Cyrus, cum comperisset, quid mulier illa fecisset, perturbatus animo accedere, si quid opis afferre posset. Eunuchi verò, numero tres, cum quid factum esset, cerneret, vbi collocarat illos, ibi stantes eductis acinacibus sese iugularunt. Et nunc monumenti eunuchorum tumulus ad hodiernum vsque diem extare dicitur, & in columna superiore viri & mulieris illius perscripta nomina esse litteris Syriacis, inferiùs autẽ stare columnas tres cum inscriptione SCEPTRIGERORVM. Cyrus vbi appropinquauit ad tristẽ istum casum, & admiratus & lamentis profecutus mulierem illam discessit, fuitque ei, sicut debuit, curæ, vt illis omnia præclara contingerent: & est monumentum ingente, vt aiunt, tumulo exaggeratum.

POST hoc tempus seditione & bello orto inter Caras, quippe qui incolerent loca munita, vtrique auxilium Cyri petierunt: sed Cyrus ipse Sardibus tum remansit, quòd fabricaretur machinas & arietes, quibus non obtemperantium mœnia deiiceret, atque misit Adufium quẽdam Persam, cum aliis rebus neque vecordem neque imbellẽ, tum perquam humanum, cum exercitu in Cariam. Huic suas copias animis valde promptis coniungere Cilices & Cyprij. Quamobrem nunquam misit Satrapam Persam vel Cilicibus, vel Cypriis, fuitque cõtentus indigenis horum Regibus: tributum tamen solebat ab his accipere, & quoties opus erat, imperare exercitum. Sed Adufius vbi in Cariam exercitum adducens venisset, ab vtraque ex Caribus parte affuere, qui ipsum intra mœnia recipere parati essent, contrariæ factionis malo. Adufius verò erga vtrosque sic se gerebat: Eos narrare æquiora aiebat, cum quibus fortẽ colloqueretur, & occultã esse oportere aduersariis iunctam inter ipsos amicitiam, quòd eò pacto magis liceret aduersarios imparatos inuadere: atque postulabat firmari fidem, vt Caras iurarent, Admissuros se

eos intra mœnia absque fraude, Cyri & Persarum bono: se autem velle iurare, ingressurum esse mœnia sine fraude, & recipientum bono. His actis clam vtrisque noctem constituit eandem: & ea introiit in mœnia, & occupavit vtriusque partis munitiones. Simul autem vt dies ortus erat, in medio Aduſius cum exercitu confedit, accerſitis qui oportuni erāt ex vtrisque. Hi verò intuiti sese mutuo, indignari, & se esse deceptos vtrosque arbitrari. Aduſius autem ita locutus est: Ego, ô viri, iusiurandum vobis dedi, me esse ingressurum intra mœnia vestra sine fraude, & cum bono admittentium. Iam si alteros vtros euertam, me Caricæ gentis malo introiuisse, sin pacem inter vos fecero, & vt tutò vtrique terram colere possitis, ita me bono vestro statuerim aduenisse. Nunc igitur vos ex hoc die inter vos vnà versari amanter oportet, & colere terrā sine metu, & inter vos liberos tradere acciperéque. Quòd si contra hæc conatus aliquis fuerit iniuriam facere, eis Cyrus & nos hostes futuri sumus. Ex eo tempore & portæ murorum apertæ esse, & refertæ viæ congregientium inter sese, & agri pleni colentibus: tum communiter dies festos agitare, & omnia plena esse pace & hilaritate. Interea aduenire à Cyro qui interrogarent, Nunquid opus esset copiis aliis, aut machinis? Aduſius verò respondit, Posse illo ipso exercitu vti eum aduersus alios: simulque hæc locutus exercitum abduxit, relicto præsidio in arcibus. At Cares supplicibus ab eo precibus petierunt, vt secum remaneret: sed cùm facere ille hoc non vellet, vnà cum eo misere ad Cyrum, qui orarent, Mitti sibi Aduſium satrapā. Interea Cyrus ablegarat cum exercitu Hystaspem in Phrygiam ad Helleſpontum: ac Aduſius postquam aduenit, recedere eò hūc iussit, quò Hystaspes præcessisset, vt parerent magis Hystaspæ imperio, qui audiissent aduenire alterum exercitum. Græci sanè accolæ maris multis datis muneribus hoc agendo consecuti fuere, ne sibi intra mœnia barbaros recipere neceſſe esset: vt tributum tamen penderent, & copias, sicut imperasset Cyrus,

rus,mitterent. Phrygum autem Rex ita se parare,vt qui munitiones retinere,neque imperatum facere vellet, idque ipsum iam denunciare.Sed cum ab eo præfecti deficerent,& ipse desereretur,tandem in potestatem Hystaspæ venit,vt iudicium esset penes Cyrum. Hystaspa quidem relictis in arcibus præfidiis firmis Persarum,discedere adducens vnà cum suis etiam Phrygum equites, & cetratos multos.Habebat autem madata à Cyro Adufus, vt cum Hystaspa congressus, ex Phrygibus armatos eos adduceret, qui Cyri partes sequendas statuissent : quos cupiditas autem cepisset belli,his adimerent equos & arma,traditisque fundis,ita illos sequi iuberent. Atque hæc isti exquebantur. Cyrus verò mouit Sardibus, relicto præsidio peditum copioso Sardibus,& retinens Cræsum, & abducens multa plaustra multorum bonorum & variarum rerum. Accessit tum Cræsus accuratè habēs perscripta,quæ in quoque plaustro essent:& iis scriptis Cyro oblatis,Ista, inquit,retinens Cyre,scies, quinam tradant integrè commissa ad deportandum,& qui secus.Ibi Cyrus, Tu verò rectè facis,Cræse, prouidendo, inquit : at mihi vectores ij erunt bonorum,& rerum istarum, qui ipsi digni sunt possessione illarum.itaque si furentur aliquid, furabuntur sua atque propria.Et simul cum hac oratione,scripta illa amicis tradidit & ductoribus,vt scirēt, qui ex procuratoribus salua ipsis redderent,& qui non redderent. Et ex Lydis, quos cernebat studere cōspici speciosis armis, equis, curribus præditos,& conari efficere omnia, quibus gratificaturi esse Cyro viderentur,eos adduxit armatos:quos autē cernebat sequi grauatè,eorum equos tradidit Persis,quos primos militiæ socios habebat, sed arma combussit,& eisdem cum fundis iussit sequi : quin omnes etiam, qui sub potestatem suam subiecti fuissent, coëgit exercere vsum fundarum,statuens esse ista arma maximè seruilia. Nam vnà cum aliis copiis,prorsus alicubi vehementer profunt funditores præsentis:per se verò soli non cuncti ipsi funditores paucos comminus congregiētes armis instructos

ad conferendas manus idoneis, excipere resistendo audeant. Iamque pergens Babylona versus, subegit Phrygas in Phrygia magna, subegit & Cappadocas, & potestati suæ subiecit Arabios: & armis instruxit de his nō pauciores equitibus Persicis quadragies mille: multos etiam captorum equos fociis distribuit cunctis, & ita ad Babylona accessit, cum admodum multis equitibus, & admodum multis sagittariis & iaculatoribus, funditoribus autem innumeris. **POST QUAM** autem apud Babylonem iam fuit Cyrus, urbem ille quidem circumdedit exercitu uniuerso, ipse verò circumuehendo cum amicis & oportunis ex numero sociorum, eam obiuit. Atque perlustratis mœnibus exercitum iam ab vrbe parabat abducere. Ibi ex vrbe egressus transfuga quispiam indicat: Babylonios vellexercitum adoriri, quando hic abduceretur. contemplantibus enim de mœnibus, inquit, phalanx infirma visa est. Id ita se habere mirum non fuit. nam quòd mœnia ampla ab illis circumirentur, necesse erat minus densam phalangem existere. His igitur auditis, constitit Cyrus in medio exercitus vnà cum suis, præcepitque vt vtrinque milites ab extremis ordinibus explicantes phalangem accederent ad eam exercitus partem, quæ constiterat, donec extremi illi vtrinque ordines secū in medio coniungerentur. Id cum facerent, statim confidentia augebatur remanentibus, cum fierent duplo densiores: augebatur & abeuntibus, quòd remanentes tunc propius ab hostibus abessent, procedentes autem cum extrema continuassent, ita constiterunt iam facti firmiores, tam qui discesserant propter antegressos, quàm antegressi propter eos, qui ponè subeundo accedebant. Hoc sanè modo explicata phalāge, necesse est primos esse, qui sunt præstantissimi, itémque vltimos, in medio autem collocari deterimos. Ita autem sese habens phalanx, & ad dimicandum, & ne fugam spectet, præclare videtur instructa. Equites etiam & leuis armatura à cornibus semper Imperatori appropinquare eò magis, quò duplicando fiebat phalanx breuior.

breuior. Atque isto pacto conferti, quousque tela conici à muro possent, eò pedetentim recedere, & mox constituti extra tela conuertere sese, ac primùm cum facerent gradus modicos procedendo, mutare statum clipeos versum, & ita consistentes aspicerè murum. Quo autem abscedebatur lōgiùs, hoc magis ipsi mutatione illa extenuari: vbi verò iam se esse in tuto arbitrabantur, abeundo implicabantur, donec in tabernacula peruenirēt. Postea verò quàm in castris fuere, conuocatis iis quos oportunos iudicabat Cyrus, ita est locutus: Lustrauimus, ò Socij, iam circumeundo urbem vndique: atque ego nō videor perspicere, quo pacto aliquis tam ardua ac firma mœnia oppugnādo capere possit. Quò autem maior est in vrbe hominum multitudo, eò citiùs fame eos domari posse puto, quandoquidem ad prælium copias non educūt. Nisi igitur habetis aliam rationem commemorare, hac obsidendos istos esse censeo. Tum Chrystantas, Numquid verò amnis iste, inquit, per mediam fuit urbem? cuius latitudo superat stadia duo. Ita profectò, inquit Gobryas: atque adeo est profundus quoque, vt ne duo quidem viri, vno supra alterum consistente, extra aquas extiterint. itaque ipso fluuio magis quàm mœnibus vrbs munitur. Ibi Cyrus, Ista sanè, inquit, ò Chrystanta, relinquamus, quæ sunt potiora viribus nostris: hoc verò faciendum est, fossam quàm latissimam & præfundissimam fodi oportet, parte sua cuique ad mensuram attributa, vt quàm paucissimis opus vobis sit custodibus. Atque ita opere mensura distributo, spacio à fluuio distante magnis propugnaculis idoneo, fodere cœpit fossam supra modum ingentem: solum autem egestum sibi obiiciebant. Ac primùm turres ad fluuium Cyrus ædificare, fundatas palmis nō minus longis quàm centenos pedes, (nascuntur enim ibi his etiam proceriores) quòd palmæ pondere pressæ fursum versum incuruentur, non aliter quàm asini clitellarij. Has autem ideo Cyrus subiiciebat operi, vt quàm maximè id agerè videretur, vt urbem obsideret, vtque si fluuius fortè in fos-

fam erupisset, non euertere tamen turres illas posset. Ex-
 struebat etiam alias turres permultas supra terram ege-
 stam, vt essent quàm plurima loca idonea ad custodias.
 Atque illi quidem hæc elaborare. Qui autem in muro
 stabant, obsidionem istam deridere, quòd haberent ad vi-
 ctum necessaria annorum x x. Hoc Cyrus audito, exer-
 citum diuisit in partes duodecim, tanquam in custodia
 singulis mensibus anni, pars vna collocanda esset. Id Ba-
 bylonij cùm audiissent, multò etiam magis irridere, cogi-
 tantes custodias sibi poni Phrygum, Lydorum, Arabio-
 rum, Cappadocarum, quos esse magis sibi quàm Persis
 beneuolos statuebant. Iàmque erat opus fossarum absolu-
 tum, cùm Cyrus audiuit festum diem istiusmodi quèdam
 agitari Babylone, quo Babylonij totum diem & totam
 noctem potui & comestationi indulgere consueuissent.
 Eo igitur die, vbi primùm tenebræ vndique extitissent,
 multorum hominum operà aperuit fossarum ad fluuium
 pertinentia ostia. Quo facto, per fossas aqua manare no-
 cte illa, & fluuij per urbem iter fieri tale, vt homines in-
 gredi id possent. Cùm autem ista copia à fluuio præbere-
 tur, iubet Cyrus Persarum tribunos tam equestres quàm
 pedestres suas quosque decem centurias binis continua-
 tis adducere, cæteros autem socios instructos, vt priùs, ex-
 tremos horum ordines sequi, atque isti iam aderāt. Tum
 Cyrus immixtis famulis peditibus & equitibus in fluuij
 exiccatam partem, iussit explorari, an vadum fluuij ingres-
 sionem admitteret. Quibus renunciantibus, admittere:
 ibi conuocatis ductoribus tam peditum quàm equitum,
 ita est locutus: Fluuius sanè, ò amici, concessit nobis viam
 in urbem: nos verò præsentibus animis introeamus, hoc
 cogitantes, Esse eos, quos modò aggressuri sumus, eosdè,
 quos & sociis stipatos, & vigilantes vniuersos, & sobrios,
 & armis ordinibusque instructos, dudum vicimus: nunc
 verò adorimur ipsos, quo tēpore & dormiunt ex eis mul-
 ti, & multi ebrij sunt, nihil autem prorsus est apud eos in-
 struendo ordinatum. Vbi autem intus nos esse senserint,
 multò

multò etiam magis nulli vsui futuri sunt perculsi animis. Quòd si cui hoc in mentem venit, quod terribile fertur esse intrantibus in urbem, ne tela ascensis tectis hinc inde coniciant, eius causa maximè bonum habere animum debetis. Si enim aliqui domos ascenderint, adest nobis Vulcanus Deus socius. facile autem exardescunt vestibula ipsorum, cum ianuarum materia sint palmæ, perunctæ hæ quidem bitumine, quod cõcipit ignem celeriter. Nos quoque faces multas habemus, quæ citò parient incendium ingens. Habemus & picis multum atque stuppæ, quibus citò magna flamma excitatur, vt ita necesse sit, aut statim aufugere, si qui domos conscenderunt, aut mox cõflagrare. Agite ergo, capite arma: ego verò ductor, Diis adiuuantibus, sum futurus. Vos autem, inquit, ô Gadata & Gobrya, demonstrate itinera, sunt enim ea vobis nota: vbi verò iam intus fuerimus, quàm celerrimè ducite ad Regiam. Atqui, inquit Gobryæ cœtus, non mirum fuerit, si ne occlusæ quidem sint valuæ in Regia. tota enim vrbs hilaritati comessationum intenta est hac nocte. Custodiã tamen ante valuas habituri sumus obuiã. semper enim ibi illa collocatur. Non negligenda iam res, inquit Cyrus, sed aggredienda fuerit, vt illos quàm imparatissimos depræhédamus. Atque his illi dictis procedere. Qui obuiã autem eis fiebant, eorum cæsi alij occumbere, alij retro aufugere, alij clamorem edere. Tum Gobryæ cœtus, simul clamare, quasi comessationum focij: & pergentes quæ poterant, ad Regiam quàm concitatissimo gradu peruenerunt. Vbi Gobryas & Gadatas vnà cum suis militibus, clausas valuas offendunt: qui autem collocati erant aduersus custodes, ij faciunt in illos potantes ad lumen ingens impetum, ac statim erga ipsos sese gerere vt hostes. Cùmque clamor & strepitus excitaretur, vbi qui interiùs erant, tumultum senserunt, rege iubere, Quid rei esset, explorare, ita procurrant aliqui valuis patefactis: cœtus verò Gadatæ conspicati valuas pandi, irruunt, & intrò refugientes persequuntur atque cædunt, & ad Regem pénétrât, eumque

stantē iam cum stricto acinace, quem gestabat, inueniunt. Atque hūc Gadatæ & Gobryæ copiosa manus oppressit. Occubere etiam cæteri, qui apud ipsum fuerant, alius aliquid obiiciens ante se, alius fugiens, alius etiam se quomodocunque concedebatur, defendens. Cyrus autē passim per vias, equestres turmas dimittere, & edicere: Quos cunque foris depræhendissent, eos vt obruncarent, qui in ædibus verò essent, eos præconio peritorū Syriaci sermonis, iuberi intus remanere: sin foris quispiam depræhenderetur, morte eum multatum iri. Atque hæc illi exequi: Gadatas autem & Gobryas accedere, & primū quidē Deos venerari, quòd pœnas sumfissent de impio Rege, deinde verò Cyri manus pedesque exosculari, multūque lacrimarum cum gaudio & lætates profundere. Iam autem die orto, vbi præsidia in arcibus fenserunt captam esse urbem, & mortuum Regem, tradunt ipsi etiam arces. At Cyrus arces statim occupare & collocare in eis præfectos præsidij atque præsidia: mortuos autem permittere vt sui sepelirent. Præcones verò iussit pronunciare, Babylonios arma afferre debere vniuersos: in quacunque autem domo relicta arma fuissent, in ea omnibus moriendum esse edixit. Atque illi quidem arma afferre: Cyrus verò ea in arcibus reponere, vt essent in promptu, vsu aliquando indigente. **HIS QVE** peractis, primū Magos accersitos, quòd armis capta vrbs esset, eximere iussit Deis primitias de manubiis, & lucos: post hæc domos distribuere & publicas ædes iis, quos rerū gestarum se habere socios arbitrabatur. sic autem diuisit, vt decreuerat, Optima quæque præstantissimis. Quòd si quis sibi minus contigisse arbitraretur, eum iussit accedere sese, & hoc docere. Edixit autem Babyloniis, colere terram, & pëndere tributa, & obseruare eos quibus eorum quique essent traditi: Persas verò rerum gestarum participes, & si qui ex sociis remanendum sibi statuisent, eos iussit cum illis qui obuenisent, loqui, tãquam dominos. Atque tum deinde cupere iam Cyrus ita se parare, quemadmodum decere

decere Regem existimabat, idque de amicorum sententia faciendum esse censuit, quò minus inuidiosum esset, si rariùs & augustiore habitu conspiceretur. Ad hoc igitur tale quiddam machinatus fuit: Vbi primùm dies illuxisset, quo loco oportunum maximè videbatur, constitit, admittens volentem accedere vnumquemque, & cum responso dimittens. Ibi cùm intellectum esset admittere Cyrum accedentes, immensa hominum multitudo aduenit, & impellentium trudendo sese, accedendi causa multum molitionis & certaminis erat. At ministri discernendo, sicut poterant, ita sinebāt illos adire. Quòd si quando ex amicis quispiam perripisset turbam, & præcæteris visus esset, tum Cyrus manum protèdere, eosque attrahere, & sic compellare: Mei amici, operimini, dum turbam istam dimoueamus: atque deinde vnà per ocium versabimur. Illi igitur remanere: turba verò maior ac maior affluere, donec vesper opprimeret, antequam vacaret Cyro operam amicis dare, & eis cõsuescere. Et tunc Cyrus: Modò, mei vos, tempus est discedendi. crastino igitur die assitis manè. & volo enim de quibusdam colloqui vobiscum. Quibus auditis amici ipsius libenter abire properabāt, ita multati neglectione necessariarũ rerum omniũ. Et tunc quidem hoc modo cubitum iuerunt: postero autem die aderat eodem in loco Cyrus, hominum autem multò maior circumstabat copia accedere volētium: aduenerantque adeo hi multo antea quàm amici illi. At Cyrus collocatis circum se magno ambitu Persis hastatis, neminem admitti iussit, nisi amicos atque principes Persarum & sociorum: qui postquam conuenere, Cyrus ita eos allocutus est: Mei amici atque socij, quod Deos quidem accusemus, quasi non omnia hætenus pro eo atque optare potuissemus, effecta sint, nihil est profectò. Si verò istud futurum est, Magnas res gerere non posse aliquem, vel ipsum ocio frui, vel cum amicis hilariter viuere, valeat sanè ista, me iubente, beata vita. Et heri enim intellexistis, inquit, quòd cùm manè incepissemus audire accedentes,

finis factus non sit ante vesperam: & modò cernitis alios istos, atque adeo plures heri præsentibus, paratos ad molestiam nobis exhibendam. Istis igitur si quis sese dare velit, mea sic ratio est: Parte exigua & mei vos, & me vestri familiariter vsurum esse. Mihi certè à me, quo familiariter vtar, relinquetur, planè scio, nihil prorsus. Præterea rem, inquit, ridiculam animaduerto: ego enim erga vos sic sum affectus, vt par est: qui verò hîc circumstât, eorum vel vnum fortè aliquem noui, vel nullum quoque: qui tamen ita parati sunt vniuersi, vt si vobis superiores esse trudendo possint, priùs agèdo apud me quàm vos, quicquid voluerint, confecturi esse videantur. At ego æquum esse censui, istos, si quis à me, quo opus esset, petere vellet, colere vos amicos meos, & orare vt adduceretis eos, qui desiderarent. Dixit aliquis fortasse, cur non initiò statim ad hunc modum me comparauerim, sed exhibuerim potiùs me ipsum in medio omnibus? Quia enim bellica negotia eiusmodi esse sciebam, vt Imperatorem nulli secundum esse oporteret, siue cognoscenda sint, quæ vsus, seu agenda, quæ tēpus postulat: at duces, qui rarò conspiciendos se præbent, eos multa quibus actis opus fuisset, præmittere statuebam. Nunc verò postquam à bello, quod laboris amantissimum est, quies contigit, etiam meus animus videtur iure quodam expetere quietem. Proinde, tanquam non explicante me, quid facere possim, vt & nostræ se res, & eorum, quibus debetur respectus diligentia nostræ, præclare sese habeant, consulat aliquis in medium, quid maximè conducere videatur. Ac Cyrus quidem ita fuit locutus. Tum deinde exurgit Artabassus, qui se Cyri cognatum esse quondam dixerat, & sic est locutus: Præclare est, inquit, profectò abs te factum, Cyre, quòd huius sermonis principium dedisti. Ego enim cum tu adhuc admodum iuuenis esses, amicitiam tuam concupiui: sed quòd viderè nullum esse vsum mei, veritus fui te accedere. Postquam verò euenit, vt meam operam requires, ad ea quæ Cyaxares mandarat Medis studiose nuncianda

cianda, arbitrabar, si te studiose tunc adiuuissem, familiarum me tibi, & potestatem mihi fore colloquendi tecum quamdiu vellem. Atque sunt illa quidem sic gesta, ut laudem apud te inuenerint. Post hæc autem Hyrcanij sese ad amicitiam nostram contulerunt, cum magna esset sociorum penuria. Itaque illos pœnè in manibus præcaritate gestauimus. Postea iam castris hostium captis, non erat, ut opinor, otium ut mihi vacares, & ego hoc boni consulebam. Exinde accessit amicus Gobryas. lætabar. Mox Gadatas. ibi verò cõporem tui fieri operosum erat. Cùmque iam & Sacas & Cadusios haberemus socios, colere erat necesse eos, ac meritò quidem, quippe qui te colerēt. Vbi verò reuersi essemus illuc vnde fueramus profecti, cernens te occupari instruendis equis, curribus, machinis, existimabam otium tibi ab istis cum contigisset, tum me complectendi quoque otium te esse habiturum. Sed postquam ille horribilis nuncius aduenit, Omnes mortales colligi contra nos, hæc esse maxima intellexi: verum rebus istis bene gestis, me planè iam scire putabam, abundantem copiam euenturam mutux inter me & te cõsuetudinis. Et nunc victoria sumus in illo magno prælio potiti, & Sardes atque Croesum subiectos potestati nostræ habemus, & cepimus Babylonem, & omnes subegimus. At heri, Mithren testor, nisi ego cum multis fuisset luctatus, nequaquam potuissem accedere: vbi verò tu manu præhendisti me & iussisti apud te remanere, iam in oculis omnium eram, quòd tecum sine cibo & potu diem consumerem. Nunc igitur tandem an vnquam futurum est, ut de te optimè meritos maximè compotes tui esse concedatur? Aliter enim si fiat, ego contra iam nuncius esse tuus volo, & iubere discedere abs te cunctos, exceptis nobis primis amicis. His dictis & Cyrus risit, & alij complures. Exurgens autem Chryfantas talem habuit orationem: At enim tu ante hoc tempus, Cyre, fecisti quod par fuit, conspectui omnium te exhibendo, cum propter illa, quæ commemorasti, tum quia non erat, ut nos potis-

simùm coleres. Nos enim nostra etiam ipsorum causa aderamus, sed multitudo modis omnibus erat concilianda, ut quàm libentissimè vnà nobiscum & labores suscipere, & pericula adire vellent. Nunc verò postquam non solum tenes modum istum, sed penes te etiam est, ut, quos opportunum fuerit, concilies, tibi quoque iam domesticam rem contingere est æquum. Aut quemnam ex imperio fructum percepturus sis: si solus foci domestici expers maneat, quo nullus vsquam fundus inter homines, aut iucundior aut familiarior est. Deinde, Annon putas, inquit, fore ut nos pudeat: si te cernamus fortiter labores foris perpeti, & nos intra domos versemur, & in parte potiore, quàm tu, esse videamur. Quæ cum Chrystantas dixisset, eadem pariter assentiendo multi disseruerunt. Ex eo igitur Regiam intrat, & pecunias ibi, qui illas Sardibus aduexerant, tradidit. Ingressus autem Cyrus, primum rem diuinam numini domestico fecit: deinde Ioui Regi, & sicui alteri Magi enarrando censuissent. Et his perfectis ita alia cœpit disponere. **CONSIDERANS** autem quo in loco res suæ essent, qui in manus sumeret imperium multorum mortalium, & ita se pararet, ut qui incola futurus esset vrbs amplissimæ omnium, de quibus constaret, & ciuitatem illam sic erga se haberet affectam, ut quæ erga aliquem maximè hostili animo esse posset: hæc igitur cogitans, opus esse sibi corporis custodia existimauit. Cum autem ipsum minimè fugeret, non faciliùs opprimi vllis posse, quàm inter cibum & potum, & dum lauant, cubant, dormiunt, circumspicere cœpit, quosnam istis temporibus circum se fidelissimos habiturus esset. Statuit autem neminem omnium fidelem fore vnquam, qui alterum magis diligeret eo, cui opus custodia esset. Iam quibus liberi essent & cōgruens matrimonium, aut amores, eos intellexit naturæ necessitate ad illos maximè diligendos impelli. Eunuchos autem cernens omnibus his carere, plurimi ab his fieri eos decreuit, qui & possent illos ipsos diuitiis augere plurimum, & opitulari eisdem

dem, si vis & iniuria afferretur, & honores applicare. Atque beneficiis in hos conferendis sese à nemine superari posse censebat. Præterea eunuchi, quòd apud cætos mortales in bona existimatione nõ sint, ideo etiam indigent domino à quo defendantur. Nemo enim futurus sit qui non postulet potiore vbiq̃ esse eunuchos suã conditionem, nisi aliquid præstantius obstet: sed eunuchus domino suo fidelis, quin primas teneat, nihil prohibet. Quòd autem in primis existimare aliquis possit, eunuchis robur adimi, id illi ita se habere non videbatur: atque utebatur argumentis ad probandum ductis ex cæteris animantibus. Nam & equi feroces ac improbi quòd castrantur, desinunt esse mordaces & improbi, sed nihilominus bellatores efficiuntur: Itém que tauri dum castrantur, de animi magnitudine & contumacia aliquid remittunt, cum neque viribus, neque opera faciendi industria destituantur. Similiter & canes cessant, vbi castrantur, deserere dominos suos, sed ad custodiam & venationes nihil redduntur deteriores. Eodem modo & homines carentes cupiditate ista, fiunt illi quidem sedatiores, non tamen negligentiores etiam in exequendis rebus mandatis, neque minus ad equitandum iaculandumque idonei, neque minus ambitiosi quoque: atque perspicue declaratur tam in bellis quàm venationibus, quòd contentio- nis studium quoddam in animis suis reseruarint. Fidelitas autem horum interitu dominorum maximè est explorata. nulli enim alij fideliora designarunt facinora in dominorũ suorum calamitatibus, quàm eunuchi. Quòd si corporis sanè viribus defici existimantur, ferrum scilicet est, quòd exæquare imbecillos possit in bello robustis. Hac sententia Cyrus, à ianitoribus orsus, cunctos, quibus committebatur cura corporis ipsius, castravit. Verùm istam custodiam non sufficere ratus aduersus tãtam multitudinem inimicorum, circumspicere cœpit, quosnam ex aliis nascisci posset Regiæ fidelissimos custodes. Quòd sciret igitur Persas relictos domi pessimè vitare pro-

pter paupertatem, labores autem maximos perferre propter asperitatem soli, & quòd opera facere ipsi cogentur, eis inprimis statuit gratam acceptamque fore illam apud se vitæ rationem. Legit itaque ex his decies mille hastatos, quæ circumquaque noctes & dies apud Regiam custodia esset, dum intus ipse acquiesceret: prodeunte vero eo foras, hinc & illinc instructi iidem procedebant. Cùm autè statuisset Babylonis etiam totius custodes esse satis multos oportere, siue ibi ipse fortè adesset, seu etiã inde abesset, Babylone quoque præsidia satis firma collocavit, constituta mercede, quæ eis à Babyloniis persolveretur, quos vellet quammaximè infirmos effici, vt & abiectissimi essent, & facilimè contineri possent. Atque hæc circū ipsum, & Babylone tunc collocata custodia, in eodem nunc etiam statu permanet. Dispiciens autem quo pacto & totum imperium conseruari ipsum, & accessione augeri posset, illos quidem mercenarios custodes nō tam virtute superiores subiectis cæteris potestati suæ, quàm inferiores numero esse ducebat. Itaque viros fortes omnes in officio retinēdos esse cēsuit, qui ipsi, Diis adiuantibus, potentiam illam conciliaissent, & diligentiam adhibendam, ne exercitationem virtutis remitterēt. Ne videretur autem hoc mandare iubendo, sed illi intelligentes ipsi quoque ista esse optima, ita in his permanerēt, & studerent virtuti, compares cunctos & cæteros, quos oportunum erat, quorūque in societate tam laborum quàm commodorū arbitrabatur præcipuum esse & plurimi faciendum vsū, cōgregavit: qui cū conuenissent, talem habuit orationem. **M**E I amici atque socij, maxima iam Diis gratia debetur, quòd copiam sunt largiti nobis eorum, quæ mereri nos statuebamus. & tenemus enim modò solum amplum atque fertile, & sunt qui illud colentes nos nutriant. habemus domos quoque & has instructas. Neque quisquam vestrum ista arbitretur tenendo sese possidere aliena. nam lex inter homines æterna est, Si in bello vrbs capta sit, penes eos, qui ceperint, esse
 ciuita

ciuitatis illius & corpora & res. Quapropter non retinebitis quicquid habueritis, per iniuriam: sed si quid passi fueritis possidere illos, id per humanitatem non eripietis. Quod verò deinde restat, de eo sententia mea talis est: Si conuertamur ad leuitatem & inertiam, & mollitiem vitæ suauis, quam improbi homines sectantur, qui laborem miserrimam rem, expertem autem laboris vitam esse statuunt mollem ac suauem: ita igitur fore celeriter, aio, vt ipsi de nobis haud bene mereamur, vtque citò partis bonis spoliemur vniuersis. Nequaquam enim viros aliquos fortes ac bonos extitisse ad id sufficit, vt boni quoque & fortes permaneant, nisi diligentiam atque curam rei illius habere perseuerent: sed quemadmodum per negligentiam diminuitur æstimatio cæterarum quoque artium, itémque bene affecta corpora in remissione desidiæ, malè se rursus habere incipiunt, ita & de temperantia, & continentia, & fortitudine fit, vt si quis exercitationem horum remittat, exinde ad improbitatem rursus cõuertatur. Quocirca nobis cunctandum nõ est, neque ad præsentem suauitatem contendendum. Magna enim res est, vt opinor, imperium esse partum: sed multò maior, acceptum conseruare. nam adipisci sæpe audaciam tantùm adhibenti contigit, sed acceptum retinere, id iam nõ absque tẽperantia, neque absque continentia, neque absque multiplice diligentia euenit. Quæ intelligentes multò studiosius exercere iam virtutem oportet, quàm ante ista bona acquisita, non ignorantes, quòd vbi plurima ab aliquo possidentur, ibi plurimi sunt & inuidi, & insidiatores, & existunt hostes, si quis præsertim ab iniuris tam facultates quàm famulatum obtineat, sicut nos obtinemus. Deos profectò nobis adiutores fore, credere conuenit. non enim iniusti sumus, insidiati istis, sed insidias in illis vindicauimus. Quod reliquum verò est, comparare nobis nosmetipsos conuenit id, quod fuerit, optimum. Hoc autem est, Imperio in alios sic nos dignos ducere, vt imperio subiectis virtute præstemus. Sanè calor, frigus,

cibi, potus, laborū, somni, necesse est seruis quoque partem concedi, quam concedentes conandum tamen est, ut in his primū ipsi nos præstantiores esse videamur: sed bellicæ scientiæ atque disciplinæ nulla omnino concedenda pars est iis, quos paratos habere volumus operarios & tributarios: nos verò ipsos his exercitationibus excellere priorésque esse decet, quibus constet, ista quasi instrumenta Deos humanæ libertati & felicitati destinasse. Atque ut arma illis ademinus, sic nos ipsos ab armis destitui oportet nunquam, planè scientes, quòd qui ab armis proximè absunt, iis maximè parent atque seruiunt quæcunque ipsi voluerint. Si cui verò hoc in mentem venit, Quid igitur prodest confecisse nos ea quæ concupiuimus, si adhuc fortiter perpetienda est & fames, & sitis, & perseverandum in laborum exercitatione? eum cognoscere decet, quòd eò maiorem delectationem bona habeant, quò post maiorem aliquis laborem ad ea accesserit. Labores enim bonis & fortibus viris pro obsonio sunt. Quando autem nihil desiderantibus aliquid obtingit, nihil etiam tam opiparè apparari possit, ut suaue sit. Quòd si ea, quæ homines imprimis expetunt, ope diuina consecuti sumus, & hæc ipsa ut iucundissima videantur, sibi ipse quispiam efficiet: hic ille nimirum eo erit potiore in parte victu indigentibus, quòd esuriens suauissimis cibis vescetur, & sitiens suauissimo fruetur potu, & ubi opus fuerit quiete, suauissimè acquiescet. Quas ob causas nunc aio ad virtutis laudem nobis contendendum esse, ut bonis quàm optimè & suauissimè fruamur, neu experiamur, quòd deterrimū grauiissimūque omnium est: nam bona non esse adeptum, haud tam graue est, quàm molestum partis priuari. Cogitate verò hoc quoque, quid prætere velimus, committendo ut deteriores fiamus, quàm antea fuimus. Nunquid principatū? At enim eum, qui præest aliis, haud conuenit improbiorem esse subiectis ditioni suæ. Sed sumus nunc scilicet, quàm pridè beatiores. Proinde estne quisquam, qui prauitati per felicitatem

tem indulgendum esse cēset? Verum istos quos habemus seruos, si improbi sint, pœna merita afficiemus. Quo autem pacto ab improbo pœna affici alios conuenit ob improbitatem aut dissolutionem? Cogitate etiam hoc, Ita nos parasse ut nutriendi sint nobis multi, tam ædium nostrarum quàm corporum custodes. Iam quomodo non turpe sit, si alios satellites nostræ salutis esse debere existimaturi sumus, & nobis ipsi nos satellites esse nolimus? Atqui planè sciendum est, Nullam esse aliam custodiam talem, qualis in eo est, ut aliquis ipse vir bonus & honestus sit. hoc enim vnà comitari oportet. In eo autem qui à virtute destituitur, ne aliarum quidem rerum quicquam in laude poni conuenit. Quid igitur aio fieri oportere, & qua in parte exerceri virtutem, & meditanda ea occupari? Nihil vobis noui commemoraturus sum: sed quemadmodum in Perside ad curias versantur & degunt compares, ita aio hîc quoque cōpares vos omnes, iis studiis, quibus illic, teneri oportere. Itémque intuentes me animaduertere præsentēs, si vitam degam per diligentiam in officio præstando. Similiter ego quoque vos spectabo animaduertendo: & quos video honestis & rectis studiis esse deditos, eis honorem sum habiturus. Liberos etiam, quos in his locis fortè susceperimus, liberaliter institutos curemus. & ipsi enim meliores futuri sumus, si velimus liberis nostris exempla præclarissima à nobis ipsis proponi: & liberi, ne si velint quidem, improbi fiant, qui neque videant, neque audiant turpe quicquam, & in studiis honestis atque rectis totos dies consumant.



XENOPHONTIS DE
CYRI DISCIPLINA
LIBER OCTAVVS.



V M orationem istam Cyrus habuisset, fur-
 rexit deinde Chrysanta, & sic locutus est:
 Ego verò iam, Commilitones, aliis quoque
 in rebus intellexi, Nihil inter principē bo-
 num & patrem bonum interesse. Nam pa-
 tres providere liberis solent, & operam dare, ne commo-
 dis hi vllis deficiantur: & Cyrus mihi ea modò subiecisse
 consulendo videtur, vnde nobis perpetua felicitas possit
 contingere. Quod autem illum minus, quàm oporteret,
 explicando declarasse puto, id ignorantes edocere cona-
 bor. Cogitate enim cum animis vestris, quænam hostium
 vrbs ab imperium recusantibus capi possit? aut quæ ci-
 uium ab imperium recusantibus conseruari? quive exer-
 citus contumacium militum victoria potiri? Quæ item
 caussa alia sit, vt aliqui in proeliis inferiores sint, nisi si in-
 cipient singuli separatim capere consilia salutis propriæ?
 Denique, quid bene præclaræque vlla in re effecturi sint
 recusantes imperium mēlioris atque potioris? Aut quæ
 legitima in ciuitate talium vita, aut quæ in domo vlla in-
 columitas futura, aut quæ naues, quò tendunt, peruentu-
 ræ sint? Nos etiam ea, quibus nunc fruimur commodis,
 quam alia magis actione, quàm parendo magistratui,
 sumus consecuti? Ita enim factum est, vt vbi vsus postula-
 ret, ibi statim die noctuque præstò essemus, vtque confer-
 to agmine magistratum sequentium vis sustineri à nul-
 lis posset, & iussorū nihil à nobis imperfectum relinque-
 retur

retur. Quòd si apparet ad consequendas commoditates optimum esse parere imperio, scire debetis itidem, idem esse optimum ad conseruandum ea, quæ par est. Atque ante hoc tēpus subiecti imperio multorum fuimus, cū nulli essent nostro: iam verò sic parati estis præsentēs vos vniuersi, vt sub imperio vestro habeatis alij plures, alij pauciores. Quemadmodum igitur æquum esse arbitrabitur in vestræ ditionis homines imperium habere, ita obœdiamus illis nos, quibus cōuenit. Hoc autem discriminis inter nos atque seruos esse decet: Quòd serui dominis inuiti morem gerunt: nos verò, si quidem libertatis dignitatem volumus tueri, sponte debemus elaborare in iis, quæ plurimi fieri vidētur. Atque reperietis, inquit, ciuitatem quoque, quæ vnius potestati subiecta non est, si magistratibus obtēperare maximè velit, minimè cogi vt pareat hostibus. Quapropter in hac curia præsentēs nos Cyro, sicut ille iubet, sistamus, & in iis exerceamur, quibus maximè possimus ea, quæ æquum est, conseruare, & præstò simus Cyro ad omnia quibus vsus indigebit. Atque planè hoc scire debemus, nō reperiturum Cyrum sibi boni vllius vsū, contrarium nobis. quandoquidem nobis conducūt eadem, & sunt iidem hostes. Hæc Chrysantha locuto, ita deinde surrexere alij multi tam Persarum quàm sociorum, comprobantes ista oratione sua: decretumque fuit, Vt honorati sc̄mper ad fores præstò essent, & exhiberent se ad quæcumque vti ipsis Cyrus vellet, donec ab illo dimitterentur. Et secundum hoc decretum hodie etiam sese gerunt, quicumque sunt sub ditione regis in Asia, & eorum qui in imperio sunt, fores colunt: Et quemadmodum narratione nostra declaratum est, Cyrum ordinasse constituendò imperium suum, vt illud sibi atque Persis conseruaret: ita nunc etiam reges, qui ipsi succedere, facere, tenendis institutis, perseuerant. Habēt autem hæc eo sese modo quo cætera: vt præsidibus melioribus, legitimæ obseruationis actiones sint puriores: futiliores autem, illis deterioribus. Frequentabant itaque

fores Cyri yiri honorati cum equis & hastis concorde sententia procerum omnium in imperio illo euertendo coniunctorum. A C C Y R V S quidem aliis muneribus alios præficiebat curatores: erantque ipsi qui vectigalia regni perciperent, & qui impensas sumtuum præberent, itemque operum præsidēs, & custodes facultatum, & procuratores rerū ad cotidianum victum necessariatū. Constituebat & equorum & canum curatores, quos perfecturos arbitrabatur, ut esset animalium istorum vltus quàm optimus. Quos verò ipse socios habere in parta felicitate tuenda oportere sese censebat, eos curandi ut essent quàm optimi, haud aliis iam onus imponebat, sed suum esse statuēbat opus istud. Sciebat enim si quando prælio vltus indigeret, ex his fumendos esse qui in acie coniungerentur assistēdo & subsequēdo, cum quibus maximā aduentur pericula. Intelligebat & ordinum ductores tam pedestrium quàm equestrium copiarum ex iisdem cōstituentos. Iam si ductoribus copiarum aliis quàm sese opus esset, haud ignorabat ex illis ipsis hos ablegandos esse. Præterea ciuitatum gentiumque totarum custodibus ac satrapis vtendum his esse intelligebat, necnon legatos eorum aliquos mittendos: id quod ducebat in iis, quæ vim maximam habent, ad rerum sine bello consequendarum oportunitatem. Si igitur aliter essent, quàm oporteret, maximarum plurimarumque actionum administratores, res suas malè sese habituras ducebat: sin essent isti, quales esse oporteret, cuncta existimabat præclare processura. Atque hoc ille quidem animo in istam curam se demisit: sed esse eandem quoque hanc virtutis suæ exercitationē statuit. non putabat enim fieri posse, ut qui nō esset, qualem esse ipsum oporteret, is alios ad præclara & honesta opera incitaret. His itaque consideratis, ante omnia oculū requiri iudicabat ad facultatem, curam, diligentiamque de præcipuis & summis suscipiendi. Ac nullo quidem modo fieri posse statuēbat, ut respectū omitteret ad fructus regni, quòd prospiceret animo, multos in magno
 impe

imperio sumtus etiam impendi necesse esse: si verò facultates essent ingentes, sciebat intentum in eas semper unum aliquem non habiturum ocium ad curam salutis incolumitatisque rerum vniuersarum. Cogitans itaque de bono statu rei familiaris & copia ocij illius, perspicere cepit rationem ordinum in exercitu. Ferè enim fit, vt decuriones decuriæ curam sustineant, & proximorum ordinum ductores, decurionum: & illorum tribuni, & tribunorum præfecti decem milibus: atque hoc modo respectus nemo expers relinquitur, in plurimis etiam milibus hominum: & imperatori vbi exercitu vti ille voluerit, satis est decem milibus præfecto mandata dedisse. Secundum hæc igitur summam quandam curæ rei familiaris complexus fuit Cyrus, vt paucis cõpellatis, nihil ab ipso in rebus domesticis negligeret: atque ita deinde magis abundauit ocio Cyrus, quàm alter quispiam in vna domo curans, aut in naui vna: & ista ratione propriis rebus constitutis, eadem familiares suos constitutione vti docuit: ac ocium ille quidem sibi & suis hoc modo parauit. Et ita deinde orsus est præesse studio, quo euaderent tales, quales oporteret, participes rerum cõmunium. Primum itaque quibuscunque victus suppeteret, cæteris operis facientibus aliquid, eos, si ad fores non adessent, requirere: quòd statueret, præsentibus nihil sua sponte mali dedecorisve commissuros esse, cum quia apud magistratum versarentur, tum quòd intelligerent omnes actiones suas ab optimis & præstantissimis viris conspici: qui verò præsentibus non essent, eos abesse ducebat, vel intemperantia, vel iniusticia, vel incuria detinente. Hac igitur primùm opinione istius generis omnes præsentibus esse cogere. infrequentis enim bona occupare aliquem statim ex præcipuis apud se amicis iubebat, & dicere quòd proprias & suas res occuparet: quo facto, accedere mox priuati bonis suis, quasi iniuriam perpeffi. At Cyrus longo tempore non habere ocium, vt eos audiret, & postquam audiuerat, in longum tempus diiudicationem differre. Hæc agendo as-

suefacere se illos ducebat ad obseruandum ac colendum, sed minus odiosè, quàm si ipse animaduertendo cogeret eos adesse. iste vnus doctrinæ, vt præsentibus essent, modus erat. Alius item, quòd præsentibus facilima atque emolumentum plenissima mādabantur. Alius, quòd nihil vnquam absentibus tribuebatur. Sed maximæ necessitatis modus erat, si quis dicto prorsus audiens in istis non esset, auferre ab hoc quæ teneret, & tradere alteri, quem arbitraretur debitum præsentia officium præstare posse. Atque ita acquirebatur ipsi amicus utilis pro inuiti. Et hodie etiam rex requirit absentes, si quos adesse conueniat. Erga absentes sanè ad hūc modum sese Cyrus gerebat. Exhibentes autem se sibi ita maximè statuebat ad honesta præclaræque facinora incitari, si ipse illorum princeps declarare conaretur subiectis imperio suo, quòd virtute omnium maximè esset ornatus. Percipere enim sensibus ille quidem videbatur, fieri meliores homines scriptis quoque legibus, sed principem bonum statuebat legem esse oculis præditam, quòd is valeret & ordinando iubere, & animaduertendo castigare contumaces atque turbulentos. Quod cū persuasum haberet, ita primū ostēdit, Rem diuinam se elaborare, eo tempore quo felicitate præstaret. Et est tunc primū constitutum, vt Magi cum prima luce cantu Deos celebrarent, vtque hostiæ indies mactarentur Diis, quibus Magi præcepissent. Atque ita tunc constituta, nunc etiam obseruantur ab eo, qui quoque tempore regnum possidet. Imitabantur autem hac eum in parte primū cæteri quoque Persæ, statuētes se quoque ipsos feliciores fore, si colerent Deos, sicut is, qui & felicissimus esset, & princeps ipsorum: deinde credebant se factis istis futuros esse Cyro gratiores. Cyrus vero pietatem suorum sibi quoque prodesse statuebat, eam rationem ineundo, quam ij sequuntur, qui socios navigationis pios expetunt potius, quàm de impio, aliquo facinore suspectos. Præterea sic quoque ratiocinabatur: Si participes rerum communium pietatem erga numen diuinum.

uinum omnes colerent, minùs futuros eò animo, vt aliquid designarent, quod nefariè fieret vel inter ipsos, vel erga sese, qui multorum beneficiorum ipsis autor conciliatorque suo iudicio, esset: demonstrando hoc etiã, quòd maximæ curæ haberet, Ne vel amicus atque ciuis, vel in bello socius iniuria ab se afficeretur: sed iusticiam se vehementer ponente ante oculos, fore magis putabat, vt cæteri quoque cùm turpibus lucris abstinerent, tum iuris viam ingrederentur. Pudore etiam atque verecundia ita se complere cûctos studiosiùs arbitrabatur, si perspicuum esset, quòd ipse adeo vereretur omnes, vt neque diceret neque faceret turpe quicquam. Atque rem ita se habituram esse hoc argumento colligebat: Nam homines non modò principem & magistratum, sed quos etiã non metuunt, eos erga se verecundos, magis reuerentur, quàm inuerecundos. Quin etiam mulieres qui conspexere, magis reuereri vicissim volunt eas, quas verecundas esse animaduertent. Iam obœdientiam in suis ita maximè firmam ac stabilem permanere cēsebat, si nihil quicquam prætendentibus quòd minùs dicto audientes essent, planum faceret maiorem se honorem habere, quàm aliis, quorum maximæ & laboriosissimæ virtutis opera viderentur extare. Atque in hoc sentiendo efficiēdoque perseuerabat. Temperantiam quoque & moderationem suam ostendendo, perficiebat vt eandem omnes studiosiùs exercerent. Cernentes enim temperantiam ac moderationē in eo, penes quem est vt vim iniuriãque inferre possit, ita diligentius cauent imbecilliores, ne quid per iniuriam atque vim facere voluisse videantur. Hoc autem pacto solebat distinguere pudorem verecundiãque à temperantia ac moderatione, Quòd pudentes scilicet & verecundi manifestè turpia fugerent, temperantes verò & moderati occultè etiam. Continentiam quoque ita maximè exercitatum iri putabat, si ipse ostenderet, sese nequaquam occasione voluptatum abstrahi ab honestis & bonis rebus, sed velle, vt ante hilaritatem at-

que læticiam laboris priùs aliquid per decus atque laudem susciperetur. Et ideo ipse, qui talis esset, perfecit, vt & in foribus inferiores admodum quietè placidèque cedentes potioribus versarentur, & omnes pudorem inter se modestiàmque colerēt. Neque cognosceres ibi vllum vel in iracundia vociferantem, vel ridendo læticia petulante exultantem: sed conspiciatus eos reuera iudicares vitam ipsos agere honestã atque laudabilem. Atque hæc faciendo & spectando ita illi ad fores debebant. Exercendi autē rem bellicam gratia venatum educebat eos, ad quos hanc pertinere exercitacionem putabat: iudicans omnino rei bellicæ esse exercitacionem istam optimam, equestris quidem certè verissimã. Ex ea enim ij prodeunt potissimùm, qui rectè equis vehuntur in omnis generis locis, propterea quòd fugientes feræ insequendæ sunt: & vt ex equis rerum aliquid geratur, eadē in primis efficit, propter ambitiosam capiendi cupiditatem. Hinc etiam maximè assuefaciebat rerum communium participes ad continentiam, vt labores, frigora, calores, famem, sitim ferre possent. Ac nunc quoque rex & regij eadem facere perseuerant. Quòd sanè haud censeret conuenire imperium vlli, qui non melior atque præstantior esset subiectis potestati suæ, & ex iis omnibus quæ suprã dicta sunt, patet, & quòd ita suos exercendo, multò maximè elaborabat ipse, inque continentia & artibus bellicis & quibuscunque studiis. Et venatum enim educebat cæteros, quoties remanendi nulla imponebatur necessitas, cum ipse tunc etiam domi feras quæ in hortis conseptis alebantur, venaretur: neque vnquam antequam sudasset, cœnare; neque pabulum præbere equis nondum agitatis. Ad eam autem venationem solebat conuocare sceptrigeros quoque suos. Propter assiduum itaque studium & ipse & sui longè præstabãt, in rebus actionibusque præclaris omnibus. Atque exemplum tale sese ipse exhibebat, & insuper, si quos alios cerneret honesta ac laudabilia persequi, eos cum muneribus, tum principatu, tum sede etiã atque

omnis

omnis generis honoribus ornabat. Itaque fingulare ambitionis studium excitabat in cunctis, cupiente vnoquoque cognosci ab Cyro sese optimum ac præstantissimum. Perspexisse autem in Cyro videmur, quòd non statuerit ille tatummodo, oportere principem bonitate atque virtute præstare subiectis potestati suæ, sed hos præstigiis etiam quibusdam circumueniendos esse putauerit: & ideo vestitum Medicum vsurpauit gestando ipse, & vt eo induerentur, rerum communium sociis persuasit. Is enim contegere videbatur, si quid vitij in alicuius corpore esset, & speciem illo ornatorum exhibere maximam atque pulcherrimam. Nam cum calceamenta Medi habeant eiusmodi vt facilimè occultando supponi possit, quò grandior aliquis, quàm est, esse videatur: subter oculos quoque aspersa pigmenta, vt venustiores oculi, quàm essent: & illitum fucum admisit, vt melior color quàm contulisset natura, appareret. Studio etiam curæque habebat, ne vel despuentes vel emungentes sese conspicerentur, neque vilius rei contemplandæ gratia conuerterentur, ne quid admirari putarentur. Atque hæc omnia momenti aliquid afferre ad hoc arbitrabatur, vt minùs cõtemneretur ab subiectis imperio suo. Atque sic ille quidem eos instituere ipse per se, quorum esse principatum oportere credebat, & studium istud esse ipsius, vt eis grauiter & seuerè præesset. Contrà verò qui ad seruitutem ab ipso instituebantur, eos neque ad vsum exercitationemque liberalis vilius laboris incitare, neque vt arma penes se haberent cõcedere: curæque ei erat, ne vnquam liberalium studiorum causa cibi potusve expertes essent. Et quoties enim hi feras exagitando equitibus in campos deiiceret, permittere cibum vt secum portarent, id quod liberorum nemini licebat: & itinera quoties fiebant, ad aquas hos iumentorum instar deducere, & prandij tempore, donec comederent, operiri, ne fame debilitaretur. Quocirca etiam isti, sicut optimates, patrem appellabant Cyrum: quòd ita ab ipso curarentur, vt sine cõtrouersia sem-

per mancipia permanerent. Atque hoc pacto Cyrus firmum & stabile totum imperium Persarum præstitit: sibi autem nihil periculi esse, ne quo detrimento ab oppressis afficeretur, vehementer cōfidebat. Et imbelles enim eos ducebat, & videbat esse dissipatos, & ne accedebat quidem illorum quisquam propiùs ad sese diu noctùve. Quos autem & præstantissimos viros ducebat, & videbat cùm armatos tum coniunctos, exque eis alios sciebat esse equitum ductores, alios peditum, multos item ex ipsis tantis animis præditos intelligebat, vt ad imperium capiendum gerendumque aspirare non dubitarent, & iidem maxime appropinquabāt custodiæ ipsius: plerique etiam horum sæpenumero Cyrum conueniebant: id quod fieri necesse erat, si quidem opera ipsorum vti vellet: ab his igitur ne quid mali ei inferretur, multis modis periculum impendebat. Considerans igitur quo pacto & ab his imminens periculum auerteret, arma quidem adimere ipsis & reddere eos imbelles planè improbavit, quòd neque iniuria hoc carere, & ad imperium conuellendum pertinere arbitraretur: non admittere autem illos & diffidentiam erga ipsos suam fieri manifestā, belli id causam daturum esse iudicabat: vnum autem istorum omnium loco & plurimum, vt ipse in tuto esset, profuturum, & specie honestissimum visum iri intellexit, si perficere posset vt præceres & optimates sibi haberet amiciores, quàm ipsi inter sese essent. Quam igitur viam ad amorem conciliandum ingressus mihi videatur, enarrare deinceps conabor. Primum itaque omni tempore humanitatē, complectendo omnes benevolentia sua, declarare studebat: ratus, vt haud facile esset amare eos, quibus odio aliquis sese esse crederet, neque benevolentiam conseruare erga maleuolos, sic cognito amore perspectaque benevolentia aliquorum, fieri non posse, vt odisse eos vellent, qui ab ipsis amari sese ducerēt. Donec igitur minus poterat largitionibus esse beneficus, cùm prospiciendo familiaribus suis laborēque pro ipsis suscipiendo, tum declarādo sese

ob bona eorum læticia, & ob mala tristitia affici, ita venari amorem erga se illorum conabatur. Postquam verò accessit facultas, vt largiendo quoque esse beneficus posset, hoc animaduertisse mihi primùm videtur: Nullum hominibus inter ipsos beneficium gratius iucundiùsque esse, quàm cibi ac potus communicationem. Quod cum ita se habere statuisset, primùm de sua mēsa istud dedit mandatum, vt, quibus ipse cibus vesceretur, iis similes alij apponerentur satis futuri hominibus quàm plurimis. Apposita autem cuncta, exceptis iis, quibus ipse atque coniuuæ vterentur, distribuebat vniuersa in eos ex amicis, quibus memoriam suam aut beneuolentiæ affectionem demonstrari cupiebat. Mittebat & huic aut illi, quem magni faceret, in custodia collocato, aut ministeria exequenti, aut quacunque alia actione occupato: istud simul significans, quòd non obscura esset, neque fugeret se voluntas gratificandi sibi ipsorum. Honore de mēsa sua seruos quoque laudatos afficiebat. Quin etiam victum seruorū omnia proponebat in sua mensa, existimans id ipsum beneuolentiam, sicut pueris, aliquam inserere. Iam si quem ex amicis vellet colli à multitudine, etiam iis de sua mensa aliquid mittebat. Atque nunc quoque, quibus cernunt mitti aliquid de mensa regis, eos omnes studiosiùs colunt, quòd statuunt illos & viros esse honoratos, & eos, qui facile expedire conficeréque possint, si quo opus sit. Præterea non afferunt læticiam missa de regis mensa, ob hæc tātum, quæ dicta sunt, sed eadem multò plus ad voluptatem momenti reuera habent. Id quod sanè ita esse non est mirandum. Quemadmodum enim cæterorum quoque in magnis vrbibus artificiorum excellentia opera efficiuntur, eodem modo regij quoque cibi excellèter elaborari solèt. In paruis quidem oppidis fabricantur iidem spondam, ianuam, aratrum, mensam: sæpe etiam numero hic idem etiam domū ædificat: & bene secum agi putat, si ista quoque ratione contingant locatores operum, vnde quod satis sit ad victum, parare liceat. Fieri itaque nequit,

vñ. multis artificijs occupatus aliquis, laudabiliter efficiat
 vniuersa. At in magnis vrbibus, quòd multi sint qui sin-
 gulorum operas requirant, satis quoque est vnum singu-
 lis artificium, vnde victus supperat: sæpe etiam ne vnum
 quidem totum, sed calceamenta hic virilia, ille muliebria
 conficit: inter dum verò calceamenta suèdo vnus, alutam
 scindendo alter; victum inuenit: itémque vnus tunicas
 modò concidendo; alter nihil horum faciendo, sed tan-
 tummodo illa componendo. Necesse igitur est, quò in mi-
 nimè longo opere moratur, eum cogi vt quàm præclaris-
 simè, illud perficiat. Atque eadem accidunt in iis quæ ad
 victum cotidianum pertinent. Cui enim vnus & idem
 sternit lectulum, instruit mensam, farinam subigit, obso-
 nium aliàs aliud parat, ei necesse est, quemadmodum opi-
 not, ita, vt res fert, singula euadere. Vbi verò satis habet
 operis vnus coquendis carnibus elixis, alter assis, alter
 pisce elixò coquendo, asso alter, alius itém panibus facien-
 dis, ac ne eis quidem omnis generis, sed satis est vnum
 aliquod probatum exhiberi, necesse est ista, si ita fiant, ad-
 modum excellènter elaborare vnumquemque. Quod
 quidem ad curam cibi pertineret, hæc efficiendo longè
 superauit vniuersos. Fuisse autem etiam cæteris curandis
 omnibus multò superiorem, deinceps narrabo. longè
 enim præstans cæteris, quòd fructus regni plurimos per-
 ciperet, multò etiam plus præstitit cunctis mortalibus mu-
 nerum còpia. Atque hoc ita auctore Cyro institutum fuit,
 & permanet his quoque temporibus apud potientes re-
 gno illo, munifica donis dandis liberalitas. Quem enim
 habere ditiores, amicos perspicuum est, quàm regem
 Persarum? Aut quis est, qui vestitur suros, quàm rex, ornate
 videtur speciosius? Cuiusnam verò munera tam sunt no-
 bilia ac clara, quàm quædam ex regijs, vt armilla, tor-
 ques, equi cum phaleris aureis? non enim fas illic est ha-
 bere talia quenquã, cui rex non tribuerit. Quis prætere-
 a perhibetur magnitudinè munerum perfecisse, vt præ-
 poneretur fratribus, patribus, libèris? Quis aliorum etiam
 de

de hostibus itinere multorum mensium distantibus supplicium sumere potuit, sicut rex Persarum? Quis verò alius mortem ita obiit, ut ab iis, quorum imperium euertisset, iam potestati subiectis pater appellaretur? id quod Cyrus est consecutus. Istud quidem certè nomen magis esse beneficia conferentis, quàm rapientis aliena, constat. Comperimus hoc quoque, eos qui regis oculi & aures vocantur, non aliter Cyrum parauisse, quàm muneribus honoribusque tribuēdis. Quòd enim magna beneficia conferret in eos, qui nunciando deferrent, quæcumque in tempore cognosci ipsius interesset, eo factum est, ut multi auribus captarent, & notarent oculis, si quid fortè nunciadò prodesse regi possent. Et ita existimatum fuit multos esse regis oculos, & aures multas. Si quis autem putat, vnum legi solere, qui oculus regis sit, ille perperam hoc putat. Pauca enim vnus aliquis cernere & audire posset. Cæteris quoque quasi imperata esset negligentia, si iste vnus quispiam mandata haberet. Præterea sciretur cauendum esse ab eo, quem oculum regis esse nouissent. Sed res aliter se habet: atque rex cunctos audit, qui affirmant audisse sese aut vidisse aliquid eura attentioneque dignum: & ita multi regis oculi & aures multæ esse statuuntur, deterrenturque timore vbique omnes, ne quid dicant, quod non conducatur regi, tãquam ipse exaudiatur, neu quod ei non conducatur, faciant tanquam præsens sit. Quocirca ne mentionem quidem aliquis ad alterum incommodam de Cyro facere auderet, sed sic erant affecti singuli, ac si omnes, cum quibus præsentibus quoque tempore versabantur, essent oculi & aures regis.

ATQVE hoc modo fuisse erga Cyrum homines affectos, quam causam aliquis attulerit, haud equidè scio, nisi quòd ille magna beneficia paruis meritis retribuere vellet. Sanè eximiam fuisse magnitudinem munerum ipsius, qui esset opulentissimus, minus mirandum: id verò memorabilius est, quòd rex ipse cultu diligentiaque amicos vicerit. Ille itaque perhibetur apertè tulisse pudorem

maximum quo afficeretur, si cultu & obseruantia ipse esset inferior amicis. Ac dictum quoddam eius memoratur afferens: Boni pastoris & regis boni opera esse confamilia. Et pastorem enim felicitatem conciliando pecoribus, ita illis uti, quæ esset beata ouium vita: & regem pariter ciuitates hominésque efficientem beatos, sic deinde eis uti debere. Non mirum igitur est, si quidem isto animo fuit Cyrus, magna eum cōtentione, cultu obseruantiaque ab se omnes mortales studuisse superari. Fertur etiam documentum hoc dedisse præclarum ad Cræsum, cum ab ipso admoneretur, ut caueret, ne tam multa largiendo pauper euaderet, cui liceret, ut vni homini copiosissimos thesauros domi suæ reponere. Ibi Cyrum interrogasse aiunt: Quantam ille summam pecuniæ arbitraretur partam esse: si collectum aurum fuisset omni eo tempore, quo ipse imperio potiretur: Cræsum autem ingentem numerum quendam commemorasse. Tum dixisse Cyrū: Age, ô Cræse, ablegato quempiam cum Hytaspâ hoc, cui tu maximè fidem habes. Tu verò, Hytaspâ, inquit, ad amicos nostros circumeundo profectus, narrato pecunia mihi opus esse, (& est enim reuera opus) iubetóque singulos quantam pecuniæ summam conferre mihi possint, eam perscribere, & litteras illas obsignatas tradere ministro Cræsi, ut perferat. Atque hæc ipsa, quæ dixerat, simul perscripta atque obsignata, tradidit Hytaspæ perferenda ad amicos. Ascriptū autem erat ad singulos, ut Hytaspes tâquam vnus ex amicis suis acciperetur. Postquã obeundo negotium Hytaspes confecerat, & litteras Cræsi minister reddiderat. O Cyre, inquit Hytaspas, par est, ut tibi ego quoque deinceps tanquam diues vsui sim. nam aduenio cum mulieribus permultis tuarum litterarum beneficio. Ergo vnus, inquit Cyrus, ô Cræse, iam iste quoque nobis thesaurus extitit. Tu verò contemplare alios, & ratiocinâre quãta copia pecuniæ paratâ nobis sit, si quãdo vsus indigeat. Ratione igitur subducta, perhibetur Cræsus inuenisse multiplicem summam eius, quam commemo-

morauerat ipse in thesauros colligente Cyro futuram fuisse. Quod cùm perspicuum iam esset, Cyrum dixisse ferunt: Vidén', inquit, Cræse, etiam me thesauros habere? Tu verò iubes colligendo hos apud me, & inuidiam odiúmque ipsorum caussa suscipere, & præficiendo custodes mercenarios, fidem his habere. At ego diuitiis augendo amicos, eos statuo & thesauros esse, & custodes tam mei ipsius, quàm bonorum nostrorum, multò fideiiores, quàm præfecti à me essent custodes mercenarij. Dicam verò tibi aliud quoque. Ego, ô Cræse, quo in animos hominũ insito, Dij pauperes fecere pariter omnes, eo ne ego quidem superior esse possim, ac sicut cæteri, pecuniis expleri nequeo. Sed hoc discrimen inter me & alios plurimos esse existimo, quòd illi quæsitã copia superante sufficientem, ita deinde quædã defodiunt, quædam situ & pedore corrumpunt: alia numerãdo, metiendo, ponderando, ventilando, seruando, negotiosi sunt: & cùm intus tamen illa condita habeant, neque plus comedunt quàm possunt ferre, sic enim dirumperentur: neque plures induunt vestes quàm gestare valent, ita enim suffocarentur. itaque nimix illæ res, nihil his aliud sunt, quàm molestia atque negotium. Ego verò & seruius Diis, & plura semper expetò, sed ex partis quæcumque sufficientem vsum superare animaduerto, iis meoq; amicorum meorum egestati, & diuitias ac beneficia conferendo hominibus, beneuolentiam ex illis & amorem mihi comparo, & inde fructus percipio tam securitatis quàm celebritatis atque laudis, quæ neque situ pedoreque corrumpuntur, neque lædunt vel maximo pondere copix suæ. Sanè celebritas laudis quò auctior fuerit, eò & maior & præclarior, & portatu leuior existit: sæpe etiam eos, qui gestant, expeditiores reddit. Vt autem hoc quoque scias, inquit, Cræse: Ego non possidentes plurima, & seruantes plurima, beatissimos duco, (ita enim essent beatissimi incensum custodes, à quibus omnia seruantur, quæ in urbibus sunt) sed qui parare plurima iustè, & plurimis uti

honestè potuerit, eum beatissimum esse statuo, & istas pecunias fortunatissimas. Atque hæc agi ab ipso, sicut dicebantur, perspicuè declarabatur. Præterea intelligere ipse quidem, plerosque mortales, dum sanitas durat, curare ut necessariæ res præparatæ suppetant, & recondere eos utilia ad victum bene valentium: si quando autem ægrotent, quo pacto ne tunc quidem aliqua commoditas desit, in eo non multum diligentia ponere videbat. Itaque ipse in his quoque elaborandum sibi esse existimavit: atque curæ ei fuit, ut medici apud se essent quàm præstâtissimi, quòd vellet nihil non impendere. Tum quæcunque aliquis illorum instrumenta ad medicinae opera & usum, itémque medicamēta cibosque & potus requiri diceret, eorum nihil non comparatum apud sese Cyrus recondibat. Ac si quando ægrotaret quispiam ex iis, quos curari res postularer, cùm inspiciebat ipse, tum præbebat, quibus opus erat, omnia. Quin etiam medicis gratiam habebat, si quando alicui sanitatem restituissent, accipiendo quædam ex reconditis apud ipsum. Atque hac & similibus artibus efficere Cyrus, ut primas teneret ipse apud eos, à quibus amari volebat. Indictis autem certaminibus ludorum, tunc & præmia proponebantur à Cyro, quòd excitari studia contentionum vellet de honestis & bonis rebus. Hæc laudem conciliabant Cyro, cui curæ esset virtutis exercitatio. Optimatibus verò lites mutuae & contentionis cupiditates iniiciebantur ab istiusmodi ludorum certaminibus. Ad hæc Cyrus veluti lege constituerat, Quæcunque diiudicationem desiderarent, siue causæ actio ea esset, siue de certamine disceptatio, ut diiudicationem desiderantes ad iudices concurrerent. Non igitur esse obscurum potest, quin litigatores in hoc essent intenti, ut iudices haberent utriusque præstantissimos sibi, que maximè amicos. Ac qui non vincebat, is & invidere victoribus, & odisse eos, qui non secūdem ipsum pronuntiarant: superior autem in iudicio, iure sese vincere præ se ferebat, ut nemini gratiā debere se arbitraretur. Iam qui primas

primas inter amicos Cyri tenere cupiebant, ij, quemadmodum in ciuitatibus cæteri, ita mutua in inuidia erant: & ideo complures de medio vnus alterum sublarum volebant potius, quàm in negotio conficiendo aliquid mutux operæ traderent. Atque de his planum fit, quibus artibus Cyrus effecerit, vt ab optimatibus magis amaretur ipse, quàm illorum quisquam alterum amaret. **N V N C** verò iam narrabimus, quomodo ex Regia primùm prodierit. Huius enim processus grauitas atque dignitas, vna nobis esse ex iis artibus videtur, quarum industria effecit, ne facilè contemni imperium illud posset. Primùm igitur antequam prodiretur in publicum, accersitis tam Persis quàm cæteris, qui cum imperio essent, inter eos vestes Medicas distribuit. Et Persæ rúc Medicam vestem primò induerūt. Cùm traderet autem, simul hæc dicebat: Quòd vellet prodire & venire in lucos exemptos Diis, & vnà eū eis sacrificare. Adeste ergo die crastino, inquit, ad fores, vestibus istis ornati, antequam sol oriatur, & sic consistite, vt Pheraulas Persa iusserit mandato meo. Vbi autem ego ductor præcessero, vos loco quisque sibi assignato sequimini. Quòd si cui fortè vestrum alia ratione geri res præclariùs posse videatur, quàm hac qua modò procedendo vtemur, is eam, postquam nos receperimus, edoceat me. sic enim singula constitui debent, vt vobis præclarissimum optimùmque visum fuerit. Cùm autem inter præstantissimos distribuisset pulcerrimas vestes, protulit tunc alias quoque vestes Medicas. multas enim faciēdas curauerat nulli generi parcens, siue hoc purpureæ esset vestis, seu colore obscurioris, seu puniceæ, seu carycinæ. Atque in singulos his ductores dispertitis, iussit eos exornare illis amicos suos, quemadmodum, inquit, ego vos exorno. Ibi ex iis qui aderant, vnus interrogat Cyrum: Et tu verò, inquit, Cyre, quando exornaberis? Cui respondit Cyrus: Annon exornari iam adeo me censetis, dum vos exorno? Denique si in vos, inquit, amicos meos beneficia conferre potuero, quamcumque fortè habeam vestē, ea

vrentis pulcra species videbitur. Atque ita tunc digressi illi accersitos amicos suos vestibus istis exornabant. Cyrus autē cui persuasum esset Pheraulam illum plebeium, & rerum esse peritum, & honestatis ac decori & ordinis studiosum atque obseruantem, neque in gratificando sibi negligentem, (qui aliquando de habēdis honoribus vnicuique pro merito ipsius Chryfantæ sententiam approbauerat oratione sua) eum igitur accersit, cūque ipso consultat, Quonā pacto ita prodiretur, vt cōspectūs Cyri beneuolis videretur pulcerrimus, maleuolis maximè terribilis esset: cūque considerantibus ipsis rem, eadē probarentur, iussit Cyrus curā suscipere Pheraulam & adhibere diligentiam, vt ea ratione prodiretur postero die, quæ visa esset specie præclara. Dixi autem ego, inquit, vt tibi obtemperēt de ordine, quo prodeatur, vniuersi. Quò autem libentiùs præbeāt aures tuis præceptis, sumito, inquit, tunicas istas, & affer ductoribus satellitū: atque istas alteras equestres dato accersitis ductoribus equitū, itēque alteras has tunicas ductoribus curruum. Eas igitur ille acceptas perferebat. At ductores qui ipsum fortè conspexissent, Magnus es tu, inquit, Pheraula, quippe ordinaturus, quæ nos quoque agere oportebit. Minimè equidem profectò, inquit Pheraulas: tantūque vt ita sit abest, vt vnà ego vobiscū apparatus onera sim subiturus. Atque iam affero duo ista amicula, hoc tibi, illud alteri cuiquam: tu verò sumito vtrum voles. Ibi tum, qui accipere debebat, oblitus inuidiæ, cōsulere eum, vtrum sumentum censeret: & ipse deliberare cum illo de præstatiore, & dicere: Si tu indicaueris me tibi potestatem fecisse eligendi, tum deinde, cū iterum aliquid administrabo, aliter me ministro vsurus es. Pheraulas sanè distributo amictu ita, quemadmodum iussus fuerat, statim diligentem curam processus suscepit, vt hic esset quàm maximè speciosus. Cū autem postera lux aduenisset, omnia iam munda erāt ante diei exortum. Series autem stabat semitæ vtrinque vallatæ, quemadmodum nunc quoque statur,

tuitur, qua rex processurus est: intra quam nemini licet ingredi ex non honoratis. Astabant autem cum loris qui cædebant obturbantes. Ac primo loco constiterant satelites ad quater mille ante portas quaterni, bis mille verò ad portas vtrinque: aderant & equites vniuersi, cùm de equis descendissent, translatis manibus per amictus (Candyas vocant Persæ) quemadmodum hodie etiam transferunt, quoties rex aspicit. Stabant Persæ à dextra parte viæ, cæteri focij à sinistra: & pariter curruum vtrinque dimidium. Cùmque iam in Regia aperirentur valuæ, primum educebantur Ioui pulcerrimi tauri quaterni, itémque aliis Diis, quibus Magi docuerant. longè enim Persæ censent studiosiùs ad rem diuinam artifices esse adhibendos, quàm ad cæteras res. Post boues equi ducebantur, qui Soli mactarentur. Post hos producebatur currus candidus iugo aureo, coronatus, Ioui facer: pòstque hùc Solis currus candidus, coronatus idem, sicut alter prior. Post hunc alius tertius currus producebatur puniceis vestibus contactis equis, & hunc à tergo sequebantur quidam ignem gestantes in foco ingente. Atque deinde postea ipse iam extra portas Cyrus conspici, sedens in curru, cum tiara erecta, & tunica purpurea intercurrente albo. Neque alteri talem purpuram gestare conceditur. Crura circumdabatur caligis coloris lutei, & erat amictus (quem Candyn Persæ vocant) purpureus totus. Tiaram cingebat diadema. Idémque erat insigne consanguineorum ipsius: quemadmodum & nunc est. Manus exertas habebat è manicis. Atque vehebatur propter eum auriga, procerus ille quidè, sed Cyro humilior, siue reuera, seu quocunque modo: Cyrus sanè videbatur multò esse grãdior. Conspicati ipsum omnes humili gestu proiecti in terram venerati sunt: siue factò initio ab aliquibus, qui id facere iussi essent, siue illo apparatu animis omnium percussis, apparentéque specie illa maiestatis & pulcritudinis Cyri. Ante tempus autem hoc nemo Persarum isto modo veneratus Cyrum fuerat. Cùm prouheretur Cyri currus,

rum præcedere satellites illi quater mille, & sequi ad currum vtrinque bis mille alteri. Sequebantur deinceps scptrigeri ipsius, in equis exornati, cum tragulis, circiter trecentos. Equi verò, qui ipsi Cyro nutriebantur, simul adduci cum faleris aureis, vestibus virgatis instrati, circiter ducentos. Tum deinde hastati subire, & post hos equites decies mille ij, qui primùm facti equites fuerant, agmine quadrato, centenis vbiq̃ue ordinibus. horum ductor Chryfantas erat. Post hos decies mille alteros similiter ordinatos ducebat Hystaspas. Post hos item alteros totidem similiter instructos ducebat Datamas. Eos alij sequebantur ductore Gadata. Postea Medorum equites. Postea Armenij. Postea Hyrcanij, postque eos Cadusij. Et post equites currus ordine quaterni, ducente Artabata Persa. Pergente autem Cyro, plurimi vndique mortales extra designata spacia affectari implorantes Cyrum, alius alio de negotio. Cyrus igitur, missis aliquibus ad eos ex scptrigeris, qui vtrinque terni prosequerentur currum, nunciorum perferendorum gratia, dici illis iussit: Si quis aliqua in re opem Cyri requireret, vt doceret ex præfectis quempiam, quid vellent, eos enim dixit ad se relaturos esse. Ibi igitur isti statim discedere, & ad equites accedere, & deliberare ad quemnam quisque sese conferret. At Cyrus, quos ex amicis volebat à cæteris maximè coli, eos misso quopiam ad sese accersere singulatim, & hæc dicere eis: Si quis istorum, qui affectantur, exponet vobis aliquid, ibi vos eum, qui nihil dicere videbitur, nequaquam attendite: cuius verò petitio iusta videbitur, de eo referte ad me, vt communi sententia illorum negotia expediantur. Atque cæteri quidem, si quis vocaretur, totis viribus incitato cursu obsequi, hoc ipsi incrementum imperio Cyri studio suo adiuncturi, & demonstraturi se mirificè esse obœdientes. Sed erat Daipharnes homo parum elegantibus moribus, qui arbitrabatur, si minus celeriter obsequeretur, eam libertatis speciem fore maiorem. Hoc Cyrus cum animaduertisset, priusquàm accederet ille & colloque

loqueretur, submisso vno ex sceptrigeris, dici ipsi iussit: Se iam nihil amplius requirere. neque eum postea accerserat. Is verò, qui posterior hoc vocatus fuerat, prior est aduectus. Et Cyrus equum ei donauit vnum ex iis qui simul sequebantur, iussitque ex sceptrigeris quendam deducere hunc quò ille iussisset. Ea res cernentibus dignitatem & honorem visa est habere, istumque deinde multò plures mortales colere ceperunt. Ad sacros autem lucos vbi peruentum fuit, Ioui tauros mactatos totos combusserunt, deinde Soli totos item equos combusserunt. Mox cæsis victimis Telluri id fecere, quod docuerant Magi: & postea Heroibus incolis terræ Syriæ. Quibus peractis, cum locus ille præclarus esset, demonstrato termino circiter stadia quinque loci, iussit illo totis viribus incitato cursu emitti equos: cumque Persis ipse Cyrus est inuectus, & longè vicit. nam maximæ ei curæ & summo studio erat res equestris. Inter Medos victor fuit Artabassus, huic enim Cyrus equum dederat. Inter Syros, præses illorum. Inter Armenios, Tigranes. Inter Hyrcanios, filius magistri equitum. Inter Sacas verò, vnus quispiam priuatus, à tergo reliquit suo equo prouectus equos cæteros pœnè dimidio curriculi spacio. Ibi tum Cyrus fertur adolescentem illum interrogasse: Nunquid accepturus esset regnum, si pro equo ipsius daretur? At illum ita aiunt respōdiffe: Regnum ego nequaquam acciperem: sed hoc acciperem, si ita gratiam apud virum bonum collocare possem. Ego verò, inquit Cyrus, volo monstrare tibi, quò si quid cōiicias, non aberraturus sis à viro bono, quamvis oculos claudas. Quæso, inquit Sacas, mōstrato planè, nam sum istam, inquit, sublatam glebam coniecturus. Cyrus igitur monstrat cœtum plurimorum amicorum suorum: eum hic conuiuēs gleba petiit: ictusque fortè est Pheraulas, qui tunc præteruehebatur, quòd haberet quæ nunciaret cuidam mandato Cyri. Is percussus ne conuertit quidem se, sed perrexit eo quò ablegatus fuerat. Oculis igitur apertis interrogat Sacas ille, quinam ictus esset? Ne-

mo profectò, inquit Cyrus, præsentium. Certè ne absentium quidem quisquam, inquit ille adolescens. Maximè, inquit Cyrus, ille enim profectò est tactus, qui ibi propter currus celeriter equum agitat. Quì sit ergo, inquit, quòd non conuertitur? Est enim, inquit Cyrus, furiosus scilicet quispiam, vt videtur. His auditis adolescens ille abiit perspecturus, quisnam is esset. Atque inuenit Pheraulam quimentum haberet terra plenum & sanguine. fluebat enim hic ictò de naribus. Cùmque accessisset rogauit eum, an ictus esset. Respòdit ille, sicut cernis. Equum igitur istum tibi dono do, inquit. Interrogauit ergo Pheraulas, cuius rei gratia? Ita deinde Sacas ille totã rem enarrare, & tandem dicere: Sanè existimò me neutiquam aberrasse à viro bono. Tum Pheraulas: At enim si sciperes, inquit, equum tuum donare poteras magis diuiti quàm ego sum. nunc verò & ego accipiam. Deos autem, quibus autoribus factum est vt me ferires, precor vt facultatē mihi dent perficiendi, ne te muneris tui pœniteat. Ac modò quidem discedas, inquit, ascenso meo isto equo, mox autem ego apud te adero. Atque ita accidit inter istos permutatio. Ex Cadusis autem victoria penes Rathonicē fuit. Emisisti fuere currus quoque singulatim: victoribusque dati boues cunctis, vt iis mactatis conuiuia instituerent: data & pocula sunt. Bouem quidem ipse etiam Cyrus accepit victoriæ præmium, sed poculorum suam partem tradidit Pheraulæ, quòd iudicaret processum ab illo suum ex Regia præclarè fuisse ordinatum administratùmque. Atque à Cyro tunc processus constitutus, permanet nunc quoque, vt sit processus regius: victimæ tãtummodo absunt, quando non proceditur ad sacrificandum. His tandem finitis, in urbem reuersi fuere, & diuerterunt in cõtubernia ædium, quibus attributæ ædes fuerant: quibus nõ fuerant, ij castrensem rationem ordinemque seruauerunt. Pheraulas autem vocatum Sacã, qui ipsi equum dederat, habuit hospitem: cùmque cætera omnia præbuit abunde, tum post cœnam, repleta pocula, quæ ab Cyro dudum acceperat,

ceperat, propinavit illi atque donavit. Sacas autem ille contemplanſ copioſam & præclaram veſtē ſtragulam, copioſum item & præclarum apparatus, & multos famulos: Dic mihi, inquit, Pheraula, nunquid domi eras in numero diuitem? Quorum diuitem? inquit Pheraulas. Immo planè ex iis, qui victum ſuis manibus ſolent quærere. Pater enim meus in diſciplina puerili nutriendo me ſuis laboribus ægrè educauit. Poſtquam autè adoleſcentiæ ætatem attigeram, quòd ille ocioſum alere non poſſet, abductum me rus, opus facere ibi iuſſit: vbi illum ego alui viciffim, quoad vixit, cùm ipſe & foderem aruum, & conſererem admodum paruulum, non improbum tamè illud, ac potiùs omnium iuſtiſſimum. Quicquid enim feminis acceperat, id bene & iuſtè cùm ipſum reddebat, tum fœnoris ſanè haud multum. Aliquando etiam ea fuit virtus illius, vt eius, quod acceperat, duplum redderet. Atque iſtã fuit mea domeſtica vita. Nũc verò omnia iſta, quæ vides, dedit mihi Cyrus. Ibi Sacas, O beatum te, inquit, cùm cætera, tum quia factus es diues ex paupere. Nam tibi eò eſſe puto diuitias iucũdiores, quòd pecunias ſitiẽs ita factus es diues. Tunc Pheraulas, Itãne verò cenſes, inquit, ô Saca? me iam degere eò ſuauiorẽ vitam, quòd plura poſſideo. An neſcis? quòd minimè, inquit, vel cibus, vel potus, vel ſomnus mihi modò iucundior ſit, quàm eo tempore, quo pauper fui. Quæ autem nunc copia adeſt, ex eo hoc lucri facio, quòd plura cuſtodiendo, plura aliis diſtribuendo, de pluribus curam ſuſcipiendo negotioſus eſſe cogor. Iam enim & ſerui multi cibum à me petunt, multi potum, multi etiam veſtem. Sunt quoque, quibus opus medico ſit. Et aduenit qui laceratum à lupis ouium aliquid affert, aut præcipitatas ex bobus, quive narrat incidiffe pecora in morbũ. Itaque mihi videor, inquit Pheraulas, nunc, quia multa habeo, maiore moleſtia affici, quàm olim, quòd pauca haberem. At enim profectò, Sacas inquit, rebus ſaluis dum tu plura cõſpicias, multis quoque modis maiorem capis voluptatem, quàm ego. Ibi

Pheraulas: Nequaquam est, ô Saca, inquit, tam iucundum pecunias habere, quàm triste amittere: méque verum dicere ex eo intelligere poteris, quòd nemo diuitum cogatur præ voluptate peruigilare: Ex iis verò; qui aliquid amiserunt, neminem cernes, qui præ dolore somnum capere possit. Sanè, inquit Sacas ille, ac ne eorum quidè, qui aliquid accipiunt, dormire videas quenquam præ læticia. Vera videris narrare. Nam si habere aliquid tam iucundum esset, quàm accipere est, longè diuites pauperibus felicitate antecellerent. Iam eum, ô Saca, inquit, qui multa possidet, necesse etiam est multa impèdere in cultum diuinum, in amicos, in hospites. Quisquis igitur vehementer delectatur pecuniis, eum planè scito vehementer etiam impendiis dolere. At enim ego profectò, inquit Sacas, istius generis non sum: ac potius felicitatem in eo sitam esse statuo; si quis cum multa possideat, magnos ita sumtus faciat. Quin tu igitur obsecro, inquit Pheraulas, iam statim felix efficeris, & me reddis beatum? Accepta enim, inquit, ista omnia tu possideto, & iis utere, sicut lubet, me verò non aliter pascito quàm hospitem, atque vilius quoque quàm hospitè. Satis enim mihi futurum est, si eorum particeps sim, quæcunque tua fuerint. Ludis tu, inquit Sacas. Tunc Pheraulas iuratus affirmare, ex animo ista ab se dici: atque ego alia quoque à Cyro præterea tibi conficiam, vt neque præstò sis ad fores neque milites. Itaque tu domi maneto, ego verò illa exequar meã & tuam vicem. Si quid autem boni acquisiuero vel ex Cyri obseruantia, vel ex aliqua militia, id ad te afferam, vt plura deinde sint sub tuo principatu. Tu modò, inquit, ista me cura liberato. Nam si mihi ocium ab his contigerit, & mihi & Cyro ipsi in te multum vtilitatis est futurum. His dictis & conuenit ita inter ipsos, & hæc illi fecere: & alter felicem se arbitrari, quòd magnarum opum dominus esset, alter se beatissimum fore statuebat, quòd procuratorem esset habiturus, cuius opera ocium suppeditaretur ad omnes sibi iucundas actiones. Erat autem mos Pheraulæ

raulæ amicorum studiosus: & qui censeret, nullius ex rei cultu tantum, quantum ex hominis, vel voluptatis vel utilitatis percipi. Et optimum enim animal animalium omnium esse hominem ducebat, & eūdem maximè memorem atque gratum. quòd videret, eos, qui ab aliquo laudarentur, vicissim illos studiosè laudate: & gratificantibus sibi, conari, vt vicissim gratificarentur: & quorum benevolentiam erga se perspexissent, erga eos benevolentia affici vicissim: & à quibus amari se scirent, odisse eos non posse. Ex omnibus etiam animātibus hominem velle mutuū cultum rependere parentibus tam viuis quàm mortuis: cæteras autem animantes cū ingratiōres, tum animis magis peruersis esse intelligebat. Atque ita tum & Pheraulas perquam lætus erat, quòd cura atque respectu aliarum rerum suarum solutus facultatem esset habiturus vt amicis operā daret. Erat & Sacas, quòd cū possideret multa, multis vt concederetur: diligebatque Pheraulam Sacas, qui aliquid semper afferret, & hic Sacam, qui omnia accipere vellet, neque sibi negotij quicquam exhiberet, quamvis semper curanda ipsi plura essent. Atque vita hoc modo ab istis degebatur. **CYRUS** verò etiam post sacrificia ob partam victoriam conuiuium apparans, vocauit ex amicis eos, quorum perspicua erat voluntas, & augendi ipsum maximè, & ornandi studiosissimè: simulque inuitauit tunc Artabassum Medum, & Tigranem Armenium, & Hyrcaniorum præfectum, & Gobryam. Gadatas autem præerat sceptrigeris eius, totaque victus cotidiani domestica ratio constituebatur ordinante Gadata. Ac quoties in cōuiuio adessent alij quidam, ipse non assidere, sed munus exequi curatio- nis suæ. Quando autem ipsi erant soli, tunc vnà etiā epulabatur. delectabatur enim Cyrus consuetudine ipsius, & afficiebatur ob hæc multis & magnis à Cyro honoribus, & Cyri gratia, ab aliis quoque. Postquam ad cœnam vocati venerant, non collocabat ille fortuito vñumquemque, sed eum, cui plurimum honoris habebat, ad manum

sinistram, qua faciliior esset insidianti aggressio, quàm à dextra. Secundus locus erat ad dextram. Et tertius rursus ad sinistram, & quartus ad dextram: & pariter deinceps, si plures adessent. Planum autem fieri quantum cuique honoris haberet, ideo vtile ei videbatur, quòd, vbi homines arbitrantur, præstantem aliquem virtute neque præconio, neque præmiis auctum ornatumque iri, ibi perspicuum est, nulla inter ipsos esse contentionum studia: vbi verò apparet quamplurimum præstantissimis viris tribui, ibi certamina promptissimi animi omnium euidencia sunt. Atque Cyrus ita tum planum facere, quinam apud se virtute præstarent, à sede & loco orsus: non tamen constitutus ille sedis ordo perpetuus vt esset, sed institutum fuit, simul vt præclaris facinoribus in sedem honoratissimam procederetur, simul si quid designaretur indiligenter & perperam, vt ad inhonoratiorem retrocederetur. Qui autem sedis primas teneret, Cyrum pudere nõ eum etiam conspici affectum abs sese bonis plurimis. Atque hæc tempore Cyri vsurpata nunc etiam obseruari animaduertimus. Inter cœnandum, Gobryæ, non quòd omnium rerum maxima esset copia apud eum, cuius tot gentes ditioni imperioque subiicerentur, sed hoc mirum videri in tanta rerum magnitudine, nihil eorum quæ vsu iucunda haberentur, solum ipsum absumere, ac laborem quoque suscipere rogando, vt eo præsentibus communiter veleretur. Quin cernebat etiam sæpenumero ad absentes amicos ab ipso ea mitti, quibus fortè esset delectatus. Itaque postquam cœnati & huc illuc omnia à Cyro, perquam multa illa quidem, missa fuerant ex mensa ipsius, Gobryas tunc: Ego verò, ò Cyre, inquit, te præstare antehac cæteris scientia summi imperatoris duxi: nunc verò omnes Deos, testor, arbitrari me, magis te præstare humanitate, quàm imperatoria excellètia. Ita enim est profectò, inquit Cyrus. Et ostento quoque libentiùs humanitatis opera, quàm imperatoriæ artis. Quo pacto verò, inquit Gobryas? Quia hæc ostentari oportet faciendo
malè

malè, illa bene faciendo hominibus. Post hæc cùm largiùs bibissent, interrogans Cyrum Hytaspas: Nunquid, ò Cyre, inquit, grauiter tuleris mihi que succenseas? si percunâter de eo quod velim ex te cognoscere. Immo equidem profectò, inquit, contrà, grauiter ego tulerò, tibi que succenseam, si reticere sentiam te ea, de quibus velles interrogare. Dic igitur mihi, inquit, vocatùsne abs te vnquã non accessi? Bona verba quæso, inquit Cyrus. At dum obsequor, lentè fui obsecutus. Ne hoc quidem. Quod mandasses autem, id non sum executus? Nihil queror, inquit. Quod verò agerem, idne vnquam parum promptè & studiôsè parùmve libenter & ex animo à me agi perspexisti? Minimè hoc verò omnium, inquit Cyrus. Cuiusnam igitur, inquit, rei gratia, obsecro, ò Cyre, Chrystantæ ascripsisti sedem honoratioris loci, quàm mihi? Vis dicâ? inquit Cyrus. Prorsus, inquit Hytaspas. Et tu grauiter non ferēs, neque succensebis mihi audiens veritatem? Immo voluptati mihi erit, cognoscere, quòd nulla afficiar iniuria. Chrystantas ergo, inquit, iste, primùm non expectare dum vocaretur, sed priùs adesse quàm vocaretur, mearum rerum gratia. Deinde non agere id modò quod iussus esset, sed præterea etiam quicquid vtilem mihi actionem complecti iudicaret. Quoties autem ad socios belli oratio habenda esset, si qua decerent me si ipse dicerem, de his ille consilium dare: quæ verò animaduertisset cupere me cognosci à sociis, sed pudorem obstare quò minus ipse pronunciarem, ea ille commemorando tanquam sententiam propriam demonstrare. Quam ob rem in his quid vetat? mihi illum me ipso esse potiorē. Iam sibi semper hic satis esse ait, quod suppetat: cùm perspicuum sit perpetuò eum considerare, quid mihi amplius accedere & prodesse possit. Meis autem rebus prosperis & bonis, magis exultat atque lætatur, quàm ego ipse. Ibi Hytaspas, Lætor, inquit, profectò, ò Cyre, quòd de his te sim percunâtatus. Qua maximè de causa? inquit Cyrus. Quia & ego eadem perficere conabor. Vnum modò, in-

quit, ignoro: quonam pacto manifestum fiat, gaudere me tuis bonis? Vtrum manibus plaudendum, an ridendum, an aliud quidpiam faciendum est? Tunc Artabassus, Saltandum more Persico, inquit. Quibus dictis, risus consecutus est. Conuiuio autem atque potu procedente, interrogauit Gobryam Cyrus: Et dicit, inquit, mihi, ô Gobrya, nunquid libentiùs iam alicui istorum filiam tuam, quàm eo tempore, quo te nobiscum coniunxisti, daturus esse videaris? Méne igitur, inquit Gobryas, ipsum quoque verum vis dicere? Ita profectò, inquit Cyrus. nam mendacium nulla interrogatio desiderat. Planè igitur scias, inquit, quòd iam multò dederim libentiùs. Nunquid verò, inquit Cyrus, causam quoque asserere possis? Possim equidem. Dic igitur. Quia tunc cernebam ab his labores tolerari, & adiri pericula animis præsentibus: nunc verò res secundas moderatè ferre eos video. Existimo autem, ô Cyre, difficiliùs inueniri eum, qui res secundas, quàm qui aduersas rectè & laudabiliter ferat. hæ enim plerisque petulantiam, illæ verò omnibus temperantiam inserunt. Tum Cyrus: Audistín', inquit, Hystaspas, quid Gobryas dixerit? Audiui, inquit ille, profectò. Quòd si istiusmodi multa dixerit Gobryas, multò magis me procum filix habiturus est, quàm si multa pocula ostendet. Atqui, inquit Gobryas, multa talia habeo simul perscripta, quorum nihil tibi inuidebo, si duxeris vxorem filiam meam. Pocula verò quoniam abs te illa non videntur admitti, quid si Chryfantæ donem? quandoquidem & sedis honorem tibi surripuit. At enim Hystaspas, inquit Cyrus, & vos ceteri, qui adestis, si dum vestrum quispiam nuptias iungere conabitur, mihi id dixerit, sentietis quantum ego ad hanc rem vobis adiumenti sim allaturus. Tum Gobryas, Sed filiam, inquit, suam si quis collocare alicui velit, ad quemnam de eo referre debet? Ad me, inquit Cyrus, de hoc etiam ipso. sum enim mirificè peritus artis istius. Cuiusnam? inquit Chryfantas. Cognoscendi, quodnam conuiuium quibus aptè congruat. Ibi Chryfantas, Obsecro, inquit,

quit, narrato, cuiusmodi vxorem mihi pulcerrimè congruam aptamque censeas? Primùm paruulam, inquit: paruus enim tu quoque es. Quòd si magnam ducas, eamque fortè rectam osculari velis, affiliendum tibi erit tanquam catellis. Sanè istud rectè prouides. nò enim ad saltus sum idoneus. Deinde nasum habens repadum tibi valde aptè cògruerit. Quam ob rē verò istud? Quia tu, inquit, aduncum habes. ad illam autem figuram hæc, planè scias, maximè quadrarit. Id dicis, inquit, referto cibus, quemadmodum iam ego sum, ieiunam posse cògruere. Ita profectò, inquit Cyrus. Venter enim plenus aduncus, & inanis repandus fit. Et Chryfantas: At regi, inquit, quæso, frigidè ridiculo quanam aptè congruat, possisne commemorare? Ibi tum & Cyrus & cæteri risus edere. Quibus ridentibus, Maximè equidem omnium, inquit Hytaspas, hoc te nomine fortunatum esse iudico in isto regno tuo. Quonam? inquit Cyrus. Quòd frigidis etiam iocis risum commouere potes. Tum Cyrus, Proinde quantum, inquit, impenderes, vt indicarentur ista atque nunciarentur illi, apud quam singulari in existimatione esse cupis, quòd sis vrbanus? Atque his dictis iocati inter se, Cyrus mox protulit mundum muliebrem, eumque tradidit Tigrani, qui suæ coniugi afferret, quæ tam virili animo in militia cum viro versata esset: Artabasso autè poculum aureum, & Hyrcanio equum, necnon alia multa atque præclara dona tribuit. Tuæ verò, inquit, ô Gobrya, filiæ daturus sum virum. Me itaque, inquit Hytaspas, dabis, vt illa conscripta à Gobrya accipere possim. Estne verò, inquit Cyrus, res familiaris tibi digna fortunis puellæ istius? Ita profectò, inquit, ac multiplicium quidem pecuniarum. Vbi igitur, inquit Cyrus, ea tibi est facultas? Ibidem, inquit, vbi tu assedisti, quem ego amicum habeo. Nihil, inquit Gobryas, amplius requiro. Et statim manu porrecta, Dato, inquit, ô Cyre, accipio enim. Et Cyrus præhensam dextram Hytaspæ, Gobryæ præbuit, & hic accepit. Atque exinde multa præclara munera dedit Hytaspæ, quæ ipse

puellæ mitteret: Chryfantam autem attrahendo osculatus fuit. Ibi Artabassus, Haud tu profectò, ô Cyre, ex eodem auro mihi poculum, & donum istud Chryfantæ dedisti. At ego tibi quoque daturus sum, inquit. Cùmque ille interrogasset, Quando? Ad tricesimum, inquit, annū. Ita te parato, inquit, vt scias me expectaturum tempus istud, neque antea mortem obiturum esse. Atque eo tunc contubernij istius fabula actu conclusa fuit: & conuiujs surgentibus, Cyrus quoque surrexit, & eos ad fores vsque est profectus. **P O S T E R O** autem die voluntarios socios eo bello secum cōiunctos dimisit domū suam singulos: exceptis iis, qui apud ipsum domicilia habere volebant, quibus & agros & ædes attribuit. Et his nunc quoque fruuntur posterij illorum, qui tunc remanserunt. sunt autem plurimi ex Hyrcanijs & Medis. Discedentes autem, multis muneribus affectos, & ademptis omnium querelarum causis, tam ductores quàm cæteros milites, dimisit. Atque ita deinde diuisit suis militibus pecunias partas captis Sardibus: præfectis quidē decem milibus, & familiaribus ministris suis eximia dona dabat, pro merito vnus cuiusque: reliqua verò diuisit, & præfectorū decem milibus cuique partem certam dedit, permisitque illis vt distribuerent, sicut ipse inter eos distribuisset. Sic autem illi pecunias distribuere, vt exploraret superior quisque ductor, quinam essent singuli ex suis inferioribus ducibus. Ad extremum autem præfecti militibus sex, exploratis rebus, ita vnicique gregario militi, quod meritis videretur, tribuere. Hoc igitur pacto omnes iustam portionem obtinere. Acceptis verò iis, quæ tunc data fuerāt, quidam de Cyro huiusmodi quædam dicere: Nimirum ipse multa habet, quandoquidem tam multa nostrum vnicique dedit. **Quidā, Quæ multa habeat?** inquebant. non iste est mos Cyri, vt pecunias congerat, qui dando magis quàm quærendo possidendoque delectatur. Animaduertens autem Cyrus tales sermones de se taliæque iudicia fieri, congregatis amicis, & cæteris omnibus, quos adesse

adesse oportuna erat, ita est locutus: Vidi, inquit, ego, mei amici, quosdam, qui opinionem de se esse vellent, quòd possiderent plura quàm haberent, quòd putarent ita suam condicionem visum iri liberaliorem. Ego verò opinor, hos sibi, inquit, contrarium eius quod expetunt, attrahere. Nam eum, quem multa possidere arbitrantur, non videri tantum vtilitatis amicis conciliare, quantum postulat res familiaris ipsius & facultatibus dignum est, id aspergere illiberalitatis maculam mihi videtur. Sunt autem alij, inquit, qui ignorari volunt quàm multa possideant: & ipsi sanè incommodi amicis, mea quidem sententia. Quòd enim hi nesciāt, quanta illorum bona sint, sæpenumero in egestate non appellant, petendo aliquid amici suos familiares, & ita decipiuntur. Ego autem maximè simplicis hoc esse existimo, vt manifestas & in medio positas habeat facultates suas, & ex his in certamen de laude & præstantia virtutis descendat. Atque ego, inquit, volo omnia mea bona, quæcumque sub aspectum cadunt, vobis ostendere: quæ autem sub aspectum nō cadunt, ea oratione enarrare. Hæc locutus, illis partim rem copiosam atque præclaram ostendere, partim sic recondita vt sub aspectum facile venire non possent, enarrare: ac tandem hoc dixit: Ista vniuersa, inquit, non magis vos mea quàm vestra ducere debetis. Hæc enim ego, inquit, coaceruo, neque vt ego absumā, neque vt ipse deteram, non enim sufficerent ad hoc vires meæ: sed vt habeam, quod semper largiar alicui vestrum ob facinus aliquod præclarum: vtque vestrum aliquis, si qua re egere se arbitretur, accedat me, & sumat id quo fortè indigeat. Hæc quidem tunc oratio habita fuit. **CYRVS** autem cum rem Babyloniam præclare esse constitutam arbitraretur, vt inde abesse liceret, ita in Persidem iter facturus sese tunc comparare, idque aliis denunciare: iamque fatis eorum, quibus opus fore crederet, pènes se habere statuēs, ita deinde mouit. Narraturi sumus autem hæc quoque, quàm expedito ordine, qui tam magnas copias tan-

tumque exercitum haberet, & locauerit & mouerit castra, & in his suo loco singula celeriter disposuerit. Rex quidem cum ipse in castris adest, tunc omnes apud eum ita militat, ut tabernacula habeant tam æstate quam hieme. Atque statim initio Cyrus instituit ita figi tabernaculum, ut spectaret solem orientem: deinde, primum quam longè distare tabernacula satellitum à tabernaculo regio deberent, definiuit: mox assignauit iis stationes dexteras, qui panes coquebant, & sinistras, qui parabant cæteras escas: itémque dexteras equis, & iumentis aliis sinistras: distinctis pariter reliquis, ut sua cuique statio nota esset tam spacio quam loco. Castra quando mouetur, uasa colligunt singuli, & eas res quarum usus eis est attributus. Ea alij imponunt iumentis, atque simul ibi præstò sunt qui deportent, ubi quique iussi fuere, simul suis unusquisque iumentis sua imponit. atque hoc modo idem tempus sufficit tollendo tabernaculo vni & vniuersis. Eadem est ratio castra locandi: rationeque eadem, ut necessaria cuncta parata sint tempori, quid parare vnumquẽque oporteat, constitutum est: & ideo sufficit tempus idem parandis his ad usum partis vnius & vniuersorum. Ut autè administrari rerum ad victum necessariarum stationes congruentes singulis, sic armati quoque in exercitu Cyri stationem suam quique armaturam aptam habebant, eamque norant cuiusmodi esset, & sine omni controuersia cuncti sua loca occupabant. Ac Cyrus quidem præclarum studium ducebat in priuata domo collocationis diligentis, ita enim scilicet, quod aliquis requirit, ad id sumendum, quò sit veniendum, nouit: sed multò præclariorem esse statuit nationes militantes accuratè collocandi diligentiam, quò sunt magis repentinae occasiones in rei militaris usu, & grauiora peccata cessationis & negligentiam. Atque ab iis, quæ præstò essent in tempore, videbat in rebus bellicis plurimi facienda bona euenire, & propterea maximè curam ei erat talis collocationis diligentia atque solertia. Itaque ipse primum in mediis castris tabernaculum

lum suum posuit, quòd illa statio firmissima esset: deinde fidelissimos suorum, sua consuetudine, circum sese habere, & cum his còtinuatos equites, agitatorésque curruum. Nam & his firma statio opus esse statuebat, quòd nihil sit eorum armorum, quæ hi in castris habent, in promptu, sed longo tempore ipsi indigeant ad expediendum arma sua, siquidem illorù commodus vsus futurus sit. Ad dextram ac sinistram statio assignata cetratis: sagittariorum autem statio ante & post ipsum equitésque, erat. Grauiore autem armatura, & gestantibus parmas grādes, circumdatos omnes cinxit tanquam muro: vt si instruēdis equitibus aliquid moræ inferretur, ante eos collocata maxime stabilis pars exercitus, præstarent eos tutos, dum arma caperent. Instructi autem somnum in exercitu Cyri capiebant, vt grauis armatura, sic cetrati quoque & sagittarij, vt noctu etiam, si opus esset, quemadmodum grauis armatura ad ferendum parata est conserentem manus, ita iaculatores quoque accedentes iaculis sagittisq; expeditis peterent, essentque præsidio graui armaturæ. Habebant autem, qui cum imperio erant, omnes signa sua ad tabernacula. Vt autem in vrbibus quoque famuli probi ac modesti, norūt ædes plerorumque, in primis verò eorum, quos oportunum est & res postulat nouisse, sic etiam in Cyri castris, & sciebāt ministri ipsius stationes ducum, & signa norant quæ vnusquisque habebat. Itaque si quem Cyrus requirebat, nō illi quidem de eo percunctabātur, sed compendio ad singulos decurrebant. Et quia secretæ erant atque sinceræ nationes omnes, multò magis etiam erant omnia perspicua, siue aliquis imperata studiose faceret, siue non exequeretur, quod iussus esset. Arque sic constitutis rebus, arbitrabatur Cyrus, si quis impressionē fortè faceret, vel interdium vel noctu, futurum vt tanquam in insidias impressionem in illa castra facientes incidere. Rationem quoque instruendi aciem & ordinandi exercitum, non eam modò esse ducebat, vt aliquis extendere phalangem facile, aut agmen densum facere posset;

aut de cornibus phalangem constituere, aut hostibus sese ad dextram sinistramve, aut à tergo ostendentibus, vera ratione explicare, sed distrahere quoque, si quando opus esset, ad scientiam instruendi aciem pertinere censebar. Quin etiam vnāquamque partem ita collocare, vt quā maximè prodesset, & accelerare, si quando anteuerti hostes deberent, hæc & huiusmodi cuncta periti instruendi aciem esse statuebat, & ad omnia ista adhibebat diligentiam pariter, inque itineribus ad omnes casus instruendo exercitum, ita pergere, & in castrorum metatione sic disponere atque collocare pleraque, vt dictum est. **P O S T Q V A M** autem progrediendo in terram Medorum peruenere, diuertit Cyrus ad Cyaxarem: cūque inter sese cōsalutassent, ibi tum Cyrus primū narrat Cyaxari, Esse ei exemptam domum & ædes publicas Babylone, vt haberet, quò sese, vbi illuc venisset tanquam in sua ac propria, reciperet: deinde etiam alia multa & præclara dona ei dedit. Quibus acceptis Cyaxares ad ipsum misit filiam suam afferentem ei coronam auream, & armillas, & torquem, & vestitum Medicum quā pulcherrimum atque speciosissimum: cūque coronam Cyro puella imposuisset, tum Cyaxares, Et hæc ipsam, inquit, Cyre, tibi vxorem trado, quæ mea filia est. Tuus etiam pater duxit vxorem mei patris filiam, ex qua tu natus es. Est autem ista puella ea, quam tu sæpe puerili ætate apud nos degēs paruulam nutricatus es: & si quando interrogaretur, cuiam esset nuptura? Cyro se esse nupturam, respondebat. Addo autem dotis nomine terram Medorum totam. virilis enim sexus prolem nō habeo. Hæc ita locuto Cyaxari respondit Cyrus: Ego verò, ô Cyaxares, laudo, & genus, & puellam, & munera: volo autem de his inter nos conueniri ex sententia patris & matris meæ. Hæc cū dixisset, nihilo minùs eiusmodi dona omnia dedit puellæ, quæ placitura esse & grata fore Cyaxari credebat. Et his peractis ad Persas proficisci perrexit. **C V M Q V E** iter faciendo attingisset fines terræ Persicæ, relictis ibi copiis cæteris, ipse vnà

vnà cum amicis urbem est ingressus, tantum adducens victimarum, quantum ad sacrificandum & cõuiuandum satis esset Persis omnibus: afferebat & munera digna patre matrèque, necnon amicis cæteris, itémque magistratibus, senioribus, comparibus: dedit etiam Persis vtriusque sexus ea dona quæ hodie quoque dantur, quando cunque ad ipsos rex peruenit. Post hæc Cambyfes, conuocatis senioribus Persarum, & magistratibus, quorum ibi summa potestas est, accersito etiam Cyro, ita locutus est: Ego, ô Persæ, túque, mi fili Cyre, vos ambos iure complector beneuolentia. nam & rex vester sum, & tu Cyre meus filius es. Æquum igitur est vt, quæ bona ad vtrofque pertinere iudico, ea proferam in medium. Vos enim superioribus temporibus Cyrum auxistis tradito exercitu, & hoc duce illius constituto: Cyrus verò ductor istius, adiuantibus Diis, ô Persæ, apud omnes mortales celebritatem nominis honorémque vobis in Asia tota conciliavit. Ex iis autem qui in illo exercitu militarunt, virtute præstantissimos locupletauit, multitudini verò de mercedibus & victu prospexit. Equitatu etiam Persico constituto, effecit vt planos quoque campos illi iam sibi vindicare possent. Quòd si hanc sententiam in posterum quoque retinueritis, autores vobis mutuò multorum magnorumque bonorum estis futuri: si verò tu, Cyre, elatus animo imperium in Persas sicut in cæteros, quæstuosum habere aggredieris, siue vos, ô ciues, inuidentes Cyro potentiam istam, abrogare ei imperium conabimini, planè scitote, quòd vobis ipsi inter vos impedimento sitis futuri in multis & bonis rebus adipiscendis. Quod ne accidat, ac potiùs vt maxima bona contingant, censeo ego, re diuina communiter facta, vos conuenire paciscique debere, diis factis testibus: Quòd tu quidem, Cyre, si quis aut arma inferat exercitumque adducat in terram Persicam; aut dissoluere leges institutæque Persarum conetur, omnibus viribus subuenire & ferre opem velis: vos autem, Persæ, siue quis Cyro imperium eripere, siue huic subiecto-

rum aliquis deficere aggrediatur, quòd subuenire opem-
 que ferre (quicquid ille denuntiet) tam vobis ipsis quàm
 Cyro velitis. Atque regnum Persicum meum est illud
 quidem, donec ego vixero: me verò mortuo, Cyri videli-
 cet, si quidem is vixerit: qui quoties in terrā Persicam ve-
 nerit, religiosum piúmque fuerit, sacrificia eum pro vo-
 bis facere, quemadmodum ego nunc facio. Sed hoc ab-
 sente, honestum vobis, vt opinor, fuerit, aliquem generis
 nostri, quem vos virum esse optimum iudicaueritis, per-
 ficere ad cultum Deorum pertinentia. Hæc Cambyses
 cùm dixisset, eadem Cyrus & Perfarú principes senten-
 tia sua approbarunt, & in iis pactis conuentis, quorum
 Dij testes essent facti, nunc etiā permanent seruādo inter
 sese Persæ & rex. His peractis Cyrus discessit. **CVM-**
QUE proficiscendo peruenisset in terram Medorum,
 quòd voluntas patris accessisset, ita ducit vxorem filiam
 Cyaxaris: quam nunc quoque fama prædicat fuisse for-
 mosissimam. Sunt tamen Historici quidam, qui tradunt
 duxisse eum sororem matris suæ: at illa tunc puella anus
 omnino fuisset. Nuptiis autem iunctis, statim inde mouit
 Cyrus: cùmque Babylonem peruenisset, decreuit tum
 deinde satrapas mittere in eas gentes, quas redegerat in
 potestatem ditionémque suam. Collocata autem in arci-
 bus præsidia, & tribunos passim in terra aliqua custodia-
 rum, non volebat alterius quàm suo dicto esse audientes.
 Quæ prouidentia consideratio eò pertinebat, vt si quis
 ex satrapis fretus opibus & copiis iniuriam atque vim fa-
 cere, imperiúmque recusare aggredetur, in illa statim
 terra aduersarios oppositos tunc haberet. Quæ cùm age-
 re vellet, conuocandos priùs eos putauit, quos adesse re-
 ferret, & prædicendum, quibus quique cõditionibus pro-
 fecturi essent. ita enim eos æquiore animo laturos esse ar-
 bitratur: sin iam constitutus aliquis in principatu, tum
 demum illa resciret, grauiter eos laturos esse credebat,
 suspicantes ea propterea fieri, quòd sibi parum fidei ha-
 beretur. Ad congregatos igitur eos hanc habuit oratio-
 nem

nem: Sunt nobis, ô amici, in vrbibus quas armis subegimus præsidia, & his aliqui præfecti, quæ in illis tunc reliquimus. His ego abiens mãdaui, vt omni curiositate alia posthabita, tantummodo commissas munitiones tuerentur. Eis ego, inquit, imperia nequaquam auferam. præclare enim conseruarunt ipsis tradita. Censeo autem mittendos alios satrapas, qui gubernent incolas, & tributa accipiendo cùm stipendia persoluant præsidiis, tum alia quibus opus fuerit, impendant. Censeo etiam iis, quibus vestrum hîc à me negotia offerentur legando ad gentes aliquas certarum rerum caussa, ibi terrarum aliquid, & domos esse debere, vt & tributa eis huc vos mittatis, & illis ipsi in locis sua atque propria, quò diuertantur, habeant. Hæc locutus multis amicis suis in omnibus vrbibus, quas armis subegerat, domos attribuit. Et nunc quoque acceptæ tunc ab aliquibus terræ ad eorum posteritatem peruenere, & apud hanc permanent aliæ aliis in locis, quamvis isti apud regem domesticas sedes habeant. Oportet autē, inquit, videre nos de satrapis, qui in istas terras prouinciâsque aliquas mittuntur, vt ij sint, qui quod quoque in loco pulcrum aut bonum fuerit, id huc quoque mittere meminerint, vt participes nos hîc etiam versantes simus omnium bonorum, quæ vsquam eueniunt. Et si quid enim periculi malique acciderit, nobis erit illud propulsandum. Quæ cùm dixisset Cyrus, finem orationis fecit. Postea verò cognita voluntate eorum, qui conditionibus demonstratis proficisci cuperent, delectos ex eis idoneos maximè satrapas ablegauit: in Arabiam Megabyssum, in Cappadociam Artabatam: in Phrygiam magnam, Artacamam: in Lydiam & Ioniam Chrystantam: in Phrygiam ad Hellespõtum & Æolidem Pharnuchum. In Ciliciam verò & Cyprum & Paphlagoniam satrapas nõ misit Persicos, quòd voluntarij socij fuissent in militia belli Babylonij: tributa tamen quæ & ipsi penderent, cõstituta sunt. Quemadmodum autem tunc Cyrus rem ordinauit, ita nunc quoque seruatur, vt custodiæ arcium penes regem

sint, & tribuni custodiarum illarum à rege constituentur, & eorum apud regem extet descriptio. Omnibus autem qui in prouincias mittebantur satrapis præceptum hoc dedit, Vt ea quæ ipsum facere vidissent, quoad fieri posset, imitarentur. Primum equites vt constituerent ex iis, qui discedentes sequerentur, tam Persis quàm sociis: itémque agitadores curruum: deinde, vt eos, quibus terræ & publicæ domus tribuerentur, cogerent ad fores adesse, vbi ipsi studiosi temperatiæ, præstò essent satrapæ ad omnia, quibus vsus indigeret: vtque pueros, qui nascerentur, ad frequentandas fores instituerent, sicut apud ipsum fieret: vtque educeret in venationem satrapa conuenientes ad fores: vtque tam ipse quàm sui bellicis studiis exercerentur. Ac, quicumque mihi, inquit, pro suæ potestatis ratione, plures currus, plurésque excellentes equites exhibuerit, ei ego tanquam socio egregio, & egregiè coniuncto in custodiendo imperium Persis & mihi, honorem sum habiturus. Habeant apud vos etiam sessiones, quemadmodum apud me honorati præ cæteris: & sit mensa instar mex, sic exornata vt primum ministros & familiares alat, deinde ne desit quod amicis impertiatur, quodque in præclari facinoris autorem cotidie honoris causa conferatur. Etiam spatiosos hortos parate, & feras nutrite. Neque vobis vnquam nullo labore suscepto cibus apponatur, neque pabulum obiiciatur equis inexercitatis. Non enim ego vnus ipse, omnium vestrum commoda, virtute humana conseruare possim: sed oportet me præstantem virtute, cum viris fortibus, qui mecum sunt, vobis auxilio esse, & vos itidem præstantes virtute, cum viris apud vos fortibus, socios in bello habere. Velim autem hoc quoque à vobis considerari, quod nihil istorum, ad quæ vos ego cohortor, seruis à me imperatur: & quæ à vobis fieri oportere censeo, ea ego ipse quoque exequi agendo conor. Vt autem ego vos me imitari iubeo, sic administrantes publica munera sub vestro imperio, vos imitari docete. Atque his à Cyro ad istum modum tunc constitutis ordinariisque

tisque, eodem modo nunc quoque custodiæ omnes quæ penes regem sunt, seruantur, omnésque principum fores similiter frequētantur, omnésque domus magnæ ac parvæ pariter incoluntur. Apud omnes itidem inter præsentis virtute præstantissimi honoribus sessionum præceteris afficiuntur. Profectiones etiam omnes suscipiuntur rebus eadem ratione compositis. Omnino autem multa negotia ita consummantur, vt præsentis illis pauci. His expositis, vt quid vnusquemque facere oporteret, illi sciarent, & copiis vnique attributis, ita eos dimisit. Edixit autem, vt vniversi parati essent ad expeditionem nouam anno proximo, quòd exhiberi tunc oporteret viros, arma, equos, currus. Animaduertimus sanè & hoc constitutum Cyro autore, quemadmodum aiunt, nunc quoque seruari. Omnia enim loca vnus quispiam cum exercitu obit, qui si quo ex satrapis auxilio fortè opus, auxilium huic ferat: si quis verò improbus & iniustus sit, eum castiget. Depræhensam item negligentiam aliquorum in tributis pendendis, aut custodiendis incolis, aut colendo solo, aliãve mandatam rem prætermittentium, emendet, atque omnia in his peccata corrigat. Ipse verò, si quid perficere nequit, nunciando hoc regi demonstrat: at hic audiens de contumace & improbo deliberet. Atque hæc sunt obeuntium ea itinera, de quibus sæpe dici solet: Aduenire filium regis, aduenire fratrem, aduenire oculum regis, cùm nemo interdum conspiciatur. vnusquisque enim iam ab iis desistit, quæ regio mandato vetantur. Cognouimus autem etiam aliud eum esse machinatum, quod ad tantam imperij magnitudinem pertineret, vt celeriter quo in loco essent longissimè quoque remotæ res, cognosceret. Inita enim ratione quantum viæ diurna agitatione equus conficere posset integris viribus, stabula equorum ad istud interuallum disposuit, & in his equos collocauit additis curatoribus illorum: præfecitque singulis stationibus hominem idoneum, cui litteræ commissæ redderentur, quique traderet eas perferendas aliis:

quique idem defatigatos equos reciperet & suppeditaret alios recentes. Atque interdum ne noctu quidem insisti in hoc itinere aiunt excipiente diurnum nuncium nocturno. Quæ cum ad hunc modum fiant, dicere quidam solent, confici iter istud citius græum volatu. Quod si verum non est, hoc certè planè constat, nullius pedestris itineris, quod ingenium humanum exequi possit, maiorem esse velocitatem. Prodest autem singula quamprimùm percipi, vt cura de iis quamprimùm suscipiatur. ANNO deinde vertente Cyrus exercitum coëgit, qui conuenit Babylone: ferturque in eo fuisse, equitum milia centum viginti, curruum falcatorum duo milia, peditum circitèr milia sexcenta. Quo exercitu educto perhibetur subegisse gentes terrarum extra Syriam omnium incolas, vsque ad Mare rubrū. Post hæc expeditio dicitur facta in Ægyptum, & hæc esse subactam. Ita deinde fines imperij ipsius fuere, ad ortum solis, Mare rubrum: ad septentriones, Pontus Euxinus: ad occasum solis, Cyprus & Ægyptus: ad meridiem, Æthiopia: horum autem locorum termini ad habitandum parum sunt oportuni, partim ob calores, partim propter frigora, in aliis copia in aliis penuria aquæ incōmoda est. In medio autem ipse Cyrus vitam colere cum constituisset, ita menses septem temporis hiberni Babylone degebat. ea enim regio serenior atque calidior est. Tres verò menses vernos Susis: & Ecbatanis duos menses æstate vigente. Hoc factò id eum consecutum aiunt, vt perpetuò degeret in quodam verno tam calore quàm frigore. Ea autem erga Cyrum erat hominum affectio, vt nulla gens non accipere se detrimentum censeret, nisi mitterent Cyro quicquid præclarum in sua terra ipsis vel nasceretur, vel educeretur, vel elaboraretur: paritèrque erant animatæ ciuitates omnes: ex priuatis autè quisque diuitem sese arbitrari, si qua in re Cyro gratificari posset. Cyrus enim accipiendo ab omnibus ea, quibus tribuentes abundarent, retribuere solebat illa, quibus ipsos defici intelligebat. Atque ita procedente ætate, admodum iam
senex

senex Cyrus ad Persas venit: qui aduentus, tempore imperij ipsius, septimus fuit. Pater quidem & mater eius, vt par erat, iam pridem mortem obierant. Cyrus verò cæsis hostiis legitimo ritu, & chorum duxit Persarū more maiorum, & munera distribuit inter omnes, sicut consueuerat. In Regia autem consopitus, tale quiddam somniauit. Videbatur accedere ad ipsum quidā specie humana augustior, & dicere: Vasa colligito, ô Cyre, iam enim ad Deos abiturus es. Huius somnij viso excitatus, scire propemodum se existimauit, quòd finis vitæ suæ adesset. Statim igitur captis hostiis, rem diuinam fecit Ioui patrio, & Soli, & cæteris Diis, in montium iugis, quemadmodum Persæ sacrificant, cum huiusmodi precationibus: Iupiter patrie & Sol, Deique omnes, accepta vobis ista sint, quæ facio multarum laudabiliūque rerum gestarum causā, necnon gratiæ, quæ habetur, propterea quòd mihi significastis tam extis quàm ostentis, quàm auspiciis quoque & ominibus, & quæ oporteret fieri, & quæ nō oporteret, Magnas etiam ago gratias, quòd & ego vestram de me euram intellexi: quòdque nūquam rebus secundis supra cōditionem humanam animus elatus est. Ac vos precor, vt nunc quoque felicitatem largiamini liberis, coniugi, amicis, patriæ meæ, & mihi detis finem talem vitæ, qualem dedistis ætatem. His peractis reuersus ille domum, quieti se dare decreuit, & decubuit: cūque tempus esset, accessere ij, quorum munus istud erat, & lauare eum iusserūt: Cyrus verò sese suauiter acquiescere dixit. Tum deinde cibum, quorum munus istud erat, apposuerunt: ac Cyri animus cibum ille quidem haud admittere, sed sitire sibi visus est, fuitque ei potus incundus. Cū autem eadem euenirent die postero, itēque perendino, accersit filios suos Cyrus (fortè enim illi in Perside aderant vnà ambo ipsum secuti) accersit itē amicos & Persarum magistratus: presentibusque iam cunctis talem orationem habere exorsus est. MEI FILII, vósque amici qui adestis, finis quidē vitæ meæ iam appropinquat, id quod

ex multis perspicuè cognosco: vos autem par est, postquã decessero, omnia de me dicere & facere tanquam beato. Nam ego puer omnium in pueritia laudabilium institutorum fructus percepisse me existimo, itémque adolescentiæ postquam annos pubertatis attigi, & pariter ætatis virilis, cum planè iam vir factus essem. Atque cum tẽpore procedente, simul animaduertere mihi visus sum, augefcere vires meas. Itaque senectutem meam nũquam sensi imbecilliozem factam quàm adolescentia fuisset. Neque ego memini quicquã aggredi me aut cõcupiscere, in quo me fortuna fefellerit. Vidi amicos mea opera vitam esse adeptos beatam: vidi hostes in seruitutem meam redactos: & patriam, cuius antea priuata condicio fuisset in Asia, honore & dignitate præstantem relinquo. Quæ autem acquisiui, ea cõseruata esse à me scio vniuersa. Sanè præteriti temporis actiones responderunt votis meis: metus tamen quidam affecla, Ne succedente tempore grauius quidpiam videndum, audiendũ, perpetiendum foret, non fuit me prorsus magno esse animo, & effusè lætari. Nunc verò ita moriens, vos filios meos primùm viuos relinquo, quos diuina mihi benignitas nasci voluit. Deinde patriam relinquo & amicos fruentes felicitate. Quid obstet igitur, quò minùs mihi contingat, vt memoria meï iure celebretur prædicatione vitæ beatæ sempiterna? Decet autem & regnum me relinquere, planè demonstrata sententia mea, ne in controuersia de illo, negotium vobis exhibeatur. Equidem vos, filij mei, ambos æquè diligo: sed principem esse cõsiliorum & ducem ad ea, quæ tempus & res postulare videbitur, iubeo sententia mea, eum qui prior natus, experientia quoque plurium rerum præstat. Atque ego similiter ab ista mea vestraq; patria institutus sum: maioribus natu non fratribus modò, sed ciuibus etiam concedere de via, de sedibus, deque orationis parte. Vos etiam ego, filij mei, ita à principio statim institui, senioribus vt honorem præcæteris haberetis, vtque vos iunioribus honore præiretis.

Qua

Quapropter sic ista quæ à me commemorantur, accipietis, ut antiqua, moribusque & legibus constituta. At tu quidē Cambyfes, regnum obtineto, & Diis & me, quantum in me est, tribuētibus: tibi verò, Tanaoxares, hoc tribuo, ut satrapa sis Medorum & Armeniorum & tertio loco Cadusiorum: quæ tribuens tibi, sic statuo, Imperium quidem me amplius itémque nomen regni relinquere maiori natu, tibi verò felicitatem magis expertem molestiæ. Nam quod delectationis humanæ genus desideraturus sis, non video, cum præstò tibi futura sint, quibus delectari homines existimantur, omnia. A damare autem difficiliora confectu, & sollicitari multis, & non posse quiete frui, instigāte contentionis cum rebus à me gestis studio, itémque insidias facere ac cauere: hæc nimirum regno patientem magis quàm te cōsectari necesse est, quæ planè scito, quòd multum impeditenti & moræ inferant delectationibus. Non ignoras autem tu, Cambyfes, nequaquam sceptrum aureum id, quo regnum conseruatur, sed amicorum copiam sceptrum esse & verissimum & tutissimū. Ne statuas verò nasci homines fideles. nam iidem ita fideles omnibus cognoscerentur, sicut eadem esse apparet omnibus, quæ naturalia sunt. Verumenimvero fideles qui sint, vnumquemque sibi ipsū efficere oportet. Parantur autem hi neutiquam per violentiam, sed potiùs per beneficentiam. Quòd si conaturus es, ut aliquos habeas socios in regni custodia, caue aliunde ordiaris, quàm ab eo, qui indidem procreatus est. Sanè ciuium familiarior est coniunctio, quàm extraneorum: & conuictorum, quàm eorum, qui contubernales non sunt. Ex eodem verò semine nati, & ab eadem nutriti matre, & in eadem dōmo crescendo educati, & quos iidem parentes amore complexi sunt, cum eandem matrem eūdemque patrem appellarent, quo pacto non sit inter hos maxima familiaritas? Ne itaque, ad quæ bona familiaritatis Dij sunt fratribus secuturis duces, ea vnquam per vos vana efficiantur, ac supra illa potiùs alia ædificando extrui-

te amicitia opera : atque isto pacto semper mutua inter vos amicitia inuicta erit. Sibi scilicet consulit, quicumque fratri prospicit. Cuinam enim alteri tantum decus adiungitur quàm fratri ? si frater vir magnus sit. Quis item honore tanto præpotentem aliquem efficere poterit, quàm frater ? Iam qui habeat fratrem virum magnū, eum quisnam violare non magis verebitur, quàm vllum alterum ? Nemo igitur alacrius obœdiat te isti, neque studiosius præstò sit. Ad neminem enim familiarius quàm te pertinent istius tam bona atque iucunda, quàm mala atque tristia. Cogita verò hoc quoque : Anne sperare possis vberiore fructum gratificando alteri cuiuis, quàm isti ? & Habiturusne sis vicissim socium periculorum firmiter isto, si ope eum tua adiuueris ? Quemnam autem non amare turpius est, quàm fratrem suum ? Quemnam item præ omnibus honorare laudabilius, quàm fratrem ? Ita tantummodo, ô Cambyfes, neque ab aliis inuidia accedit, si primas frater apud fratrem teneat. Per Deos patrios, mei filij, vos obtestor, alter honorem alteri habeto : si quidem & mihi, vt gratificemini, vobis curæ est. Haud enim existimare debetis, planè vos scire quòd penitus extinctus sim, vbi vitam hanc humanam finiero. non enim certè nunc etiam cernebatis animum meum, sed de iis, quæ exequebatur agendo, extare hunc depræhẽdebatis. Nondum verò animaduertistis ? animæ iniurias perpefforum quos terrores incutiant pollutis cæde, & quales scelerum vindices in impios emittant. Nunquid autem arbitramini permanere potuisse honores, qui habentur mortuis, si nullius rei potestas penes animos illorum esset ? Neque ego profectò, mei filij, persuaderi mihi istud vnquam passus sum, Quòd animus, donec in corpore mortali fuerit, viuat, & vbi ex hoc emigrauerit, mortuus sit. video enim illum efficere, vt corpora mortalia, quamdiu in ipsis inest, viuant. Ne hoc quidem persuaderi mihi potuit, insipientem esse animum ab insipiente corpore separatum : verum vbi sincera ac pura mens secreta fuerit, tunc etiam sapien

sapientia eam præstare conuenit. Corpus etiam cum dissoluitur, perspicuum est singula abire ad cognatum genus, excepto animo. hic enim solus neque cum adest, neque cum discedit, cernitur. Veniat & hoc vobis in mentem, Nihil propius ad mortem humanam accedere, quam somnum. Somni autem tempore diuinitas animi potissimum apparet, & futurorum ille aliquid præuidet. tunc enim, quemadmodum videtur, liberrimus est. Si igitur ita sese ista habent, vt ego existimo, & animus corpus relinquit, meum quoque vos animum reuerentes, ea quæ postulo, facite. Sin aliter, & animus in corpore remanens vnà cum illo emoritur, at Deos, quorum natura æterna est, quique intuentur omnia, & quorum maxima est potestas, & à quibus vniuersarum rerum ordo conseruatur exquisita ratione integer, neque vsquam deerrans, cum inexplicabili verbis pulcritudine & magnitudine: eos, inquam, metuentes, neque facinus patrabitis, neque consilium capietis à religione & pietate alienum. Secundum Deos sanè hominum genus succedens reuerebimini vniuersum. Non enim Dei vos in tenebris occultant, sed in cõspectu omnium semper viua esse opera vestra necesse est. Quæ si pura & ab iniuriis remota apparebunt, potentes vos coram omnibus mortalibus exhibebunt: sin quod iniustum sit, alter aduersus alterum animo conceperit, opinionem apud omnes homines amittetis, Fide vos esse dignos. Nemo enim tametsi ad hoc valde procliuis animo suo, fidem habere vobis possit, cum videat violari eum, ad quem amicitia maximè pertinebat. Hanc ego sanè doctrinam satis esse efficacem optarim ad vos instruendum, quæ mutua affectio vestra esse debeat: sin aliter, at vos de præteritis hoc perdiscite. Hæc enim præcepta sunt optima. Multi itaque sic egerunt vitam, vt parentes ipsi erga liberos itémque fratres suos amorem conseruarent: iam verò nonnulli his contraria erga sese mutuo designarunt. Vtris igitur actiones suas feliciter euenisse senseritis, eas si sequamini, rectissime cõsulueritis. Atque

de his fortasse satis. Meum autem corpus, mei filij, postquam mortem obiero, neque auro neque argento condite, neque altera re vlla : sed terræ quamprimùm reddite. Quid enim beatius, quàm cum terra commisceri, quæ omnia præclara omniâque bona cum procreat tum educat? Atque ego qui in primis humanitatem colui, existimo nunc quoque iucundam mihi fore eius consuetudinem, quod in homines est beneficum. Verum enim vero deficere modò animus meus videtur, vnde incipit omnes, vt apparet, ille relinquere. Si quis igitur vestrũ aut dextram meam contingere, aut oculos adhuc viuentis aspicere vult, is accedito. vbi verò ego obuoluendo me contexero, peto à vobis, filij mei, ne quis deinde mortaliũ meum corpus intueatur, ac ne ipsi quidem vos. Persas tamen omnes itémque socios cohortamini, vt assint ad monumentum meum, lataturi mecum quòd in tuto iam futurus sim, neque mali deinceps perpeffurus quicquam, neque si cum numine diuino versabor, neque si ad nihilum redigar. Quicumque autem aduenerint, eos affectos, quibus fas est ad viri beati memoriam beneficiis dimittere. Et istud meum, inquit, postremũ memineritis: Bene amicis faciendo, inimicos poteritis castigare. Ac valete, dilecti filij mei, idémque à me nuntiate matri vestræ: vósque etiam amici tam præsentés quàm absentes omnes valete. Hæc locutus, & dextra complexus cunctos, ira obiit mortem. Sanè præclarissimum & maximum omnium in Asia, Cyri fuisse imperiũ, ipsum de se testatur. fines enim habuit, ad solis ortum, Mare rubrum: ad septentriones, Pontum Euxinum & Propontidem & Hellepontum: ad solis occasum, Cyprum & Ægyptum: ad meridiem, Æthiopiam. Cùmque tanta esset amplitudo illius, vnus tamen Cyri sententia gubernabatur: atque ipse ditioni suæ subiectos tanquam liberos in honore habere & curare, qui verò sub imperio eius erant, ij Cyrum tanquam parentem venerari. **P O S T Q V A M** autem Cyrus mortem obiit, statim & filij eius inter se dissidere, & ciuitates

tates gentésque deficere, & omnia vergere in deterius cœperunt. Quòd autem vera narrem, id à rebus diuinis ordièdo sum edoèturus. Scio enim priùs regem, regísque imperio subiectos, quamvis aliqui postrema facinora fecissent, siue iusiurandum iurassent, hoc conseruasse: siue dextris iunctis fidem dedissent, eam firmam præstitisse. Quòd nisi tales essent & in istiusmodi existimatione, vt nunc nemo (postquam nota est impietas eorum) fidem ipsis habet, sic non habuissent fidem tunc illis, ductores militum qui in Cyri nuper expeditione fuere. Iam verò priore existimatione eorum hi freti, crediderunt se potestati illorum, & deductorum ad regem capita cervicibus fuerunt abscissa. Multi etiam ex cæteris Barbaris qui in eodem fuissent exercitu, alij aliter fide interposita, decèpti interierunt. Sed & in his multò nunc sunt deteriores. Priùs enim, si quis vel pro rege periculum adiret, vel potestati ipsius ciuitatē gentémve subiiceret, aut aliud quidpiam perficeret, quòd ad illius laudem & cōmodum pertineret, isti ij erant qui hōnoribus afficiebantur: iam verò, si quis, sicut Mithridates patre Ariabarzane prodito: & si quis, quemadmodū Leomithres, vxore & liberis, & amicorum sobole obsidum loco apud Ægyptium relictis, & sanctissimo iureiurando violato, existimetur vtilitatis aliquid regi conciliaffe, ij sunt, qui maximis honoribus condecorantur. Hæc cernentes igitur omnes, qui incolunt Asiam, ad iniusticiam & impietatem modò pariter sunt conuersi. Nam quales ipsi principes sunt, tales ferè esse solent subiecti potestati illorum. Atque hac in parte maior extat impietas horum, quàm priùs: iniusticia autem maior, quòd ad pecunias attinet, isto pacto. Non modò enim eos, quorum multa peccata sũnt, sed qui omni etiã culpa carent, compræhèdentes, pecunias nullo iure cogunt persoluere. Itaque nihilo metuunt minus, si qui locupletes putantur, iis qui multa iniusta facinora commiserunt. Nequè cum potioribus congredi volunt, neque cum regio sese exercitu coniungere audent. Quaprop̄ter

si quis bellum cum Persis gerat, in regione ipsorum vagari liberum est absque proelio omnibus suo arbitrio, propter illorum & erga Deos impietatem & in homines iniusticiam. Atque hoc pacto animis illi quidem prorsus his temporibus quam olim deteriores sunt. Quod autem nunc corporis quoque curam minus quam prius suscipiant, id deinceps narrabo. Erat enim in horum institutis, neque expuere, neque emungi. Perspicuum autem est, hunc morem non ideo esse introductum, quod humori in corpore parcerent, sed quod laboribus & sudore consolidari corpora ipsa vellent. At nunc manet illud quidem, Non expuere, neque emungi, sed labori nulla amplius operatur. Iam & hoc pridem in ipsorum fuit institutis, semel ut cibum caperent, ut toto die ad actiones & labores abuterentur: nunc vero semel cibum capere, manet illud quidem, sed ordientes hunc, quo tempore solent qui maxime marutino prandent, tamdiu comedere & bibere perseverant, quamdiu, qui maxime sero cubitum eunt. Erat in eorundem institutis & hoc, Non afferri calices in conuiuium, nimirum quod dicerent potu minus abundante, minus labefactari tam corpora quam animos: ac manet hoc, Non afferri calices, nunc quoque, ipsi vero tantum bibunt, ut afferentium vice ipsi efferantur, dum sese erigere amplius & exire nequeunt. Quin hoc etiam consuetudine apud eos patriæ fiebat, ut interea dum iter facerent, neque comederent, neque biberent palam, neque quicquam quod ideo fieri necesse est, exequerentur: nunc autem manet ista sane abstinentia, sed itinera adeo breuia faciunt, ut necessitate ea abstinere, nihil sit mirandum. Iam in venationem prius toties egrediebantur, quoties ad exercendum se & equos satis esset. Postquam vero Artaxerxes rex & familiares ipsius vino obrui cœpere, non itidem tunc & ipsi egredi, & alios educere venatum: immo si qui laborum essent amantes, & cum equitibus suis venarentur, eis illi palam inuidere, ipsosque tanquam præstantiores odisse. Iam puerorum ad fores institutio & ipsa

ipsa adhuc permanet, sed rei equestris disciplina ac studium extinctum est, quòd eò non veniant, vbi specimen dando, bonam existimationem pararent. Et, quòd illic priùs pueri audientes iusta iudicia iudicari, discere iusticiam credebantur, id ipsum quoque penitus est peruersum. Planè enim vident eos esse superiores, qui plurima fuerint largiti. Nascentium etiam è terra vires prioribus pueri temporibus cognoscere studebant, vt vtilibus bonisq; vterentur, & nocentia ac mala vitarent: nunc similes illi sunt iis, qui ista edocentur ideo, vt quamplurima maleficia factitent. Nusquam igitur, quàm illic, plures venenis vel necantur, vel perniciosè læduntur. Voluptati quoque & deliciis magis dediti iam sunt, quàm Cyri temporibus. tunc enim adhuc disciplina atque continentia Persica, & vestitu munditiæque ac elegantia Medorum utebantur: nunc verò Persarum patientiam extingui nihil curant, sed molliem Medorum omnino conseruant. Volo autem planè ostendere delicias & voluptates illorum. Primùm enim nõ est eis satis, si cubilia molliter strata sint, verùm sponдарum iam pedes supra tapetia collocant, ne pauimentum obnitatur, sed tapetia vt ponderi cedant. Quæ coquuntur & parantur ad mensam, eorum quicquid priùs inuentum fuit, nihil est deminutum, ac noua potiùs indies artificia horum exquiruntur. idem fit & de obsoniis. habent enim penes se eos qui in vtroque genere aliquid noui proferant. Iam in hieme non satis illis est tegi caput, corpus & pedes, sed extremis quoque manibus atque digitis integumenta densa circumdant. At æstate nõ sunt vel arborum vel specuum vmbri contenti, sed circumstant tunc quidam aliorum insuper vmbra culorum artifices. Pocula quidem si possideant quamplurima, hanc illi speciem ostentare solent, verùm nihil etiam pudet, si iniustis malisque artibus manifestò quæsitæ sint. nam mirificè creuit apud eos iniusticia & turpitudò quæstum. Fuit sanè antea quoque in patriæ ipsorum moribus, Ne quis conspiceretur in itinere pedes,

non aliam ob causam, nisi ut rei equestris fierent maxime periti: nunc autem stragulorum plus in equis, quam cubilibus habent. non enim tam equitatio, quam mollis fessio, illis curæ est. Ad rem sanè bellicam quod attinet, annon meritò his temporibus quàm superioribus deteriores esse videantur? Cùm patriæ consuetudine olim agros & solum possidentes, inde equites ad militiam præbere oportuerit: itémque præfidiarios, si quando exercitus copiis regio defendenda esset, stipendia accipere & militare: nunc verò ianitores, panis & cæterarum escarum cocos, pincernas, balneatores, apponentes auferentesque cibum, deducentes cubitum & excitantes de somno, qui exornant aspergendo pigmenta & illinendo fucos, & componendo cætera: eos cunctos equites faciunt qui potestate excellunt, ut stipendia sibi mereant. Multitudo igitur ex his manifesta est, sed expers omnis ad bellum utilitatis: id quod res ipsa declarat. Nam in ipsorum terra facilius hostes victum inueniunt, quàm ciues. Cyrus etenim qui eminus præliari ipsos amplius nollet, quique armis tam ipsos quàm equos muniisset, tradita vna in manum cuique tragula, ita cominus prælium commisit. Nunc autem neque eminus amplius, neque manus cum hostibus conferendo præliantur. Atque habent pedites quidem parmas & gladios & secures, tanquam Cyri tempore dimicaturi, sed manus conferere ne isti quidem volunt. Non utuntur etiam modò falcatis curribus, sicut Cyrus instituit. hic enim & honoribus auctos, & virtute exercitatos habuit aurigas, qui in grauem armaturam impressionem facerent: hac autem ætate, cùm aliquibus ignoti planè sint, qui curribus imponuntur, putant tamen illi se inexercitatos exercitatis pares esse habituros. At isti aurigæ impetum quidem faciunt, sed prius quàm intra hostes penetrent, alij sua sponte excidunt, alij desiliunt, ut plerumque iugales destituti aurigis grauius affligant suos quàm hostes. Quia sanè ipsi intelligunt qualis sit bellicus eorum apparatus, ideo hanc concedunt laudè aliis, neque

neque quisquam iam sine Græcis bellum suscipit, neque aduersus sese, neque Græcis exercitum cōtra ipsos adducētibus, quòd cum his quoque ita statuunt belligerandū esse vt auxilia habeant ipsi Græcorum. Atque ego susceptum argumētum me explicuisse arbitror. Aio enim demonstratum esse, quòd Persæ, cūque Persis coniuncti, & erga Deos minùs religiosi, & in suum genus magis impij, & erga cæteros iniustiores, & ad bella ignauiores modò sint quàm pridem. Quòd si cuius sententia est meæ huic contraria, is intueatur in opera ipsorum, & comperiet ea ipsa testimonium perhibere iis, quæ à me commemorantur.





IOACHIMI CAMERARII
AD LIBROS XENOPHON-
TIS ΚΥΡΟΥ ΠΑΙΔΕΙΑΣ, ID
EST, DISCIPLINAE ET IN-
stitutionis Cyri, Addi-
tiones.

* *
*



DE XENOPHONTE, qui est autor horum librorum, narratio nostra extat, ante annos complures edita, quam curauimus his quoque libris illius à me in sermonem Latinum conuersis præponendam. Opus autem hoc Κύρου παιδείας, id est vita, disciplina & institutionis seu educationis Cyri, nõ ad historiae fidem scriptum, sed ad effigiem iusti imperij, (vt est in epistola M. Ciceronis ad Fratrem: Cuius, inquit, summa grauitas ab illo Philosopho cum singulari comitate coniungitur, quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat. nullum est enim prætermissum in his officium diligentis & moderati imperij. Et in alia quadam epistola idem Cicero iocans, se libros istos legendo dicit contriuisse) hoc igitur opus in omnium semper admiratione summa fuit, non propter tantarum modo rerum, quantas Cicero memorat, explicationem, sed ideo etiam, quòd cum verborum proprietate, tum cõpositionis venustate, tum sententiarum quoque grauitate, & expositionis vniuersa elegantiã facillè præstaret scriptis omnibus omnium, etiã huius ipsius autoris. Neque est adeo vlla. etas, conditio, genus, sexus hominum, quin quod ad se pertineat & utiliter à se cognoscatur, in his libris inuenire possit. Constatendum tamen est potissimum.

mum legendos hos esse ab iis, qui rempublicam administrare velint, & gubernatoribus ciuitatum aliisque principibus & maxime regibus. Ad historiam autem quod attinet, etsi Cicero veritatem auctori cura non fuisse suspicatus est, & in medio sunt diuersa narrationes aliorum, quae suis locis à nobis referentur: nos tamen fidem ei nonnullam habeamus licet, & ipsum non temere, quae de Cyro litteris mandauit, perscripsisse, sed aliquos, qui illas eodem modo res exposuissent, secutum fuisse, & fando quoque multa conuulsiue credamus. Et traditur Xanthum Cādaulis filium Lydum fuisse historiae scriptorem, qui iis temporibus vixerit, quibus Cræsus rerum potiretur, & veniret captis Sardibus in Cyri potestatem, quem fortasse hic autor secutus sit. Nominatur & Dinon antiquus scriptor historiae Persicae. Ipse quidem Xenophō in proaemio huius operis, non modo argumentum huius, sed suum quoque consilium in hoc componēdo indicat atque declarat: quod proaemium capita habet duo. Primum, quo multis exemplis colligit, nihil esse difficilius inter homines, quàm regere alios, & laudabiliter imperio praesse. Hoc primum hominum iudiciis commemoratis, deinde comparatione principatus in non sui generis animates, demonstrat. Secundo capite vnius Cyri exemplum opponit superioribus cunctis, & de illo statuit: Hominum inscitia corrumpti imperiorum prosperam fortunam, siquidem Cyrus rex & sua potestati subiicere, & non modo in officio, sed amore etiam sui subiectas potuerit continere tam multas tamque varias gentes atque nationes: atque ista occasione, ut qua ratione & via hoc ille esse consecutus perficereque videatur, planum fiat, historiam de ipso se conscribere voluisse ait. De Cyro autem si quid dicendum est, ut est breuiter, sciendum, Hunc, consentientibus omnibus (excepto Ctesia Gnidio, qui perhibetur tradidisse, nulla Cyrum cognatione attigisse Astyagem) fuisse filium Mandanes Astyagis Medorum regis filiae, & Cambysis filij Achamenis Persae. Itaque oraculum Mulum hunc appellauit expositum ab Herodoto, quod matrem haberet nobiliorem & ignobiliorem patrem. Id oraculum in Latinos versus nos aliquando transtulimus tales:

Ast vbi Medorum ius regni Mulus habebit,
Lyde tenelle pedes, illuc qua calculus Hermi

Crebër inundat aquis, tunc aufuge. nec properanti
Vlla moram obiciat res, nec nihili esse recusa.

Cætera autem iam aliter ab aliis, ut rerum præscarum ferè est varia ac mirifica expositio, referuntur. Nam ut aliquem à cerua, Telephum nisi fallor, ab ursa Paridem, à lupa autem Romulum, ita hunc à cane enutritum fuisse, fama dissipata fuit. Herodotus pastoris uxorem, cuius fœtus mortuus pro Cyro expositus, & cui ipse Cyrus suppositus fuerit, habuisse nomen $\chi\upsilon\upsilon\delta$ scripsit, & ex eo fabulam caninæ nutritionis ortam: ut hinc iam lupa Romuli producta esse iudicari possit. Sed de his hæcenus. cognoscere autè plura volentes habent narrationes Herodoti, quæ sunt in medio. Hoc est isti regi inprimis gloriosum, quòd testimonium habet vaticinationis cælestis, quo nomen etiam ipsius, annis ante quàm nasceretur, fermè C L X X. proditum fuit ab Esaia propheta, prædicente hunc regem liberaturum Israëlitas, & instauraturum templum ac cultum diuinum Hierosolymis. Et ideo Sacrarum litterarum periti in ea sunt opinione nonnulli, Sanctum hunc atque religiosum regem fuisse, & Herodoti narrationi, & iis quæ ex Ctesia narrationibus referuntur, neutiquam assentiuntur. Dimisit autem Cyrus Iudeos liberos, deductos Babylona ab Assyriis, cum Nabuchodonosor urbem cepisset, & illam unà cum templo diruisset ac inflammasset. Ac numerantur quidem ad Cyrum in Iosephi libro x. anni ab expugnatis Hierosolymis C. cum alij dimidio minorem numerum hunc tradiderint, & ille omnino septuaginta annos secundum vaticinationem Hieremiæ excedere non debeat. Notum autè est Græcos centum nota littera ρ . indicare, & septuaginta nota littera σ . potuitque facillè accidere, ut unam litteram scriba pro altera posuerit. Sanè narrationes de Cyro ne ipsius quidem huius auctoris inter se consentiunt. nam his in libris dicitur, Cyrum Persam Cyaxari Medo consobrino suo acquisivisse imperium Asiæ, mortuo iam Astyage auo, & ipsum Cyaxaris filiam habuisse coniugem, & regnum ad eum, mortuo Cyaxare absque masculi sexus liberis, pervenisse: in tertio autè libro $\alpha\upsilon\tau\alpha\beta\alpha\tau\epsilon\omega\varsigma$, id est, De expeditione Cyri minoris, planè perhibetur, Medis esse ereptum imperium & regnum illud occupatum à Persis vi bellica & armis hostilibus. ut liceat cuique de his etiam, quemadmodum aliis

aliis priscis rebus, id probare & credere, quod libuerit, & veri fuerit visum esse simillimum. A Cicerone libro primo De diuinatione, mentio fit librorum Persicorum Dionysij, in quibus triginta annorum regnum somnio quodam portendi Cyro dixisse Magos, traderetur: & ibidem scribitur, Ad septuagesimum annum peruenisse Cyrum, cum quadraginta natus annos regnare cepisset. Atque hæc summam ad istum modum indicata esse nunc satis haberi poterit, cum suis locis quæ singulatim addenda putauerimus, non simus prætermisuri. De historiae autem genere, & istorum scriptorum tam ratione quam utilitate, aliàs etiam aliquid diximus, & multi alij disseruerunt. Neque ego quicquam melius ac luculentius puto ab ullo dici posse eis, quæ extant in Ciceronis libro secundo de Oratore: quibus commemorata à Quintiliano, qui volet, adiungat. Sanè si prima est lex historiae, quemadmodum Cicero scribit, & statui debet, Ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne quasi simultatis: & esse historicos libros hos Xenophontis & non esse, dici possit, quod propositum auctori non fuerit, exquisitam rerum gestarum veritatem exponere, & ea tamen ille commemorari studuerit, in quibus nihil falsi reperiret, qui spectaret consilium ipsius, & unde omnis suspicio gratiæ simultatisque abesset, ac ubi libertatis ingenuæ oratio eluceret. De quo plura nunc dici non est necesse. Ad utilitatem verò quod attinet historiae, prædicationes sunt magnificæ in medio, & sententia est præclara Polybij à me etiam alibi recitata, Nullam copiam facilius parari posse ad salutem, potiore aliam, quam cum maxima suauitate coniunctam historiarum lectionem, & ex ea comparatam experientiæ facultatem. Verùm honestatis species est maior. Quod si de vllis inuentis humanis, de historiarum certè monumentis videtur id esse verum, quod apud Herodotum legitur: πάλαι δὲ τὰ καλὰ ἀνθρώποις ἐξέρχεται ἐν τῷ μακράνῳ δεῖ. Nam ad laudabilis voluptatis commendationem quod pertinet, haud scio an homini non prorsus inerudito atque agresti, nullius elegantis picturæ, aut signi artificiosè efficti aspectus esse possit incudior, quam lectio narrationis rerum memorabilium copiosa atque ornata. Neque cognitio rerum gestarum & memoriæ veteris oratori tantummodo, secur-

dum Ciceronem, sed omnibus non leuibus neque futilibus, & à studio humanitatis bonarumque artium alienis, inprimis autem honoratis viris expetenda est, simul pulcritudinis, simul delectationis, simul & fructuosa bonitatis gratia. Nescire enim quid ante quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est etas hominis? nisi cum memoria rerum veterum cum superiorum etate contextitur. commemoratio autem antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione & auctoritatem orationi affert & fidem, quemadmodum Cicero ait in Oratore. Neque ob stare debet dubitatio de veritate huius narrationis: cum posita atque concessa illa arbitrio legentis, commoditatem eam, quae est demonstrata, lectio tamen horum librorum nihilominus allatura sit. Quod si vlla in re rerum humanarum opinio Protagorae locum habere debet, in historicis certe scriptis inuenire ea vel praecipuum videtur, ut quod cuiusque legentis admittat sententia, & iudicium amplectatur, id ita sese habere sit existimandum. Verborum quidem ratio in historia & orationis genus, quod Cicero dicit fusum atque tractum, & cum lenitate quadam equabili profluens prosequendum esse, in Xenophontei scriptis eminet, & est illustre, cum illo sono leniore quodam qui impetum oratoris, quemadmodum Cicero hunc cum Callisthene comparans inquit, non habeat, vehemens minus sed aliquantò dulcius. His fortasse nunc addendum istud quoque est, Historiae genus esse unum, quo rerum negotiorumque omnium causis, occasionibus, modo, euentis singulatim explicatis unà cum nominum mentione, & personarum locorumque descriptionibus, narratio aliquibus temporibus & aliquo de populo, gente, regno, imperio pertexitur continuata atque integra: quae à Graecis *ἱστορία* historia appellatur. Alterum genus, vnius regis, principis, priuati ortum, mores, fortunam, actiones, vitam, mortem enarrans: quod est coactius atque angustius, vni tantum persona inherens. Sicut Graeci aliquorum, vel nomina tantum inscribunt: ut Agesilaus, Alexander, Galba. Prioris etiam generis, id est historia *ἱστορία*, quasi partes quadam erunt, descriptiones certorum negotiorum & rerum singularium, ut Troicum bellum, Callisthenis: Tymaei, Pyrrii: Numantinum, Polybij, ut est in epistola Ciceronis ad Lucium

ceium: itémque Catilinaria & Iugurtina, & Piraticum bellum: Civile bellum inter Casarem & Pompeium: Appiani, & similes narrationes. Est autem hæc historia talis, ut ad neutrum commemoratorum generum planè quadret, & cum in posteriore poni posse videatur, ad prius tamen etiam referri illam nihil prohibeat, quòd non modo Cyri, sed omnino Persica quædam ista sit historia. Autor titulū huic fecit *παιδείαν κρόνον*: quòd conaretur ostendere Cyrum haud fortuito ad tantam excellētiā peruenisse, neque casu ad maximum imperium euectum esse, sed cum seuerissima in disciplina educatum, tum optimis præceptis instructum, tum etiā exercitatione & usu ad laudem & decus assuefactum, cūmque esset natura optima & summum ingenium, ita ipsum sibi sapientia & virtute fixisse fortunam, ut dicitur: & non modo occupasse maximū & opulentissimum Asiæ regnum, sed illud etiam constituisse atque sic fundasse, ut post eū in successorum cū importunitate tum ignauia, tamen illud staret annis amplius ducentis. Hoc absque præstanti cū natura ingeniique bonitate, tum sanctitate disciplina, & diligentia institutionis, denique absque excellentia maximæ virtutis ac sapientiæ obtineri ac perfici non potuisse, sentit Xenophon. Plato tamē in tertio libro de Legibus, cū fateatur Persicum imperium, quod longè à violenta sauitia ac crudelitate abesset, & plurimos subiectos potestati suæ habuisse, & hos in officio facillè continuisse, & fuisse Cyrum egregium imperatorem, imprimisque amantem patriæ, disciplinam tamen & institutionem laudabilem illi defuisse ait: id quod aliqui hunc contra Xenophōtem ita tradidisse, suspicati fuere, quemadmodum in narratione de Xenophonte nostra dictum est, ut de hoc in præsentia prolixius differendum non sit, redeundūmque potius ad librorum Xenophontis lectionem: Quam, etsi hæc tempora eiusmodi sunt, in quibus neque ratione ac consilio res negotiāque suscipi, neque constantia atque virtute geri videntur, denique quibus pudori, bonis artibus, humanitati, veritati, sapientiæ, non multum loci relinquitur, tamen profuturam studiosè & diligenter in hac versantibus sperandum, aut si etiam utilitas absit, liberalis tamen delectationis & honestæ voluptatis causa, huic operam dandam esse existimamus. Quamvis verò, ut Heracletus fertur scripsit-

*se, ἢ τῆς γερνύτων γνώσις πολυμαθεῖν νόον οὐ φύει, quo dicitur, Præteritarum rerum notitia non gigni in multiplice cognitione intelligentiam, & Non est scientiæ efficiens memoria atque sensus, fatendum tamen est afferri plurimum ab his adiumenti ad cōsiderationem & explicationem, atque adeo iudicium de vniuersis, in quibus mentis vim exerceri & aciem penetrare longius necesse est. Multa enim consimilia perspiciendo, ita ea ipsa comprehensione nostra conformamus: dumque animaduertimus complurium negotiorum consentaneos exitus, ad caussarum deprehensionem vestigando peruenimus: ubi autem causæ præteritorum euentuum iam patent, futurorum quoque coniectura, de similitudine, facile capi potest. Ut igitur secundum Pythagoreos, referente Proclo, αἱ τῆς δεξιῶν ἀναμνήσεις τελειωτικαὶ τῆς ψυχῶν εἰσὶ, id est, Recordationes de priore vita animorum hos ipsos perficiunt, in his nimirum pariendo scientiam: sic veterum temporum quasi representatio, quod est historia opus, absolueda prudentiæ humanæ præcipuum est instrumentum. Iam cum præceptiones putentur ad doctrinam virtutis sapientiæque in bonis naturis & non futilibus ingeniis plurimum habere momenti, potentissimum autem genus docendi sit appositio exemplorum, quod illarum obscura subtilitas horum splendore illustretur: Historia omnino lectionem ad docendum efficacissimam esse manifestum fit, quæ virtutis pulcritudinem vitiorumque deformitatem, & verbis differendo indicat, & personis negotiisque exprimendo declarat. Quemadmodum autem, ut fruges percipiantur, creuisse eos oportet, id quod absque satù ac cultu fieri nequit, ante omnia preparato aruo natura fertili, & benignitate diuina prosperum euentum largiente, ut neque tempestatibus, neque alia pernicie fruges intereant aut corrumpantur: ita ad fructus virtutis & sapientiæ in hominum vita, opus est idoneo ingenio & natura apta, quæ veluti conferantur studio & industria docentium atque discipulorum. Et ad hæc tamē omnia optima, ut & quod operæ precium sit, fiat, & aliquem spes non frustretur neque fallat opinio, utque exitus sint felices, accedat singularis fauor clementiæ diuinæ necesse est. Quæ qui diligenter considerauerit, is facile intelliget cur ad paucos vtilitas ista, de qua loquimur, perueniat. Nulla enim doctrinæ
*præce**

præceptio, nulla legum edictio, nulla institutionis diligentia, tantam vim habet, ut ipsa per se efficiens sit præclari & egregij operis, sed tanquam in pila lusu coniciendam habere eum oportet, qui nauiter excipiat. Quantumvis autem aliquorum magnum sit in isto genere artificium, ut bene tamen succedat, aliqua ope externa accedente præstatur, quam vulgo homines Fortunã appellare consueuerunt. Verum (huius enim quasi scholæ explicatio nunc opportuna non esset) his isto loco relictis, ea, quæ ad hos libros à nobis studiose ex Græco sermone in Latinum conuersos addenda alicubi putauerimus, deinceps prosequamur. Hoc silentio præterire non potui: ut proba atque recta ingenia ex historiarũ studiosa lectiõne plurimum vtilitatis percipere possint, sic improba atque praua nõ solum congruentibus peruersitati & animo malo narrationibus fieri sæpenumero deteriora, irritantibus his procliuitatem ad vitia, sed præclaris etiam & bonis sententiis detorquendo has ad suarum cupiditatum confirmationem, cum flagitiosè tum sceleratè abviti solere. De quo pertinentia ad Xenophontis in hoc proæmio commemorationem, quæ Philon Alexandrinus scripsit, non duxi alieno loco ascriptum iri. Ille igitur recensens legationem ad C. Casarem suam, talia quædam prodidit: C. Casar iam vndique omni metu sollicitudinèque liber intra fines naturæ humanæ permanere æquum non putauit, atque hanc despiciens studuit Deus haberi: inque istius dementis stuporis initio tali esse eum oratione vsus ferunt: Quemadmodum qui cæteris gregibus præsumt bubulci, caprarum custodes, pastores, neque boues ipsi, neque capra, neque oues, sed homines sunt, potiorem sortiti apparatus: ita me quoque, qui præsum gregi optimo generi humano, statuendum est esse præstantiorem neque similem hominis, & maius diuinusque fatum mihi contigisse. Hactenus Philon. Atque est credibile vel legisse ista Xenophontea C. Casarem (nõ enim inruditus fuisse traditur) vel audiuisse recitari, & inde argumentum duxisse ad furiosam istam cogitationem approbandam. Quo commonefaciendi causa ut valde insigni exemplo demonstrato, non malitiæ neque leuitatis, sed impudentiæ atque vesaniæ hac in parte, ita exequamur inceptum.

AD LIBRUM PRIMVM XE-
NOPHONTIS DE DISCI-
plina Cyri.



*H*OC Libro exponitur Cyri genus & origo & habitus corporis atque animi, necnon vita ac disciplina secundum leges & instituta Persarum, quæ verbosè enarratur. His additur aduentus matris Cyri visentis patrem Astyagem, & adductio Cyri habentis annos XII. & quam vitam apud auum ille remanens egerit. Post hæc dicitur arma Cyrum induisse primùm annos natum XV. & profectum esse in expeditionem cum auo aduersus Assyrios ingressos in Mediam. Et mox ætate virili accersitum à patre Cyrum in Persidem reuersum esse: & postea Astyage mortuo successisse patri Cyaxarem Cyri auunculum, & missas huic esse auxiliares copias à Persis aduersus Assyrios ductore Cyro: deductumque hunc à patre Cambysæ abeuntem cum exercitu, usque ad fines terræ Persicæ, & refertur luculentum colloquium inter hos, instruente filium patre multis vtilibus & salutaribus præceptis.

A Persidis. pagina 19. versu 16. Perhibent Perseum filium Iouis secundum fabulas poetarum, & Danaës filia Acrisij suscepisse ex Andromeda Cephei filia Persen filium, & eum reliquisse apud socerum Cepheum, cuius posteritas sint reges Persarum. Fuere qui ad filium Medæ Persen referrēt regni Persici constitutionem. Cambyses autem, cuius filium Cyrum fuisse perhibet Xenophon, habuisse traditur patrem Achaemenem, vnde & Achaemenidæ Persæ appellati sunt. Astyages autem, secundum Herodotum, filius fuit Cyaxaris, nepos Phraortis, pronepos Deiocis primi regis Medorum.

A Barbaris decantatur. 19. 19. Talium carminum exēpla in nostra gente quoque habemus, celebrantia virtutem priscorum fortium virorum, & habent similiter alia nationes: quæ etsi sinceram veritatem non exponunt, & fictitiis fabulis sunt referta, fuisse illos tamen, qui celebrantur, viros cæteris præstantes & egregios declarant.

Non indidem vnde al. 19. 28. Interpretati sumus ea, quæ
exta

extarent in vetere libro allato ex bibliotheca Budensi & mecum communicato à doctiss. viro Vincentio Obsopæo. In illo enim hæc leguntur: ὅτι μελούμνοι, ὅδε ἐνθεν, ὅθεν ἐν ταῖς πλείταις πόλεσι ἀρχονται. Videtur autem Xenophon exprimere hoc loco voluisse narratione sua formam ciuitatis Laconicæ, in qua sola constitutam fuisse legibus puerilem educationem scripsit autor quoque Ethicorum Nicomacheorum libro ultimo. Persicam autem disciplinam etiam Herodotus libro primo narrauit, quæ narratio historia gratia rectè assumi poterit: atque pertinet huc sententia præclara Horatij, Quid leges sine moribus Vana proficiunt?

Regia & curia est. 20. 4. τὰ βασιλῆα, ædificia sunt regia, seu ades regum: ἀρχεῖα verò ades publicæ, quarum Latinum nomen curia est: forum autem locus, ubi homines conueniunt ad res agendas & gerenda negotia, siue à ferendo, id est τῆς φρεῖς, siue aliunde factum. Similis significatio est τῆς ἀρχεῖς, ἀπό τῆ ἀρχεῖς ἐκεῖ τοῦς ἑωερχομῆους.

Ephebi autem. 20. 15. Hoc Græcum nomen Latini retinuerunt: ut, iste ephebus frater Phædræ: dicuntur iidem & ᾠροῖοι, atque indicatur ætas pubertatis, qua ætate vires corroborari solent: quæ Latinis est adolescentiæ. Gymnica arma nimirum leuiora appellat: quod & ipsum Græcum nomen tritum est in Latino sermone.

Si qui tem. 21. 3. In Græco est ἀδικως, quod ad verbum Latinè diceretur Iniuste. Nobis illud arrisit, quòd legibus Romanis quoque pœna constituta fuerit temerè litigantibus.

Iudicium autem dant. 21. 4. Nos exprimere aliquam sententiam de edita in libris ferè omnibus scriptura sumus conati: sed vera mihi scriptura Græca talis videtur, διέξισι δὲ καὶ ἐγκλήματος, ὅ ἐνεχῆ ἀηρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλοις μάλις, διέξοντα δὲ ἥκιστα, ἀχαριστίας: quæ ita poterunt in Latinum sermonem conuerti: Iudicium autem dant de crimine, propter quod inter homines odia mutua existunt maximè, in iudiciis verò postulationes sunt minimè, nimirum neglectæ gratiæ, seu obliuionis animi ingrati. Atque extat in nostro vetere libro ista scriptura planè. Aliqua tamen recentior & minùs artificiosa manus ascripserat, ὅδε, ut cõiectura in promptu sit, istud ὅδε, tanquam interpretans illud

ἤνικα, ita additum deinde inculcatum fuisse: id quod sæpe accidisse à diligentibus veterum scriptorum lectoribus deprehenditur.

Temperantiam atque mod. 21. 13. σωφροσύνη est unum ex lingua Græca peculiaribus & singularibus nominibus: Cicero- nis interpretatio est temperantiæ, moderationis, frugalitatis, significatur & sobrietas, & castitas, & pudicitia: & ponitur hoc no- men contra stultitiam atque leuitatem.

Abstinentes esse. 21. 18. Alia laus est ἐσκρατείας, & alia Ἐωφροσύνης, secundum Aristotelem, de quo nos alibi: sed ἐσκρα- τεία omnino est abstinentia seu continentia, ab iis & in iis, quæ in- cunda & grata esse solent, ἀπὸ τῆς κρατεῖν, id est ut aliquis potior sit aliquibus rebus, quæ nunc commemorantur: & similiter in Py- thagoricis versibus dicitur:

Κρατεῖν δ' εἰρήσο τῶνδε,

Γαυρὸς μὲν ὀρώπιςα καὶ ὑπὸν λαγνείησε.

Magistris dimitt. 21. 20. ἄρχοντας sumus interpretati magistrōs: in utroque enim nomine est significatio principis at- que presidis & præfecti. ut γυμνασίαρχος, magister palestra, qui Plauto Bacchidibus est gymnasij præfectus. Est ἵππαρχος, præfe- ctus & magister equitum: ναύαρχος præfectus & magister classis: & Latino nomine magistratus planè est ἀρχή: ut autè discrimi- nis aliquid esset, διδάσκαλον vocauimus præceptorem.

Ampullam. 21. 24. κώτων poculi genus est, quò militantes vsi fuere, propter commoditatem condendi in bulgâ seu sarcinam. itaque ampulla nomine interpretati illud sumus. κώτωνισσα autem Græcis sese poculis largiùs inuitare: & κωδωνισμός, medicina cra- pulæ, perscripta in epistola Mnesitheï apud Athenæum libro XI.

Offa sit & pa. 22. 29. μάζα significationem habet subactæ farinae aut poltæ, de quo Latinum nomen offæ rectè vsurpari pos- se putauimus, præsertim cum Græci ὑγρὰν quoque μάζαν nomi- narunt.

Sapientia & virtute præst. 22. 36. δαημονέσατοι καὶ ἀνδρι- κώτατοι. scientia enim est omnino sapientia, & fortitudo virtu- tis, ut Græca non malè expressa esse confidam.

Prædones excip. 23. 5. ὑπεδραμεῖν est cursu subire, id est non pati prauertendo elabi. id quod verbo Latino Excipere, etiam signi-

significatur.

Inde etiam nomen hab. 23.17. ἀσχήμα χαὸπλα καλόμενα: id est, quæ appellantur arma apta ad pugnam comminus pugnandam.

Machæram dextra. 23. 19. μάχουραι ἢ κοπίδα. Plautus quoque machæra nomine usus est, in quo esse significationem pugnae apparet: κόπις autem à percullendo cultri quodammodo habet significationem. omnino autem gladij apti ad ferendum Græcum nomen est. Atque haud scio, an possit accipi hoc nomen ἐξηγητικῶς, ab autore additum, ut de qua machæra loquatur planè possit intelligi: secundum quæ interpretatio esset talis, Deinde machæram seu gladium dextra gerentes.

Adolescere. 24. 7. νεανισκέεσθαι, id est vitā agere iuuenilem. νεανιστοί, enim sunt iuvenes. Et mox: Contubernales deinde fieri. cad. 10. ζωωλιζεσθαι. In nostro tamē vetere libro est ζωωλιζεσθαι, id est cum viris constantis ætatis congregari atque versari.

Animi & corpor. bon. 25. 1. καλὸν κἀγαθόν. Etiam hæc locutio peculiaris est Græci sermonis, indicans honesti & boni decus, quod cernitur nimirum in animi virtute & corporis pulcritudine.

Tragulam. 26. 24. παλτόν. significatio in nomine est Græco vibrandi, ἀπὸ τοῦ πάλειν γὰρ παλτόν: atque aptius ad interpretandum Latinum nomen, nomine tragule non reperimus.

Tum Cyrum quæsiisse. 26. 32. Græca oratio est ἀχαταλληλοτέρα, ea forma quam Grammatici alij σολομοφαῖν, alij molliore verbo καυροπεπῆν vocant. explicatur autem repetitione verbi Congruenter, id est ὡς ἂν παῖς ἔροίτο.

Communem potestatem. 27. 36. vel equalem. Indicatur autem ius quoddam populare, quo omnibus aequè potestas fit verba faciendi. Et mox: de congruentia. 29. 30. περὶ τοῦ ἀρμόττοντος, de eo quod aptum esset atque quadraret. Est autem indicium hoc duplicis iusticie eius quæ in parte cernitur virtutis, & fontem habet considerationem proportionis Geometricæ & Arithmeticae. de qua disputatio extat luculenta in v. libro Ethicorum Nicomacheorum, & nos eum librum explicantes plura diximus.

Ex præscripto. 30. 6. *τεταγμένα*, in quo est ordinis significatio, ut intelligatur, ordinata esse atque descripta omnia, quæ & rex agat, & quæ regi præbeantur: quæ est, ἀρχὴ δεσποικὴ πατρὸς καὶ νόμων, id est, regnum paterna dominationis secundum leges, quemadmodum dicitur πολιτικῶν Aristotelis libro tertio. Tyrannis verò est dominatio violenta omnia referens ad suas cupiditates, non ad subiectorum potestati suæ commoda.

Et lenis. 31. 13. *φιλοσυρία* significat studium quoddam affectionis in aliquos complectendo amore & benevolentia, quæ naturalis putatur omnium esse animantium erga sobolem: in qua affectione eminet lenitas atque mansuetudo: ἐπιχαρις autem, certè iucundus & amabilis est & favore dignus.

Vitare eum salebras. 32. 17. qui custodes eius essent, ne in salebras, id est loca aspera atque inuia, deferretur. Est autè δυσχερῶν, ἐλλειπτικόν: ut intelligatur deesse τῶν, nisi verius putandum fortassè δυσχερειῶν, quæ paulo post vocantur δυσχωρίαι.

Excuteretur. 32. 31. ἐξετραχίλισεν. *Etsi me huius verbi non fugiebat Suida interpretatio, magis tamen mihi isto loco placuit altera, ἐκπεσεῖν, id est præcipitem delabi, id quod est executi ab equo.*

Occupat. 33. 6. κατέχε, capit: cum Græco consentit etiam Germanica φερασις.

Pungebatur. 34. 18. ἐδήθη, vel, mordebatur: ut par pro pari referto, quod eum mordeat, id est afficiebatur dolore, μετὰ φρεσῶς.

Filium seductum filix finam. 34. 31. ἀποβουκολήσαμι. verbum hoc duplice figura reperitur, ἀποβουκολεῖν, ὀμηρικῶς, & ἀποβουκολίζειν, βαρυτόνως: & significationem habet quas, Ad pabulum agitationis abducendo. itaque & ad blandimentorum fallacias, & ad oblectamenta verbum transfertur. In Aristophanis *Vespis*, βουκολεῖς σαβάζιον, interpretantur τρέφεις, id est agitas tanquã ad pastum boves. In *Pace de Cantharo*, κατωκάεσσι πίψας βουκολήσεται, id est præcipitè me deiectum faller, quod est scilicet, mala agitatio erit. Ibidem ex *Babria fabula* versus referuntur:

ὅπως δ' ἔχη τὴν βουκόλημα τῆς λύπης
ἐνήθηκε τοῖς τοῖχοισι ποικίλας ζῶων

Γραφάς.

Nullus

Nullus alteri ced. 35. 8. φιλονεικούντας. *contentionis ea est cupiditas nimirum, ut nullus alteri velit cedere, sed unusquisque esse superior. Et mox, Vidensque alium ab eo derid. ead. 12. τὴ μὲν κατὰ γέλωντα αὐτὸν: vera est scriptura.*

Cetratos. 35. 27. πελταστας, *id est cetras gestantes. Cetra, ait Linius, pelta non dissimilis est: & Maroni, cetras leua gerit. Possumus autem πέλιτω, ut opinor, etiam parmam interpretari: sed Linius inter leuem armaturam sunt cetrati.*

Satellitib. 36. 12. σὺν τοῖς ὤξι αὐτὸν: *qui sunt ij scilicet, quorum armis semper reges atque principes stipantur. Et mox, quod nondum fore. ead. 18. Spero esse sententiam Gracorum verborum aliquo modo expressam. hoc enim certe dicitur: Cyrum cupidissime occasionem sumendi arma arripuisse, inexpectatam & oblatam ante speratum tempus.*

Assumtis turmis equ. 37. 8. *Secutus sum scripturam veteris nostri libri, quam veram esse iudicarem: τὸ δ' ἔργον ἰσχυρῶν ἵππων καὶ ἀνδρῶν. ad insequendum enim equites non fuit usus scilicet peditum.*

Cum vociferatione. 37. 24. φωνῶ, *qua in plerisque editis exemplaribus extaret, sumus interpretati: sed in nostro vetere libro talis scriptura, qua mihi sanè probatur, extat: καὶ ἰσχυρὰν τὴν φωνὴν τοῖς πολεμίοις ἰσχυρῶς καὶ ὡς εἶχεν, ἐποίησι: id est, in fugam effusam vehemente impressionis habitu illo suo hostes dedit.*

Sed rudes iam hi sunt. 42. 32. ἰδιῶται. *significatio nominis huius est τῶν ὄχθης π: ut aliqui sunt ἰδιῶται, id est priuati seu vulgus & multitudo, respectu τῶν ἀρχόντων, id est magistratuum, & honoratorum: aliqui ἰδιῶται, id est imperiti & indocti, respectu sapientium atque doctorum: aliqui ἰδιῶται, id est palaestra inexercitati, respectu athletarum. Et bellica rei ignari, seu rudes in militia, ἰδιῶται nunc dicuntur, respectu strenuorum atque fortium in praeliis virorum.*

Clamare. 44. 3. ὡς ἔδεν ἄλλο ἄβσαντα. *Hanc scripturam & in editis libris & in nostro vetere extantem, ut sententia congruentis, sumus interpretati.*

Ab amicis his nostris. 45. 30. *Medi nunc significantur, qui essent secundum hunc autorem amici & consanguinei Persa-*

rum, cum quidem de uniuerso genere Asiaticorum principum atque regum loquatur.

Vius exercitatonisque grat. 46. 30. *Alicubi ἐγνος legitur, alicubi, quemadmodum & in nostro vetere libro, ἔγνος, id quod sumus interpretati. Hoc igitur dicitur: parandi res necessarias curam non intermittere debere: vel gentis ipsius morem, vel consuetudinem exercitationum conseruandi gratia.*

Digniff. fide. 47. 4. *πισκωτάτοις: id quod extabat in nostro vetere libro, visum est interpretari.*

Efficacius esse. 51. 12. *ἀντικώτερον, hoc scilicet est, quod ad efficiendum plus valeat: & hoc in nostro vetere libro extat.*

Patientiorem. 52. 18. *Nos quod fortasse esset verius, χερτερωώτερον, sumus interpretati: quo nomine significatur patientia atque tolerantia laborum. Quod si cui placet retinere χερτερώτερον, interpretabitur ille scilicet firmiorem seu robustiorem. Est autem in nostro vetere libro oratio hoc loco plenior, talis: ὡς χη χερτερώτερον δεῖν πρὸς πάντα τὸν ἀρχοντα τῶν ἀρχιδύων μᾶλλον εἶναι.*

Hostilium commodorum interceptorem. 53. 4. *πλορέλλω τῶν πολεμίων: id quod in nostro vetere libro extat. Atque est istud quoque nomen peculiare lingue Græca, & in hac singulare, habetque significationem, plura obtinendi, & esse potiorum: significat & maioris copiae aut melioris fortunæ cupiditatem, ut si quis non semper iisdem Latinis verbis hoc interpretetur, mirum videri non debeat.*

Qui iustiff. sit atque opt. 53. 6. *ἀνὴρ εἰς: id quod est in nostro vetere libro exaratum.*

Scitum factum fuit. 54. 12. *ρήτρα. quo nomine legitima edicta à Spartiatis appellata sunt, qui scriptis legibus non admodum vterentur: & est in Græco nomine edicendi sciscendique significatione.*

Accedente leuitate. 54. 23. *ραδιεργίας πρὸς γενόμενης. Significat Xenophonti hoc nomen, itémque verbum ραδιεργεῖν, leuitatem & ocium & incuriam: aliis etiam improbitatem & mala facinora. Imperitum autē eum appellamus, quem autor ὀψιμαθῆς: quo nomine is indicatur, qui sero discere inceptit. φιλομαθῆς quoque*

que industrium interpretati sumus, id est cupidum discendi: industria enim cum studio coniungi solet.

Ad insequendum se prouocâtes. 55. II. καὶ διῶξαν παρὰ δόντας ἑαυτοὺς ἀτάκτους ποῖνσαι. Hanc scripturâ nostri libri veteris approbans iudicio meo, studui interpretando exprimere: hoc autē dicitur, si praebeant aliqui sese ultro insequendos hostibus, ita efficere posse, ut illi cupiditate insequendi ordines non magis seruent, & à conuersis atque resistentibus opportuna fieri tunc possit impressio.

Promotis cornibus. 56. 32. καὶ κέρας dixere & ἐπὶ κέρας. Sed phalanx est certa ratione instructa acies: quod nomen & Homerus usurpauit, & sermo Latinus retinuit. Fuit autem aliquando inprimis celebris Macedonica phalanx. Linius libro XXXII. cuneum interpretatus est, quod πομπὸς εἶδος esset, quemadmodum videtur ἄρμα illius. Sed de figuris instructae priscis temporibus aciei, iam pridem edita quaedam extant, quae qui volet, poterit requirere. Mihi sanè quomocumque describantur atque etiam depingantur, res obscura, meo scilicet vitio, permanent.

Non litatis sacris. 57. 8. παρὰ τὰ ἱερά. Suprà autem, Litatis sacris. 44. 6. καὶ ἀλεησὶ μῦθος. Figura sermonis Latini usi sumus, qua Maro: Sacrisque litatis Indulge hospitio, id est ritè factis, & ita placato numine diuino. Et Ouidius libro quarto Fastorum: Potiffices fœda sacra litate boue. Sic Plautus quoque Pœnulo: Quoniam litare nequeo, abij illinc illico. Et paulo post: Herus nequiuit propitiare Venerem. Et mox: Nostra primis hostiis Venerem placauere extemplo. Est autē de religiosarum obseruationum mentione, & pietatis erga numen diuinum predicatione, considerandum: Esse hanc notitiam communiter omnibus mortalibus insitam à primo ori, usque adeo ut in aetate etiam puerili euident sit, (quae sunt ἐνοικία κοίτης) Quod sanos animis, id est modestos ac probos, id est σώφρονας. Diuinum amet, malosque numen oderit, secundum Sophoclem. Et hoc est testimonium bonae conscientiae, in qua acquiescere animus, seque rebus aduersis mirificè consolari solet: sicut contra, horrenda est mala conscientiae carnificina, cuius morbo se interimi ait Orestes Euripidis, quod scelerati sibi facinoris esset conscius. Multos autem fortuna, ut inquit alicubi. Seneca.

liberat pœna, metâ neminem. Et hoc in iudicio certamine grâvi contenditur, συμμαρτυρούσης τῆς συνήθειας, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογιῶν κατηγορούντων ἢ ἀπολογουμένων: dum pro eo atque sibi quisque ipse conscius est, ita concipit intra pectora, pro merito spemque metumque suo. Quæ sunt eiusmodi ut hæc reflexens disputatio, perinde faciat, ac si quis argutus quibusdam concludat, non cerni oculis, neque audiri auribus. Est autem iste sensus humanus, & multiplex error hac in parte solet versari, præsertim quoad religionem & venerationem numinis diuini. Quapropter, ut, quæ diximus, nequaquam falsa existimanda sunt: sic sciendum est, integram & sinceram atque solidam veritatem soli populo peculiari Dei æterni (quæ est ecclesia IESV CHRISTI) notam, & tam amplectentibus, & præstantibus fidem, esse salutarem.

VISVM autē est hoc loco, capita quoque doctrinæ Imperatorie verbis Cambysis exposita, recēsendo indicare, quòd multa hæc eiusmodi comprehendat, quæ ab unoquoque cuiusvis conditionis ac generis utiliter cognosci possint. Primum est cura rerum diuinarum, ut in studio religionis, & cultus numinis diuini obseruatione, conciliatiquæ ab hoc fauoris fiducia, animus quietus metu vacet, & ita ad omnia suscipienda agēdaque paratior presentiorque sit. Atque Magica scientiæ (quæ sacerdotum quedam doctrina sapientiæque fuit) reges Persarum instituto gentis illius, peritos esse oportuisse scripsit Plato Alcibiade priore. Sed res hoc loco à veritate aberrat: quæ, ut sæpe monemus, alibi est querēda atque perdiscenda, nimirum in ecclesia IESV CHRISTI, cum quidem generalis notitia de numinis diuini cultu, in ipsius tamen naturæ cōseruatione permaneat. De quo in presentia longior disputatio esset alienior, & ideo instituta prosequamur. Secundum caput, et si ipsum quoque ad religionis sanctitatem pertinet, & à priore dependet, cum præcipuus cultus numinis diuini sit inuocatio illius, quæ est confessio seruentiæ piæ de Deo, tamen potissimum notat atque conuergit mentione solidarum & ineptarum superstitionis præuaricantem tenuitatem vulgarem & negligentiam elaborandi ea quæ debent atque possunt: quàm reprehendit fabula quòdque rusticis astantis oculos ad euersum in salebris planstrum & inuocantis Herculem. Tertium est caput, de officio boni principis seu magi

magistratus, & huius praestantia: ubi, & malorum notatur pra-
uitas. Quartum, de cura, & industria efficiendi ut res necessa-
ria copiis suppetant absque suorū detrimento ex hostibus. Quin-
tum, scientiae & virtutis imperatoria explicationem continet, in
qua ratio instruendi aciem nequaquam sola aut praecipua sit: cum
& victus copia paranda conseruandaque sit, & tuenda bona va-
letudo exercitus, & perficiendum ut milites promptos paratosque
habeāt animos ad pericula adeunda & res gerendas, utque liben-
ter faciant imperata, in bona de duce existimatione, qua sit potis-
simum prudentia, utque dux ab his vera affectione animi diliga-
tur. Sextum & ultimum caput verbosè exponit varias artes,
quibus victoria periti duces potiri possint. Quae calliditas ab hoc
autore κλεμνιάτων quoque nomine indicatur: & sunt Maroni
Furta belli. Graecum autem nomen est commune στρατηγία τα.

AD LIBRVM SECVNDVM.

PROSEKITVR Xenophon narrationem insti-
tuta historia, & deducit hanc consequenter ad id bel-
lum, quo bello victor Cyrus imperio totius Asiae fuit
potitus, cuius praecipui principes implicati illo essent.
Interea autē varia negotia, qua inciderunt, exponit, quemadmo-
dum in historia generali, qua περὶ Σαρδηνίαν dicitur, fieri consuevit
atque debet. Cum tamen omnia referantur atque pertineant ad
argumentum propositum, de Cyri ortu, institutione, rebus gestis,
tota vita atque ex hac migratione. In hoc autem secundo libro
haec ferè continentur. Primum: congressus Cyri cum Cyaxare &
de bello gerendo consultatio, & mutata arma Persarum: deque ea
re conciones Cyri duae. Secundo: studia contentionum honestarum
excitata, & certamina proposita virtutis, & ratio exposita atque
disciplina castrensis. Tertio: humanitas Cyri & in congressibus
hilaritas, necnon urbanitas atque ioci, & tristitia importuna re-
prehensio, & disputatiuncula quadam derisu atque stetu. Quar-
to: Proposita deliberatio de equalitate commodorum in belli pro-
spera fortuna, & de improborū in multitudine pernicie & conui-
uij cum ioco conclusio. Quinto: conciones de distributione com-
modorū, & congruens sententiā omnium, cuiusque pro ipsius meri-

to rationem esse habendam, & de tota re iudicium permittendum Cyro. Sexto: inuitatē à Cyro aliquando tota centuriæ ob singulas res exercitationes ipsarum. Septimo: accersitus à Cyaxare Cyrus cum aduenisset legatio Indica, & eius festinatus cū copiis instructis accessus, & responsum legatis datum. Octauo: consultatio de bello Armeniaco, & causa & apparatus huius.

Viginti milia. 58. 19. διαμυρίους. sed verū puto τρισμυρίους, id est triginta M. hac enim sunt tres myriades, quantus supra numerus est expositus, cetratorum, funditorum & sagittariorum. Et mox: non delectabit. vel, nō delectauerit. ead. 22. in nostro enim veteri libro est, ἐφράνεον.

Græcos incolas Asiæ. 59. 17. ἐν τῇ ἀσίᾳ ὄνδυντας. Vel, Græcos qui Asia commigrarunt. in nostro enim veteri libro est, ἐποικουῖσαι. Et paulo antè, funditorum autè turbam ingentem: ead. 17. σφενδονιῶν πᾶμπολύ τι χροῖμα. Græca figura lingue, ut supra, κελόν τι χροῖμα καὶ μέγα. Et Herodoto est σὺς μέγα χροῖμα. Et mox iterū, ἰσπείας. in nostra autem veteri libro extat scriptura Attica, ἰσπείας.

Hoc, inquit Cyrus, narras. 59. 27. Exquisite collegit numerum equitum particulatim indicatū: peditum verò quam proximū: neque enim vniuersus pedestrium copiarum exercitus definitè potuit demonstrari, cum certum indicium non haberetur. In comparatione autem copiarū, ut talibus in sermonibus fieri solet, fortuito posuit id, quo copia ipsorū ab hostilibus superari videretur. De equitatu quod fecimus, quartam partem. ead. 35. verum est. nam hæc ratio inuenitur 60. ad 14. restantibus adhuc 4.

Si possem. 60. 19. εἰ ἔχομι. Et mox: Curarem fabricanda. ibid. πειοίμω. hac enim ita extat & in nostro veteri libro: & commoda scriptura hæc videtur, neque causa esse cur alia exquiratur. Est autem illud ἔχομι: quod interpretati sumus, si possem, nihil aliud, quàm si facultas daretur & suppeteret copia: cum mihi quidem arripeat coniectura quoque doctissimi viri Budæi de Salicibus, ut si inculcandum aliquid sit, scriptura talis exarari retè posse videatur, εἰ ἔχομι, οἰοῦντα ὡς ταχιστα ὅσα ποιούμεν, εἰδέσθαι ἐρχομαι, εἰ ἔχομι, οἰοῦντα ὡς ταχιστα ὅσα ποιούμεν. Si facultas esset, saligna quam primum arma curarem fabricanda, qualibus adueniunt instructi nostri

nostri, quos appellamus compares. Hi autem sunt, qui ἑὸμοιοι, & supra pares inter se dignitate, hos vocauimus.

Quamvis inferiores. 62.3. Scripturam quae extaret in nostro vetere libro, placuit nobis exprimere, cum quidem neque edita in quibusdam libris mihi improbatur haec: λαβοῦσιν ὄπλα, διὰ περ ἡμεῖς ἔχομεν, εἰς τὸν αὐτὸν ἡμῶν κίνδυνον. id est: sumtis armis qualia nos gestamus, idem periculum adire.

Aut sagaris. 62.13. Persicum, ut opinor, nomē: quod Xenophon usurpasset, retinendum putauimus: quod poteramus Securis, Latino nomine interpretari. Nam arma fuisse Amassonū haec indicatur in expeditione Cyri iunioris libro quarto, & apud Maronē Camilla, quam Amassonē appellat: rapit indefessa bipennem.

Vt miles gregarius. 63.17. Hic est ἰδιώτης, in nullo militiae principatu constitutus. Quinarius nobis est πεμπάδαρχος, id est quinque-praelectus. aliud enim nomen Latinum non reperiebamus. Decurio verò omnino Latinis est δεκάδαρχος. λοχαγὸν autem quo nomine proprio Latino appellaremus, nō potuimus comminisci. neque enim λόχος certam definitamque habet significationem, sicut manipulus in lingua Latina, unde manipularis miles, & manipularim structa acies: atque est illud nomen Graecum ordinis quidem cuiusdam, sed omnino etiā generalis significationis. Homero aliquoties eos significat, qui ex praecipuis in exercitu viris electi in insidiis collocarentur: atque ex libro Iliados quarto, ubi dicitur,

πυκνὸν λόχον εἶσαν ἀγροντες

κούρους πεντήκοντα, δύο δ' ἡγήτορες ἦσαν:

non malè colligi videtur, definiendo numerum militum huius ordinis fuisse eum, quem hic autor indicat libro sexto, ΧΧΙΙΙ. si enim intelligantur fuisse duo ductores ordinum, & attribuantur singulis vigintiquatuor, conficietur numerus ille L. In Suida legitur fecisse aliquos λόχον militum VIII. aliquos XII. aliquos XVI. In Thucydidis autem libro V. numerosa ista copia memorantur, in narratione de instructo exercitu Lacedaemoniorum, hoc modo, quemadmodum Scholiasta docet: in eo ordine quem vocarunt ἐνωμοσίαν, fuerunt XXXII. quatuor autem ἐνωμοσίαις habuit appellata πέντηκοσῶς. hi sunt milites CXXVIII. λόχος verò pentacosτίας LIII. hi milites sunt DXII. & μοχ: Penteco-

stys, inquit, habebat ὀρωτοστίας, quos antistites vel principes, ut puto, possumus appellare, XVI. λόχος LXIII. fuisse autem in exercitu illo Lacedaemoniorum dicitur in Thucydidis historia λόχος τεσσαράς, & sexaginta sciritas. ita conficitur numerus uniuersorum milia quatuor, centum, octoginta quatuor. Nos interpretando generali locutione sumus vsi. fortasse & globi nomine licuisset, de quo, qui uolet, cogitet atque quærat accuratius.

Qui culpa vacaret. 63. 25. ἀνεπίπληκτος. hic erit is qui merito increpando obiurgari non possit. Hæc scriptura planè extat in nostro uetere libro, neque cur alia exquiratur, causam esse puto. ὅτι πλῆσαι enim est castigare uerbis delinquentes. id quod cum in puerili educatione necessarium sit, notatur à Platone in tertio libro Legum ἀνεπίπληκτος τρεφῆν, educatio non reprehēdens increpando peccata pueritiæ: & ibidem nominatur ἀνεπιπληξία, negligentia cura & seueritatis istius.

Instructos ordines. 64. 24. τὰς εἰς κεκοσμηθῆσας. scripturam libri nostri ueteris cum probaremus, secuti sumus, cum κομωθῆσας in editis libris extaret, in quo somni inest significatio, nō congruens, mea quidem sententia, huic loco.

Decuriam & semidecuriam. 65. 18. Hoc enim est indicium numeri quinary: & hæc ita leguntur in nostro uetere libro, πεμπάδα ὄλιω, καὶ δεκάδα ὄλιω ἐξέλει. Paulo autem superius: ut eos capere posset: ead. 14. de Cyri tabernaculo, in nostro uetere est libro, ὡς ἰκανὴ εἶν, οὗς καλ. id est, πρὸς τοὺς, οὗς καλ. quod est, πρὸς τοὺς καλουμένους: quod tabernaculum satis esset magnum ad eos accipiendos qui uocarentur.

Infortunatum me. 66. 22. τῆς τύχης, ἔλλειπωπῶς. φεῦ, seu οἱ μοι τῆς τύχης. Tale est Aristophanicū hoc: τῆς μορίας, τὸν διανομέειν ὄντα τηλακουτόν: id est, φεῦ τῆς μορίας, quæ ista est stultitia?

Complures aliqui sibi amic. 68. 6. πάνυ πολλοὺς ἀνακτ. Quæ est scriptura ueteris nostri libri, cum in libris uulgatis edita nequitiam mihi displiceat: μικρῶ ὄψω πάνυ ἀνακτ. ut liceat modo obsonio præcipnos amicos parare.

Eximendos esse. 71. 7. ἐξαίρετους, vel fortasse ἐξαίρετέους, sicut mox ἐξαίρετέου. Tales autem sibi istos uideri ait, qui remoue-

ri debeant ab exercitu: ut si ita loqui concederetur, exemtiles hos appellare possemus. Et paulo post: Non satis in praesentia virium habet. ead. 17. ἔπανυ δὲ φησὶ ἔστιν. Etiam istud nomen singulare est in Graeca lingua: quae quidem vis animi sit, quae δὲ φρόνης appellatur, differitur in v. 1. libro Nicomacheorum Ethicorum. Varius autem usus nominis non admittit ubique eandem interpretationem Latinam: nunc hoc omnino dicitur, Non esse tam efficacem facultatem virtutis, ut obnitētes attrahat arduo in itinere suo, praesertim à labore ascendendi, aliquibus contentionem renocantibus.

In ignavia mali sunt & labores fugitant. 71. 20. βλακεία est futilitas atque ignavia: Σπινία verò, quod nomen in nostro vetere libro extat, egòque verum esse iudico, fuga laborum.

Decuriales. 72. 25. τοὺς δεχαδίας: ut intelligatur ὁ δεχαδὲς, unus in decuria: càmque nos scripturam in nostro vetere codice repertam duximus interpretando esse exprimendam.

Laboris patiens. 72. 28. φιλόπονος, minimè fugiens laborem. Nam quem laboriosum Latini vocarunt, is est Graecis πολύπονος, & veteribus πόνηρος, ut ostendimus explicantes in Nicomacheis versum hunc: ἔδ εἰς ἑκὼν πόνηρος, ἔδ' ἄκων μάχαρς.

Certamen, inquit, Perſæ. 72. 35. Hæc scriptura est nostri libri veteris: quæ mox sequitur, Nam dici ita, atque heri semper par est. 73. 2. quo pacto hoc loco interposita fuerint, non habet supernuanciam considerationem. Quòd si non sunt ista alieno hoc loco à librario perscripta, generalis scilicet hæc sententia erit, de utriuscumque partis inter se contendentium victoria. Sanè si tali ista ordine perscriberentur: εἰ μὲν ἡμεῖς νικῶμεν (τὸ γὰρ αἰεὶ καὶ λέγειν καὶ ποιεῖν δεῖ) δηλονότι οἷτε πολέμοι: αἰ ἡμέτε. & cætera consequenter: hæc, inquam, series verborum sententiam exhiberet apertiore, & rem expediret dilucidius.

Ipse ignavus & nihili. 73. 28. μηδὲν καλὸν καὶ γὰρ ὄν ποιῶν. hæc erit nimirum è contrario, is quem interpretando fecimus, seu futilis & iners.

Percussum me iri arbitrar. 74. 28. ὡς δὲ τέ του, ὅτι οἰοίμην πληγῆσθεσθαι, id est, καὶ ὅτι. extat autem ista scriptura planè in nostro vetere libro. quemadmodum post hæc statim ista: τῷ χεῖρε

περὶ χεῖρα ἐνεπὸδιζοι.etsi fortasse suspicari liceat, verum esse, τῷ
τῷ χεῖρε περὶ χεῖρα.

Periculum autem neutiquam adeundum sit æquale.
75.9. παρεβαλλόμενοι δὲ οὐκ ἴσα εἰς τὸν κίνδυνον ἴμεν. hæc enim
scriptura nostri veteris libri, & meo iudicio, vera est: παρεβάλ-
λεσθαι autem audaciæ periculi significationem quandam habet,
obiiciendo ad casum fortuitum, ut Homero, ψυχὴν παρεβαλλό-
μενος: & eidem similis significationis verbo ψυχᾶς παρθεμένοι.

Iuratus affirmare ausim. 74. 15. Secutus sum scripturam
veteris nostri libri hanc: ἀλλὰ σὺν θεῶν ὅρκῳ λέγω, ἢ μὴν ἐμοὶ δοκεῖ
κῦρον οὕτως εἶναι, &c. testatus iureiurādo Deos. est autem ἢ μὴν, ὑψι-
tatum Græcis in asseuerando.

Vndique faciendam. 76. 7. εἰς ἐμβολίῳ κῶκλω. hæc enim
scriptura extat in nostro vetere libro, & κῶκλω idem esse Græcis,
quod Latinis Vndique, tali in mentione, arbitror. Et mox: subla-
tas glebas eiac. ead. 10. ἀναρῶμενοι, hoc enim in nostro vetere
libro legitur: id est, hoc eos facere oportere dixit, ut glebas tollerēt,
& his alteros peterent coniciendo.

Vnoquoque alteri succed. 77. 4. ἕπι τὸ ἄριστον ἐφ' ἐνός.
De eo ordine cuius Græcum nomen λόχος, supra dictum est: &
nunc quoque indicatur, fuisse in illo milites ΧΧΙΙΙΙ. & du-
ctorem, qui est λοχαγός, cū habuisse τὰξιν hos ordines qua-
tuor, & eandem milites centum ab hoc ipso autore perhibetur.
Nos quo proprio nomine interpretaremur Latino Græcum, non
potuimus excogitare: itaque commune ordinis retinuimus. ὕπερον
autem nunc scilicet vocat posteriorem à primo, ut de secundo hoc
sit intelligendum. veluti cū dicitur, ὕπερον ὑπέτερον. Sunt au-
tem omnia hoc loco pronuntiata oratione peculiari in re militari.
ἐφ' ἐνός quidem est ductus singulis singulos præcedentibus ac se-
quentibus, εἰς δύο, binis, εἰς τέτταρας, quaternis. Processio igitur
prima fuit densa centuria: secunda verò, constitutis in fronte lo-
chagis, talis, ut longum esset agmen quaternis, & densum quater-
nis ac vicenis: tertia dimidiato locho & in fronte iam procedenti-
bus decurionibus, longum octonis, & densum duodenis: quarta,
diuiso in quatuor partes locho, longum senis denis, densum senis,
procedentibus iam in fronte ductoribus semidecuria, qui sunt
πεμπα


πεμπάδαρχον in qua distinctione annumeratis ductoribus ordinis, id est Lochagis, ubique constabit numerus centenarius. Diuiso autem locho in duas partes, erunt in decuria milites XII. & huius iam erit δωδεκάδραχμος, & decuria rursus dimidiata, habebit milites non V. sed VI. & ita ἐξάδαρχον.

Rursus signo dato. 77. 14. παραχέιλας αὐτῶς εἰς ἕνα ἰόντων, εἰσῆγε. hac est scriptura nostri libri veteris, vel vera prorsus, vel non longè aberrans. Sunt autem nonnulla locutiones in hac expositione ἑλλειπτικῆ, quæ tamen ab unoquoque mediocriter perito sermonis Græci faciliè assumendo extrinsecus ea, quæ sententia requirit, expleri poterunt.

Nam placuit illi. 78. 21. εἰβούλετο γὰρ. quæ est scriptura nostri libri veteris. Et mox: singilatim. ead. 25. ἐφ' ἑνὸς, id est, ut singulis singuli succederent, quemadmodum & paulo antè dictum est.

Ducenti, tot enim er. 78. 29. Suprà notata est scriptura δισμυρίους, & indicatum verius esse τρισμυρίους, secundum quæ non ἐπὶ διακοσίων, sed ἐπὶ τριακοσίων hoc loco scribendum esset. nam centies trecenta, sunt triginta milia.

Celeri gradu præir. 78. 31. τροχάζων, id est curriculo. Et mox, vt longitudo, ead. 33. ἐπὶ μετώπῳ, hoc enim μῆκος agminis appellarunt, quæ est longitudo, tãquam linea directæ: ad quam applicata altera, describit βάθος, id est, indicat quàm densum agmen sit: & hanc latitudinem aliqui vocarūt. Huius instructio- nis figura talis designari poterit:



Ad duodecim addens. 79. 7. τὴν τάξιν εἰς δώδεκα τάξεις βάθος: ita habuit scilicet longitudo VIII. sed si precise seruetur numerus centenarius, superabunt IIII.

Cum veste pura Persic. 79. II. ἐδέντι ὑβρισμένῃ, nimirum alieno nullo ornatu pretexta, qualis toga virilis Romanorum fuit: atque in virorum vestibus contumeliam esse censet autor varietatem istam.

Cognitionem æquitatis. 79. 31. σκεψάμενος τὸ δικαίον, post æquitatis seu iusticiæ considerationem. Et postea: quos virtutem colere animaduertissem. 80. 13. vel potius, quos virtutis causa suspicere seu admirarer. est enim verum, ὅταν τι ἀγαθὸν ἔσ' adducit hunc locum Suidas interpretans ἀγαθὸν, θαυμάσιον.

Suauius esse incit. 80. 15. Duplicatam comparationem in Græco sermone libuit interpretando exprimere, & simili pleonasmō uti in Latino.

Præsertim ad ea. 80. 30. ἄλλωστε καὶ εἰ εἰς τοιοῦτόν τι. cum aliàs, tum si impendam in istiusmodi aliquid, in quo, quod visum tum fuerit, tibi bono futurum sit. est autem ὁ μέλλει, καὶ ὁ.

Erumpere, & feras excitare incurf. 82. 25. ὄργμενον αὐτῶ, ὡς ἐπόντες τὰ ἐπιπλά ἐξανισαίνεν. hæc extat in nostro vetere libro scriptura: & adducitur hic locus Xenophontis à Suida, qui ὄργμενον, interpretatur ἐπορεύοντο: procedebat, inquit Xenophon, multitudo ante Cyrum, ut excitarent feras aggrediendo. Est autem ὁ ἴσμος series procedentium messorum in aruo, Theocrito.

Expediatio enim facil. 84. 2. στρατιὰ γὰρ ἢ ῥάσις ταχίστη, vel si cui magis arridet στρατιὰ, repetendus est nominatiuus, ἢ ὁδός: ducendo exercitui via expeditissima, celerrima est: quemadmodum & nostro Germanico sermone proverbiū tritum est, Expediti & commodi itineris spaciū longius, non esse dispendium.

Et tributum penderē, & exerc. add. 84. 15. In nostro vetere codice unum est verbum tali scriptura: ὅπως ὡς τὰ χεῖρα ἔχον οἴσις καὶ τὸν δασμόν, καὶ τὸ κράτευμα: quæ scriptura nobis probatur. Est autem illud, ὡς τὰ χεῖρα ἔχον οἴσις, Atticum παρέλκον, in ea lingua perquam vsitatum, id quod alibi à nobis copiosè est demonstratum.

AD LIBRUM TERTIUM.



NARRATIO libri huius tertij complectitur bellum Armeniacum ex sententia Cyri confectum, sub ditione Cyaxaris iterum redacto Armenio, & ad bellum cum Assyriorum rege gerendo conciliatis adiumentis. Est autem inserta venusta disceptatio, qua ad confessionem deducitur Assyrius delicti, ut iusta pœna affectum iri ipsum constet: & altera callidior, ab exigenda pœna Cyrum reuocans, patrocinante patri filio Tigraue, cum sententiis implicatis, elegantibus atque bonis, & narratiunculis festiuis. Post hæc narrantur occupata loca opportuna in montibus, quæ à Chaldaeis tenerentur infestis Armenia, & horum populorum coniunctio, & auctus exercitus Cyri Chaldaicis auxiliis, & ad Indicam legationem adhibita Chaldaeorum opera. Hæc sequitur reditus Cyri, & honorificentissimus obuiam processus Armeniorum, & munerum oblatio, & munifica liberalitas Cyri distribuendis donis inter suos, & concio ipsius, & doctrina rei militaris. Et mox, consultatio sententiæque congruens Cyaxaris ac Cyri de educendo exercitu aduersus hostes, & ratio expeditionis. Et tandem prælium primò commissum cum Assyriis, & in apparando Cyri prudentia, & oratio cohortationis, & parata victoria.

Curulib. plaustris. 86. 33. ἀρμαμάξαις. placuit duobus nominibus Latinis duplicatum Græcum interpretari, cum unum carpenti, quo Liuius vsus est, aut redæ, aut nescio quod aliud significationem Græci nominis mihi non videretur exprimere.

Eruditum quendam homin. 88. 13. σοφιστήν. De huius nominis significatione alibi diximus plura. est autem omnino hæc professio sapientiæ, & pollicitatio eruditæ doctrinæ litterarum & artium bonarum, & imprimis eloquentiæ: quod tamen nomen, sicut alia quædam, vitio hominum infame esse cœpit.

Si probas vel confilia. 88. 17. Scripturâ extantem in nostro vetere libro, quâ probauimus, exprimi nostra interpretatione studuimus: ea hæc est, εἰ μὲν ἀγασσῶ τοῦ πατρὸς ἢ ὅσα βεβήλευται, ἢ ὅσα πέπραχῶ, πάνυ σοὶ συμβουλεύω τοῦτον μὴ μείδῶσαι. εἰ μὲντοι σὶ δοκεῖ πάντα ἡμαρτημένα, συμβουλεύω τοῦτον μὴ μείδῶσαι.

De verbo autem ἀγᾶσαι, supra aliquid dictum. Eustathius autē notat ἀγᾶσαι, significationem habere emulationis & inuidia: ut ὁδ. e. οἶτε θεαίς ἀγᾶσαι παρ' ἀνδράσιν ἑωυθῆναι.

Abſque moderatione. 88. 31. σοφρονας, ſunt prudentes, caſti, ſobrii, temperantes, moderati, frugi: & ſecundum hac ſωφροσύνης nomen poterit ita aliquis interpretari, quemadmodum rectē hoc aut illo loco poſſe arbitrabitur. Tetigit autem hoc loco Xenophon conſiderationem eorum, quæ in animo hominis inſunt, & ab Ariſtotele indicantur δυνάμεις καὶ πάθος (quod nunc πάθημα dicitur) καὶ ἕξις, id eſt facultatis & affectionis & habitus nominibus: ex quibus habitus uſu exercitationēque ac diſciplina, unde abeſſe doctrina nequit, acquiritur atque conſeruatur. Nam quia naturaliter ineſt in animo ea vis, ut aliquis, verbi cauſa, irasſci poſſit, ita fit ut affectio ſeu motus iracundiæ exiſtat: ſed ut hoc vel illo modo irasſcatur, id efficitur habitus in utraq; partem, id eſt vel laudabiliter vel perperam, obædiente affectione rationi recta aut refragante. Eſt autem doctrina & exercitatio non verborum tantum, ſed rerum quoque. Vnde Cræſus apud Herodotum rebus aduerſis ſe doctiorem euaiſſe ait: & nunc ſimiliter diſſerit Tigranes, ſtultitiā ſolere infelicitate fortuna conſutari, & aliquos, ſicut in prouerbio eſt, ictos ſapere: quemadmodum cōtrā apud Comicum facilitatem ſuam malè docere ait ſenex uxorem. Et hac eſt caſtigationis, id eſt κόλαſεις, efficacitas in iis, qui ſunt ſanabiles. reuocatur enim iſto pacto cogitatio ad modēſtiam ab exultatione importuna, & reducitur in viam aliquis officiij, unde per inſolentiam aberrauit.

Quod petulantib. ac improbis ignot. 89. 35. Hi enim ſunt certè ὑβριſτᾶί. Eſt autem eius, quod dixerat Tigranes, Solere homines eos colere & ſua ſponte reuereri, quos ſtatuant ſeſe eſſe potiores atque preſtantioreſ, hac infirmatio ὑβριſτεῖ. petulantes certè norunt temperantes, & fures abſtinentes manus à rebus alienis, & veraces ſunt noti mendacibus, itēmq; iniuſtis iuſti. Neque iniuſti tamen iuſtos, & cateri, quorum mentio facta eſt, ceteros reuerentur atque colunt: quemadmodum neque tuus pater auunculum meum, quem ille ſciret iuſtum eſſe & ſeruantem pactorum. Hoc ſoluit Tigranes, explicatione, qualem notiitiam ſeu cognitio-

nem

nem intelligi velit, nimirum quasi inculcatam animadversione. Quam sententiam sequitur disputatio de metu, cuius esse vim maximam docet ad deterrendos homines à facinoribus malis, & convertendos ad diligentiam faciendi officium. quod differitur & in tertio libro Memorabilium dictorum Socratis, ubi dicitur: Quod confidentia causam det, ut existat negligentia atque oscitantia & contumacia: metus verò reddat homines attentiores & paratiores ad obediendum atque modestiores. Sed è contrario rectè & hoc dicitur, Quod metus malus sit diurnitatis custos, καὶ ὅτι φόβος πρὸς ἐπι μίσος, ut materia hæc suppeditetur exercitationi loci communis. quam vis hoc loco de formidinis potissimum quasi stimulis maximo cruciatu fodiētibus animum verba fiant. Est & illa sententia in eodem libro ἀπομνημονευμάτων: Quod homines iis sua sponte & libenter pareant, quos virtute & integritate excellere sciant: ὅτι ἐν παντὶ πράγματι οἱ ἄνθρωποι τοῦτοις μάλα εὐαθέλωσι πείθεσθαι, οὓς ἀν' ἡρώτων βελτίους εἶναι.

Per imprudentiam neque voluntate fieri. 94.2. id est, ab inuitis. hæc enim ἀκούσια sunt. Sed quod modo generaliter dicitur, Non voluntaria delicta esse ea omnia, qua per ignorantiam committantur, eiusmodi est, ut explicatione magnopere indigeat. Cum enim ignorantie peccatis aut venia aut misericordia quoque tribui debeat, & vulgo pleraque sic defendi ferè soleant, Quod per ignorantiam facta esse dicantur, quando ignoscendum aliquibus sit, videndum est. Enarratur autem hæc accuratè in tertio libro Nicomacheorum, quem explicantes nos quoque de his quædam differuimus.

Miseret me hominis. 94.4. φεῦ τοῦ ἀνδρός, est enim φεῦ, particula commiserationem indicans, & significans dolorem. Quod autem mox fecimus: Quod mulieres suas reddiderint indoctiores. ead. 7. secuti sumus scripturam veteris nostri libri hæc, ὡς ἀμαθεστέρας ποιοῦντας τὰς γυναῖκας, sunt enim certè ἀμαθεῖς, indocti & ineruditi. Atque hoc Armenius nunc agit, Non succensuisse sese illi professori sapientie, aut ideo in ipsum animadvertisse, quod malè doceret, aut minus præclare erudiret filium, sed quod istà diligentia disciplina minueretur amor, erga patrem, affectione benevolentie, translata in magistrum. sicut enim

certè & impudentiores & impotentiores adulteræ in maritorum odio & libidinum lasciuia. De adultero autem impunè occidendo, leges in multis ciuitatibus fuisse latas in Hierone dicitur: & ex his fuit Attica: τὸν μοιχὸν ἀνελεῖν ἐξέιναι τῷ λαβόντι. Solonis quidem hæc & antiquior Draconis. Vlpianus fuisse ait additum ἐν ἐρῳ, ut interficere deprehensum in facinore licuisse intelligatur. Scripsit autem Pausanias Hyettum Argiuum primum omnium supplicium adulterij constituisse, & hoc caput in suas leges postea transtulisse Draconem Atheniensem: ἀδείαν εἶναι τιμωρίας μοιχοῦ. In oratione Lysæ de Eratothenis cade, dicitur in Attica lege de adulterio fuisse: εἴαν τις μοιχὸν λάβῃ, ὃ, πὶ ἀν βούληται χρῆσθαι. Et argumentatio est elegans, cur in violatores pudicitie per raptū minor pœna constituta fuerit, nimirum dupla damni æstimatio, id est διωλῆ βλαβῆ: in deprehensum autem adulterum maior, nempe mortis. Cuius argumētationis unum membrum rationem Xenophonteam complectitur: Adulteros πείσαντας τὰν γυναῖκα δὲ τὰς ψυχὰς διαφθεῖρει, ὡς οἰκειότερας αὐτοῖς ποιεῖν τὰς ἀλλοτριὰς γυναῖκας ἢ τοῖς ἀνδράσι, καὶ πάσαν ἐπ' ἐκείνοις τὴν οὐκίαν εἶναι: id est, corrumpi ab illis mulierū animos, ut habeāt iam alienas coniuges magis quàm mariti ipsi familiares, quòd sit tota domus in potestate eorum. & addit alteram grauem, τοὺς παῖδας ἀδήλους εἶναι ὀποτέρων τυγχάνουσιν ὄντες τὰν ἀνδρῶν ἢ τῶν μοιχῶν: id est, de natis liberis incertum esse, virūm maritos an adulteros illi patres habeant.

Se portione animæ suæ redempturum. me. 94. 23. ὡς τῆς αὐτοῦ ψυχῆς ἀν πρίατο, vel, precio anima suæ redempturum libertatem meam. Est autem hyperbole hæc prouerbij, de maximis sumptibus impensis, cum cuique sua vita carissima sit. Sic & Medea: τὰν δ' ἐμῶν παίδων φυγὰς ψυχῆς ἀν ἀλλαξάμεθ' ἔ χρυσοῦ μόνον: id est, meorum exilia liberūm Impendio anima redimere haud auri velim.

Aduersos ordines dirigit. 96. 7. ὀρθίους ποιησάμενος τοὺς λόγους. Propriè autem agmen ὀρθιον, id est rectum seu directum vocarunt, ita instructum, ut magis densum esset quàm longum, id est frontem contractiorem & latera magis extensa haberet.

Non esse sibi hunc euent. 96. 21. καὶ ὁ κύριος εἰπὼν ὅτι εἶδεν τοῦ

τοῦτο, παρηχύθησε τοῖς πέρσ. *Hanc scripturam veteris nostri libri probauimus & sumus interpretati.*

Et aquis abundaret. 97. 2. *Vel, haberet aqua cōmoditatem. est enim in nostro vetere libro, εὐδρον. Et paulo post: rapiebatis & fereb. ead. 15. ἦγετε καὶ ἐφέρετε: prouerbium Gracis frequens de vastatione hostilium impressionum. nos Maronis verbis rectē interpretaturos esse duximus: Rapiunt incensa feruntque Pergama: paulo post tamen autor vsus est eodem de munifica copia allata ab amicis.*

Postquā iuga montium in nostra sunt pot. 98. 12. *Scripturam planē exaratam & veram, sicut arbitror, sumus interpretati istam: ὅτι νομίζετε ἀσφαλέτερον διὰ ἀδελφίνην εἰρήνης γινόμενης ἢ πολεμουῦντες, ἐπεὶ ἡμεῖς π' ἀκρα ἔχομεν. ἔφασαν οἱ χαλδ.*

Quid actum esset. 100. 1. *τὰ αὐτῶ πεπραγμένα: id est, cognoscere cupiebat, quid ab Indo actum esset, post illam nimirum ad utrosque legationem.*

Æstimare possumus. 102. 14. *καὶ τιμᾶσθαι ὡς ἀν' ἑαυτοῦ ἀξίως ἢ. Nescio quo pacto eadem significatio verbi mutata tantum diathesi hoc mihi loco non arrisit, ut talis esset interpretatio: quod & aliis, quibus volumus honorem habere, & nos ipsi iam pro dignitate honore affici possumus. sententia enim ita quasi languescere est visa. quocirca placuit illa veluti κατὰ πολλοὺν significationis mutatio. Quod autem τιμᾶσθαι æstimare, non est dubium: & fuit in iudiciis vsitatum verbum, ut Apologia Platonis, id est, in oratione qua defenditur Socrates, εἰ οὐν δεῖ μὲ κατὰ τὸ δίκαιον τῆς ἀξίας τιμᾶσθαι, τοῦτου τιμῶμαι, τῆς ἐν πρωτανείῳ σιτήσεως: id est, si itaque pro eo atque iustum est, æstimare debeo, quid meritus sim, meritum me esse aia, ut victus mihi publicè in Prytaneo præbeatur: & μαχ, κελύθει με τριάκοιτα μινῶν τιμῆσθαι, αὐτοὶ δὲ ἐχθρῶσθαι τιμῶμαι οὖν τοσούτου: Amici, inquit, iubent triginta milibus nūmum me causam æstimare, & volunt ipsi spondere. tanto igitur æstimo. Sententia autem illa, Voluptatem ac comoda acquiri laboribus, differitur etiam in secundo libro Memorabilium dictorum Socratis: ubi & versus duq̄ Epicharmi referuntur: vnus,*

τῶν πόνων πολλοῦσιν ἡμῖν κέρτατα ἔχει οἱ θεοί.

A Deo labore vobis veniunt bona omnia.

Et alter:

ὦ ποιηρὲς, μὴ τὰ μαλαχὰ μάωσ', μὴ τὰ σκληρὰ ἔχης.

Improbe heus tu, ne aucuperis molle, ne durum accidat.

Et est elegans eadem sententia Sophoclea in Philoeteta:

ἢ γὰρ χειρὶος σπῆδῆ, πόνος

λίξαιτος, ἕσπον κατὰ πάλαι ἤγαγε.

Extra numeros ordinum liberi erant. 103. 5. *Secuti interpretando sumus scripturam veteris nostri libri hanc: οὗτοι γὰρ ἀπ᾽ ἀλελειμμένοι τοῦ χειρὶος δέδωκεν ἦσαν ἐν τοῖς τακτικαῖς ἀριθμοῖς. & in septimo ἀναβάσεως, ἀριθμὸν ποιήσαν: & μοχ: ὅς ἂν μὴ παρ᾽ αὐτῆς εἰς τὴν ἐξέτασιν χεῖ ἀριθμὸν. Nominasse autem in re militari numeros Latinum sermonem, non est obscurum, & illa apud Plautum ait: Parasitum sibi esse extra numerum: atque intelligetur nō annumeratum fuisse: verbi causa, centurionem centuriae, neque tribunum illis mille suis, neque lothagum suo ordini.*

Bonis auib. 104. 33. οἰωνοῖς χρησάμενος αἰσίοις, cū auspicia essent secunda atque bona. χόας autem vocarunt etiam liquores gratos vini & alios, qui ad rogos & busta mortuorum effundebantur: quo ritu nunc Cyrus Tellurem placans ab autore introducit. Quod autem paulo post de ignibus ante castra accensis dicitur, id fecisse Iphicratem Atheniensem ducem narratur ἑλληνικῶν sexto libro.

Per exta. 107. 10. ἐν ἱεροῖς, id est, in sacris, vel hostiis. Inspiciebant autem exta olim quidam arioli, unde Extispices fuere appellati: & apud Maronem Dido, Spirantia consulit exta.

De subiectione, esse viri bon. 107. 24. ἐξ ὑποβολῆς, id est, si qui subiiciant commonefaciendo, quid fieri debeat.

Libationibus peractis. 108. 1. σπονδαῖς ποτισσάμενους. alia significatio est σπονδῶν, & alia χόων, sed diuersa nomina non suppetunt in sermone Latino.

Cæcas partes. 108. 32. τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος: est periphrasis fugæ hæc sanè verbosa, qua & incommodum illius & probrum demonstratur, dum tergum ad hostes conuertitur. τυφλὰ autem nimirum μέρη dicuntur μεταληπτικῶς, quæ providere nihil possunt, & ἀοπλὰ, sine armis, quòd pectus clipeo tegatur: &

ἀχειρα, qua agere gereréque aliquid nequeant.

Præfectis penui. 109. 17. Ταμίευεαι, propriè est è penu promere aliquid quo usus indiget: & transfertur ad potestatem factam arbitrio suo rem aliquam tractandam. Aristophanes γεσμοφοριαζούσους ἀδ' ἦν ἡμῖν ἑροτοῦ Ἀ' υταῖς ταμίευεαι ἑροερίσους λαβείν: qua licebat nobis antehac ipsis promendo nostro arbitrio accipere. Libro secundo ἀναβάσεως: ἐξ ὧν ἔξεστι ἡμῖν ταμίευεαι, ὁπόσοις ἀν' ὑμῶν βουλοίμεθα μάχεαι.

Si inscribi debeant hom. 110. 7. εἰ μέλλουσι τοιαῦτα διανοικαῖ ἐγγραφήσεαι ἀνθρώποις: Metaphora id indicat, quod sit firmū atque expressum. ut Philoeteta: χαῖ ταῦτ' ἐπίτω, καὶ γραφοῦ φρενῶν ἔσω: id est, hæc ita esse scito, & perscribito intra animū tuum. & Eunuchō: Etiam nunc mihi Scripta illa dicta sunt in animo, Chrisididis.

Potior sit disciplina quàm metus hostil. 110. 17. τοὺς μέλλοντας τοῦ ἀπὸ τῶν πολεμίων φόβου τὴν μάθησιν κρείττοια παρέξεαι: qui eos se prebituri sint, ut disciplina metū ab hostibus superet: id est, ut iam hostium vim nihil reformident. estque oratio ἐλλειπτικὴ, figura in narrationibus nequaquam inusitata. Cōplectitur autem ista Cyri oratio quæstionem, εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετὴ, eamque quodammodo explicat, docēs: πῶς διδακτὸν. Quæ tractantur & edisseruntur in disputationibus Ethicis. Atque ait Catilina similiter apud Salustium, cui tunc ista scribenti Xenophon-tea hæc in animo fuisse, credibile est: Comperitum se habere, verba virtutem non addere, neque ex ignauo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri, &c. Non enim ista doctrina eorum est, quæ scientia determinantur, sed proficitur laudem, ad quam consequendam, & educatione conueniente & institutione diligente, & usus exercitationis que assiduitate opus est. Cum quidem opportunas monitiones cohortationesque necnon obiurgationes plurimum posse non sit dubium: quin strenuus etiā, & ad palmæ per se cursurus honores, Si tamē horteris, fortius ibit equus. Et tubis ac lituis animos incitari constat: de quibus modo plura dici non est necesse. Quod nos fecimus, concinnata oratione, cad. 20. in Græco est, ἀπορραφωθήσας. est autem ραφωθεῖν carmina contexere interpolando: quod faciebant recitatores

olim carminum Homericorum, versus Homeri secundum argumenti seriem connectentes. Alij à virgula quam illi præferrent, quæ est παῖδος, verbum deduxerunt. Transferitur autem illud ad inanes & nugatorias locutiones, & declamationes futiles.

Votis illico susceptis. III. 3. καὶ προσεὖξάμενος τοῖς θεοῖς αὐτοῦ. hæc enim scriptura est veteris libri nostri: & solebant nomen diuinum inuocantes imperatores vota suscipere. Et mox, Qui principem locum tenebant, Magistri essent. ead. 9. διὰ τὸ πάντας ἀρχοντας τοὺς πρωτοστάτας εἶναι: ita scilicet instructo exercitu, ut primi omnes honoribus militaribus essent præditi: id est, aliquorum ordinum Magistri.

Manipularis circum & post se nomine. III. 23. ὀνομάζοντες παραστάτας, ἐπιστάτας: Manipularis nomine communiter sumus vsi. Erant autem in ordinibus exercitus, id est, ἐν τοῖς λόχοις πρωτοστάται & ἐπιστάται, qui παραστάται ambo appellabantur. Sanè esset planior sententia, si scriberetur, πρωστάτας sed nostram opinionem imitationi scripturæ causam dare non oportet.

Supra caput fossæ. II. 22. ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τῆς τάφρου. libuit retinere interpretando metaphoram significatur autem locus editior ad fossam, siue egesti soli, siue aliterius cuiuspiam munitiois.

AD LIBRVM QVARTVM.



SVMMA narrationis comprehensa libro hoc quarto historiae de Cyro, ista est. Primò exponitur reductus exercitus post factum prælium in castra, & Cyri concio, & hostium fuga, & consilium captum illos persequendi. Secundo: Hyrcaniorum ad Cyrum legatio, & productus ad insequendum hostes exercitus, & ostentum lucis noctu in celo, & transitus ad Cyrum Hyrcaniorum, & hostes deprehensi atque profligati, & persequendo hos acquisita præda, & altera castra occupata & ordinata res ad conciliandos animos sociorum. Tertio: Cyri concio & consultatio de instruendo equitatu Persico, & dimissi captiui, cum pace promissa, si afferrent arma: & deducta copia in tabernacula paratis omnibus, in maxima copia, ad victus

& cul.

& cultus hilarem iucundumque. vsum. Quarto: Cyaxaris indignatio ob discessionem Medorum, & nuntius missus cum mandatis minacibus ad illos reuocandos, & remanente in castris Cyri nuntio, data litera ad Cyaxarem Persa cuidam perferenda, qui mittebatur ad alias nouas copias Persicas adducendas. Quinto: Commissa aliis à Cyro distributio rerum captarum, & petiti concessisque ipsi equi, & equitatus caeptus instrui. Sexto: aduentus ad Cyrum Gobryæ Assyriæ, & diuisa præda, & Cyro exemptum tabernaculum cum formosissima muliere Suside.

Strictum ille gladium tenens. II 4. 3. ἀνατεταμένος τὴν μάχην. Græca figura, quam & Maro usurpauit: Vnum exerta latus. Et mox: Statim attendit ac paruit. ead. 4. ὑπήκουσέτε μοι: ut supra libro tertio, ὑπακούετε αὐτοῖς: quod interpretati sumus, Respondete his obtemperando. 108. 15. nam ibi hoc dici videtur, illos ostendere debere, quòd cohortationem exaudissent, & simul obsequi: sicut qui audit fores pulsantem, & respondet, acceditque ad aperiendum, aut cognoscendum quinam assit. Multis autem in locis huius narrationis palàm fit, voluisse Xenophontem disciplinam Laconicam actionibus Cyro tributis celebrare. Atque narrat Plutarchus in Laconicorum dictorum factorumque capitibus etiam hoc, quendam in acie iam impacturum gladium ut hostem feriret, cum signum receptui cecinisset, non impigisse. Atque sciscitante quodam, Cur hostem, quem in sua haberet potestate, non obruncasset? Quia, inquit, præstat & melius est parere imperio, quàm hostem occidere.

Quasi subinuidere. II 5. 34. ὡς περ ὑπεφθόνη. vel, inuidia nonnihil commoueri. est enim in nostro libro vetere, ὑπότι ἐφθόνη.

Et ipsi didicerunt suas copias sibi diuidend. II 7. I. Græca quæ in nostro vetere libro perscribuntur, spero non perperam esse in Latina conuersa. est autem illa scriptura talis, καὶ μαθησονται χάρις γενόμενοι, οἱ μὲν κατὰ πρόσωπον ἡμῶν, ὡς περ νῦν, ἐναντίοι ἴσασι, οἱ δὲ ἐκ πλεον. Ad superiorem autem sententiam de non seruantiibus modum rebus secūdis, pertinet & Demosthenica gnome: πολλοὶ πολλάκις μειζόνων ἐπιθυμοῦντες, καὶ τὰ παρόντα ἀπώλεσαν, in oratione contra Aristocratem: Multi, inquit, dum plura maioræque appetunt, etiam præsentia atque parua amiserunt.

Qui Sciritarum est. 118. 7. *Scirta equites fuere, quibus ad custodias & explorationes Lacedaemonij uterentur: fitq; horum metio & in libello huius auctoris De republica Lacedaemoniorum, sed loco mutilo: traditur autem ita hos appellatos fuisse nomine gentili à Sciro oppido Arcadico. De quibus placuit adscribere ea qua leguntur in libro x v. Diodori Siculi: λακεδαιμονίων μοῖραν ἀναπληροῦσιν ἄνδρες πεντακλῶσιοι. ὁ δὲ σκιεῖτης καλέσμενος λόγος ὡσαύτως ἀναγράφεται ἔστω ἡ ἀναγράφεται μετὰ τῶν ἄλλων, ἀλλ' ἰδίαν ἔχων σύστασιν μετὰ τῷ βασιλέως ἴσταται, καὶ ὡσαύτως ἡ τοῖς αἰετῶν ἡμερῶν μέρεσι. σιωπῶς δ' ἐξ ἑπιπέκτων ἀνθρώπων μεγάλας ποιεῖται ῥοπὰς ἐν ταῖς ὡσαύτως ἐσσι, καὶ κατὰ τὸ πλείστον αἴτιος γίνεται τῆς νίκης.*

Gratiam officiūque sequentes. 119. 35. χάριτος ἐνεχα. *duobus verbis Latinis Græcum interpretando, conati sumus exprimere significationem illius. nam & gratificationem benevolentia, & studium declarandi memorem animum accepto beneficio, χάριτος nomine indicarunt.*

Cur non opperiretur obsid. 120. 9. πὶ δὲ οὐκ ἀναμένει, ὡς ὅτι γέλλαιτο, τοὺς ὁμήρους: *hæc enim extat in nostro vetere libro scriptura.*

Id facturos sese esse. 121. 1. ὅτι ὡς ἂν ὀρῶσιν αὐτοὺς παρορῶντες, ἔτι καὶ αὐτοὶ ποιήσουσιν: *id est, excepturos sese esse Hyrcanos eo modo, quo adueherentur, siue amice siue hostiliter: Vel ita potius, ut facerent ipsi idem, quod abs se fieri conspexissent: id est, ut manus porrigerent accedendo ad exercitum Cyri. id autem signum fuit deditiois. unde & Latini, Manus dare: & Maro, Dextras tendamus inermes.*

Passuum milibus quatuor. 121. 23. παραστάτην *suprà quoque similiter sumus interpretati. quod nomen spacij Persicum perhibetur, longitudine stadiorum triginta, qua eadem ferè est quater mille passuum. Et paulò ante: In quo principes sunt hostium. cad. 22. ἐνθα αἱ ἀρχαὶ εἰσι τῶν πολεμίων: id est, magistratus qui sunt scilicet ductores exercitus & ordinum: μετανομικῶς, ἀρχαί, ἀρχαί, ut custodia custodes.*

Hi iam obruncanto. 122. 15. χαμόντων. *in nostro autem libro: vetere est ἀποκτενόντων: fortasse alterius minùs vulgò notè verbi*

verbi interpretatio.

Observandum cauendumque est. 122. 18. φυλάξασθε
*Dei est autem verborum quadam in his μετέθεως species, cum
 hoc precipiatur, Prouidendam prohibendumque esse, ne quis ad
 spolia legenda, & agendam pradam festinet: id quod partem so-
 leat victoriam corrumpere.*

Cumque iam lucefceret. 122. 35. ἐπεὶ φῶς ἐγένετο. *supra
 enim sub noctem appropinquasse Cyrum hostibus dictum est: est ἄ-
 hac elegans ac copiosa ἑκφρασις: subito metu percussorum, & ad-
 uentu inopinato oppressorum hostium.*

Affyriorum & Arabiorum. 123. 19. ἀσσυρίων καὶ ἀραβίων:
*sed in nostro libro vetere est, τὸ δὲ πλεῖστον ἦν τῶν ἀποθνήσκοντων
 ἀσσυρίων καὶ ἀραβίων: Maxima pars occumbentium Assyria erat
 & Arabica: vel, Assyrj erant & Arabes. Et mox ubi in libris
 vulgatis legitur, ἑπιπονώματα, in nostro est, ἑπιπονώματα.*

Æquum esse cēsebunt. 124. 21. ἀξιώσουσι, *postulabūt at-
 que volent: que scriptura vera est, & in nostro vetere libro extat.*

Sunt in discrimine adhuc præsente omnia. 125. 8. πάν-
 τα νῦν ἀκμάζει. *habet Græcum verbum significationem, quasi ad
 summum re adducta, celeris cōversionis in hanc aut illam partem:
 ut in morbis, quando ulterius malum progredi nequit, sed vel re-
 cuperandam sanitatem conuertitur, vel ad interitum hominis di-
 uertitur: & ideo discriminis iam nomine Latino rectè me, inter-
 pretando Græcum, uti posse sum arbitratus.*

Commilitones. 125. 15. ὧ ἄνδρες, *hanc Græci sermonis com-
 pellationem similiter antea quoque sumus interpretati: nam ista
 Latinis allocutio militaris vsitata fuit.*

Difficilia atque graua. 128. 23. χαλεπὰ, *laboriosa ac mo-
 lesta: ita enim quasi definitur τὸ χαλεπὸν in Protagora Platonis,
 ὁ μὴ ῥάδιον ἦ, ἀλλὰ διὰ πολλῶν πραγμάτων γίνεται: quod facile
 non sit, sed in efficiendo multum exhibeat negotij.*

E longinquo oculorum prospectu. 129. 9. ἐξ ὄψεως μί-
 κρους: *quàm longè scilicet, inquit, conspiciere aliquem potera. Hoc au-
 tem ait, Non facile futurum, ut sese equitem & oculos suos facile
 aliquis effugiat.*

Quo autem nomine. 129. 13. *In nostro vetere libro scri-*

ptura talis extat: ὦ δὲ δὴ μόλις αὖ δοκῶ, ἔφη, ζῶων ἐπιλωπύλαι, ἔσ.
 Et mox: τὰ δὲ ὑπομένονα κιατρῶων, πάντα γὰρ αὐτῶν ἰαπεύς
 γα. ut ista omnia hæctenus coherescat. Quæ enim maximè admi-
 rari se in Hippocentauris ait, ea se equitem colligere dicit cuncta.
 Quod autem fecimus, Manibus præclarè efficere. ead. 15.
 παλαμᾶ. Ἔστ Gracum verbum, ἔ ipsum factum à nomine si-
 gnificante manus: ἔ transfertur ad conatus malitiosos, ἔ astu-
 tas molitiones: ut apud Aristophanem, (quæ in quadam epistola
 ad Atticum παραγέται λέξις Cicero) τὰς αὐτὰ κλέων καὶ παλαμᾶ-
 ἴω, καὶ πάντ' ἔω' ἔμοι τεκταμένεῳ.

Et elatior species vestra. 130. 24. γοργώτεροι ἰδέϊν: magis
 ingentes ἔ ampliores estis aspectu. Et genus orationis acre atque
 vehemēs ἔ magnificentum, γοργώτης nomine habet. Adorare au-
 tem, quod interpretatur Gracum nomen ποροκυμῶν, de humilita-
 tis gestu accipiendum est, abijcientium se ad alicuius pedes: quemad-
 modum canes facere videmus blandiendo ἔ subiiciendo se: ἔ
 placet Grammaticis, quòd κύων ducatur à verbo κύω, significante
 blāditias osculi. De hoc narratur ab Eliano quasi rem describen-
 te: Ismeniam aliquando Thebanum legatum ad regem Persarum,
 quòd accedi ad eum nisi cum isto gestu humilis venerationis non
 liceret, ἔ esset tamen iste moribus Gracorum contrarius, ita hunc
 simulasse, ut annulo abiecto ante pedes regis, quasi ille fortè pro-
 lapsus esset, inclinaret se ad illum tollendum, ut videretur id fa-
 cere, quòd non fecisse se posset affirmare.

Siquidem Cyrus voluērit, accedat & ipse. 133. 16. καὶ
 νῦν ἔάν μὲν κύρος βέληται: est hoc exemplum insigne orationis im-
 perfecta consuetudine linguæ Atticæ, id est ἑλλείψεως ἀπικῆς: ut
 libro item septimo, νῦν οὖν, εἰ μὲν ἔσται πῆ ὅπως οἱ πλείστου ἄξι
 γεγενημένοι, τολείος σου μέρος μεθεξομεν. nam ἔ ibi intelligendo
 extrinsecus assumendum est, quo sententia perficiatur. Et in libro
 Vectigalium, id est πόρων, si est scriptura emendata: εἰ δὲ τὸς τοῖς
 αὐτοφύεσιν ἀγαθοῖς τῶν τῶν μὲν τῶν μετοίκων ἐπιμέλεια γένοιτο.
 nihil enim ad hæc κατὰ ἑλλῆως infertur. Est ἔ Thucydidis inter
 præcipua hoc, καὶ εἰ μὲν ξυμβῆ ἢ πείρα εἰ δὲ μὴ, ἔ. c. libro 111. sed
 similia passim occurrunt multa. Graci vocarunt ἀναπόδοτα. quòd
 enim inferri debuerat, id omittitur. Indicantur autem hæc ferè
 duobus

duobus potissimum exemplis: Vno Homericō Iliados α.

Α'λλ' εἰ μὲν δώσωσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί
 Ἀ'ρσάντες κατὰ θυμὸν ὅπως ἀντάξιον ἔσται.
 Εἰ δὲ κὲ μὴ δώσωσι, ἐγὼ δὲ κεν αὐτὸς ἔλωμαι.

Et Aristophanico altero ex Plauto:

κἀν μὲν ἀποφάνω μόνην
 Ἀ'γαθῶν ἀπάντων οὔσαν αἰτίαν ἐμέ
 Ὑμῖν, δι' ἐμέτε ζώντα ὑμᾶς, εἰ δὲ μὴ,
 Ποιεῖτον ἤδη τοῦτ' ὅππῃ ὑμῖν δοκῇ.

Quo pacto Cyrus enim. 133. 19. *Vel, quo pacto Cyrus ve-*
ro: πῶς δὲ κύρος, ἔφη, καὶ οἱ (ὡς αὐτῶ: oratio ista Cyaxaris est in-
crepantis nuntium. Si Cyrus, inquit, & qui eum secuti sunt, pote-
rit inuenire hostes, nimirū poteris & tu illum inuenire. Sed nun-
tius narrat, Hyrcanios quosdam aduenisse, cum quibus Cyrus dis-
cesserit, ita ut haberet hos duces itineris, cum ipse & profectio-
nis consilium & iter omnino ignoret.

Rectē & ordine fecer. 134. 20. καλῶς καὶ νομίμως, lau-
 dabiliter & legitime: id quod Latini ita loquendo indicasse vi-
 dentur, quemadmodum nos Græca sumus interpretati. Suprà au-
 tem νομιζόμενα, in Latina conuertimus hæc, Quæ ius & fas po-
 stularct. ead. 2. quòd illam eo loco significationem verbi esse ar-
 bitraremur.

Et consultos. 134. 23. φρασῆρας, qui interrogati de rebus
 agendis, consiliis suis, quid fieri oporteat, explicēt. quemadmodum
 & apud Lacedæmoniorum reges σύμβουλοι, fuere, id est cōsiliarij.

Et non temerè obsecuti sumus nostræ vol. 135. 5. ἔδδὲ
 τῶντα αὐτοματίσαντες, à quibus nihil fortuitò his in rebus actum
 est: id est autem certè inconsultò atque temerè.

Sed docili & acri ingen. 135. 23. ἔυνεσι φαίη μοι ἔχειν. est
 enim ἔυνεσις ea fermè vis ingenij, quæ Latine docilitas dicitur, ut
 ἔυνετοῦς, doctos, interpretari posse videamur: de quo nomine in
 v I. libro Nicomacheorum differitur.

Hoc igitur consilium capiend. 135. 27. οὔτως οὖν δὲ
 ποιεῖν, id nobis agendum est. Et mox: paratis omnibus. 136. 5.
 σε σχευασμένους: quod verbum Græcum alio loco aliter sumus in-
 terpretati, ut libro tertio, νόμιζε (ὕνεσχευασμένους παρέσταξ, valis.

collectis affuturos esse existima nos. 95. 2. τῶν σκευῶν, *enim, id est vasorum, in verbo illo significatio est, cum potuisset etiam dici, rebus collectis.*

Qui proximè desident apud suos. 136. 15. οἱ ἐγγύστα τῶν φίλων καθήμενοι: *nostri Latine dicuntur, qui Græcè φίλοι, communi appellatione, itidemque sui: Vt cum litteris scribendis suum aliquis appellat eum, cui scribit, id est φίλον.*

Principibus autem equitatus, & Hyrcan. 137. 16. τοὺς δὲ ἄρχοντας τῶν ἰσπαίων ἢ ὑρκανίων: *equitatus nunc Medorum dicitur ἔξαιρετως, quamvis Hyrcanij quoque essent equites.*

Tabernarios & mercatores. 138. 10. καπήλους ἢ ἐμπόρους. *ita hæc interpretando secuti sumus descriptionem utriusque generis Platonicam, que extat in secundo libro Rerumpublicarum hæc: ἢ ἔ καπήλους καλοῦμεν, τοὺς πρὸς ἀνήντε καὶ πρᾶσιν διακονοῦντας, ἰδρυμένους ἐν ἀγορᾷ. τοὺς δὲ πλανήτας ἐπὶ ταῖς πόλεις, ἐμπόρους: certè enim tabernarios seu caupones vocamus eos, qui emtionis & venditionis administri in foro desident: qui verò civitates oberrant, mercatores. Quod mox sequitur, Vt domestico vsu colantur castra. ead. 11. ὅπως οἰκῆται ἡμῶν τὸ στρατόπεδον: Vt sint tanquam incolæ in castris. Ne sint inculta & deserta castra per infrequentes commeatibus.*

Populariter. 139. 34. χωρτικῶς: à nomine Græco χώρα est χωρίτης, unus ex populo seu vulgo regionis illius: & ideo Græcum nomen interpretantur altero Græco ἰδιώτου: atque ita fermè est et vsus hic autor in tertio libro historiæ Græcorum, in narratione de Eleis devictis à Lacedæmoniis: τοῦ μὲντοι προεσθάναι τοῦ διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ἱεροῦ, καί περ ὅτι ἀρχαίου ἡλείοις ὄντος, ὅτι ἀπὴ λαοὶ αὐτοῦς, νομίζοντες τοὺς ἀντιποιοιμένους χωρίτας εἶναι καὶ ἐχίχαινοὺς προεσθάναι. A presidèda autem Iouis Olympij templo (quamvis ab antiquo penes Eleos ius hoc non esset) ipsos non repulerunt, quòd statuerent id contra Eleos sibi vendicantes, ex populo & vulgus, neque eos esse, qui presidendi muneri satisfacere possent. Atque nunc hoc dicitur, à Cyro non esse eximiam educationem atque singularem Persarum, sed communem quandam atque vulgarem, quòd nos populariter educatos esse rectè dici Latine putavimus.

Et gladios nudos. 140. 16. *ἡλὸς μαχαίρας, quas ἡοπίδας etiam vocat, à feriendo seu cadendo. ἡλὸς autem μαχαίρας, quid aliud faceremus interpretando, quàm nudos gladios, in mentem non veniebat. nam ἡλοὺς eosdem quos γυμνοὺς in exercitu vocant: & γῆν ἡλὸν, solum nudum.*

Peditibus verò suo quèque loco ex comparib. alt. præficere. 140. 18. *ἐπὶ δὲ τοῦς πεζοὺς τῶν ὁμοτίμων; ἐντὶ ἐαυτῶν ἔχασον καθίστασθαι ἄλλον ἄρχ. ita enim hæc leguntur in nostro veteri libro. neque est obscura sententia. paulo antè autem, ubi in libris vulgatis est, καὶ τὰ ξυστὰ ἔχοντας ἀεὶ ἐπὶ τῶν ἰστωῶν ὀχει. Id. quod sumus interpretati, in nostro veteri libro talis est scriptura: καὶ τὰ ξυστὰ λαμβάνειν καὶ ἐπὶ τῶν ἰστωῶν ὀχ. ad quæ verbum supra positum, ἐκέλευσε, repetendum fuerit: Iussit ipsos loricas & hastas capere & equis vehi. sed edita scriptura & ipsa satis comoda est.*

Mortem obiit cæsus à vobis. 140. 31. *πέθικεν ὑφ' ὑμῶν supra enim dictum est Assyrium ductorem exercitus fuisse in prælio interfectum: quæ quidem non consentiunt cum aliorum his de rebus narrationibus, siue Xenophora ipse suo arbitrio hæc ad istum modum exposuit, siue retulit tradita ab alio.*

Infelicis fortunæ casu. 141. 19. *δυστυχῶς τυχῶν: venusta repetitionis cōtinuatio hæc est. de qua forma orationis, à quibusdam immeritò reprehensa, alibi plura à nobis dicta sunt. Latine eandem exprimere non potuimus. si tamen fecissemus, infelicis felicitatis casu, esset aliqua in his similitudo.*

Et non magis iam turpitude. 142. 6. *οὐτ' ἂν ζῶν ἐπι αἰσχυροίμην: non pudeat iam me diuturnioris vitæ. Vel: nò duxerim mihi turpe vitam longius producere.*

Quæ Diis eximenda esse Magi dixer. 142. 32. *τὰ μὲν οἱ μάγοι ἔφασαν τοῖς θεοῖς ἐξελεῖν: quæ extāt in nostro veteri libro liquidè exarata: itaque sine dubitatione sumus interpretati.*

Tanta est fitis mea. 143. 20. *οὕτως ἐγὼ διψῶ. de vehemente cupiditate Græci vsi sunt verbis significātibus sitim & famem. Latini sitim huc transtulere, famem non item.*



N LIBRO hoc quinto hæc ferè insunt. Primum: traditum Araspæ Medo tabernaculum exemtum Cyro custodiendum, unà cum Suside seu Susiana muliere, & disputatio de affectione amoris, & narratio quomodo hoc ille captus fuerit. Secundo: studium Cyri retinendi Medorum apud sese equitatum, & conciones quadam ipsius & aliorum tunc habita. Tertio: profectio ad Gobryam, & res ibi gesta. Quarto: consilium & cura Cyri de augendis suis & hostium diminuendis viribus, indicatis, gente Cadusiorum Sacarumque, necnon Assyrio principe viro Gadata Eunucho, qui adiungi possent: itémque exercitus productus in regionem Babyloniã, & ad ipsam urbem Babylona. Quinto: Gadata transitio ad Cyrum, & occupata munitio in finibus opportuna, & accessio Cadusiorum atque Sacarum. Sexto: Gadata discessio ad tuendas munitiones suas aduersus impressionem Assyriorum, & à delato, per proditionem, in insidias periculum aditum, & suppetia lata à Cyro: in quibus celebrantur Cyri & virtus, & prudentia, & benignitas, & solertia in re militari. Septimò: Cadusiorum temerarium facinus excurrando ad prædas agendas, & acceptum detrimentum, & mox à Cyro illud compensatum hostium cade. Octauò: pacta conuenta de agricolis durante bello, ne regio prorsus vastaretur, & Gadata receptus in exercitum Cyri cum omnibus suis, ut ab Assyrij iniuria & vi tuti essent. Nonò: præter urbem Babylona ductus exercitus à Cyro, & occupata in finibus munita castella, & missus nuntius ad Cyaxarem, qui significaret, Cyrum cum eo de summa rerum colloqui cupere, & congressus horum, reconciliatæque inter eos gratia, & in tabernacula discessio.

Araspam Medum. 144. 40. Vel, Araspem. Est autem & ἀράσπης, & ἀράσπας: sicut ὑδάσπης & ὑδάσπας, Vt Latine possimus terminationibus as, & es, uti, etiam a, ut Sofia. Quod mox autem sequitur: maximus natu. 145. 1. interpretatur id, quod in vetere nostro libro legitur, γαράτατος.

Modo etiam cum ex te aud. 145. 17. καὶ νῦν σοῦ ἀχούσας. Implicatur oratione non planè explicata affectio quadam tunc adeo

adeo sermone *Araspa commota in animo Cyri erga formosam illam mulierem, qua scilicet multò vehementior futura esset, si illam aspexisset etiam.*

Ex formosis autem hi amantur. 145. 28. τῶν δὲ χαλῶν, τῶν μὲν ἐρώσι: *formosorum aliqui amatores sunt, aliqui non sunt. Est autē alia res ἐρώς, & alia Φιλησις, sed amandi & amoris verba in sermone Latino communia sunt. amores tamen significationem habent ἐρώτος, & amatores τῶν ἐρώντων.*

In voluntate enim totum est positum. 145. 30. ἐθελοῦσιον γὰρ ἐστὶ. *Materia hæc est disputationis de libertate voluntatis seu arbitrij hominum, quod Græcis est ἐκούσιον, & propria hæc doctrina Ethica Philosophia, tractata in tertio libro Nicomacheorum. Quæri autem solet. utrum virtutum & vitiorum actiones sint in nostra potestate & utrarumque principium in homine: vel, sicut Aristoteles loquitur, ἐν ἀρχῇ ὁ ἄνθρωπος, ad quod cætera referuntur, quibus voluntaria & non voluntaria distinguuntur. Voluntaria Græcis sunt ἐκούσια, Xenophonti ἐθελοῦσιον est: non voluntaria, ἀκούσια. De his igitur, secundum Aristotelis doctrinam, hæc poni poterunt:*

I.

Penes unumquemque est, ut sit in numero τῶν ἐπιχειῶν, qui viri boni perhibentur: & Φαύλων, qui mali. quia penes unumquemque est consulendi & agendi potestas.

II.

Quæ sunt, eorum causa sunt, vel in necessitate natura, vel arbitrio cuiusque, vel fortuna. Sed actiones humanae (id est πράξεις, quo nomine significantur ea, quæ homines agunt rectè aut pravè) neque fortuitæ sunt, (fortuna enim incertorum euentuum est) neque necessitatem habent natura. (eodem enim modo ab omnibus susciperentur.) Relinquitur ergo ut sint arbitrij ac voluntatis.

III.

Si sunt causa seu principia actionum in nobis, sequitur actiones in utranque partem etiam penes nos esse.

IIII.

Ad hæc, quæ ita rectè concluduntur, accedit confirmatio quoque insita communiter omnibus sententia. Consensio autem talis,

Lex & vox nature est putanda, ut ait Cicero: solentque ista communes notitiæ, id est κοινὰ ἐνομοία, appellari.

V.

Laudantur autem & merentur premia actiones honestæ, & vituperantur atque puniuntur turpes (quæ sunt virtutes & vitia) ubique locorum & gentium.

VI.

Præterea distinguuntur ea facinora, quæ per imprudentiam ab ignorantibus, aut necessitate fiunt, (id est ἀγνοία ἢ βία) & culpa liberantur: ab iis, quæ proposito atque consilio fiunt, & animadversionem merentur.

VII.

Quin etiam imprudentia, ad quam ignorantia refertur, animadversionem meretur & ipsa, quando huius aliquis sibi auctor est: ut delinquens per ebrietatem.

VIII.

Iam constat præcipi & imperari honesta ac laudabilia, & vitari ac prohiberi contraria: quorum utrumque frustra fieret, si actiones fortuitæ essent, aut simpliciter necessaria.

IX.

Essent ita & premiorum seu honorum, & animadversionum seu pœnarum constitutiones iniustæ.

X.

Quæ cum evidentia sint, inquit Aristoteles, neque habeamus alias causas, præter eas quæ in nobis sunt, ad quas ista referantur. sequitur ut, quorum causæ in nobis sunt, ea & ipsa penes nos esse perhiberi debeant.

XI.

Sed dicat fortasse aliquis, Usque adeo reperiri perditos quosdam ac improbos, ut apud illos neque edicta legum, neque ulla præcepta, doctrina, castigationes, quicquam proficiant: de his verò nihilominus affirmandum est, sua eos sponte tales esse, ut de ipsis etiam maneat verum, Quod actiones in utranque partem voluntarie sint.

XII.

Cur ergo non conuertuntur isti ad studium virtutis, & recedunt

dunt à turpitudine, si actiones sunt voluntariae? An cum, ubi fortè libeat, facere id non possint, argumento hoc est, Non esse actiones voluntarias?

XIII.

Negat hoc Aristoteles: ac corroboratam nequitiam atque prauitatem, quasi exuere & mutare, non amplius facile, neque in vniuscuiusque potestate esse docet, exemplis morborum vitiorumque corporis: cum nihilo tamen minus principium & causa talis ac tanti mali in voluntate remaneat.

XIII.

Addit similitudinem eiaculantis saxum, quod poterat illud quidem non emitti, sed emissum retrahi nequit. Hinc rectè monuit is, qui principis inuisit obstiti, quod serò medicina paretur, cum mala per longas inualuere moras.

XV.

Non sequitur ergo, si possit aliquis, aut indulgere initio, aut aduersari prauis cupiditatibus, quod in has demersus quoque, quando velit, sese euoluere & illas excutere, & quasi ad sanitatem mentis suo arbitrio reuerti item possit. Et præclare hoc, ut cætera, explicat Aristoteles distinctione: Aliter enim sunt in nostra potestate habitus, aliter actiones: habitus quidem initio, actiones autem perpetuo. Quapropter rectè dici videtur, Improbum nihil esse aliud nisi malum, probum autem semper bonum.

XVI.

Hæc cum in doctrina de vita ac moribus rectè & utiliter disputentur, considerationem etiam requirunt procliuuitatis variae diuersarum naturarum in singulis: & errorum, quibus mirificè animi implicari & quasi irretiri solent, & cum iudicia peruertitum deprauari voluntates: necnon inexplorata & cautionem omnem superantis interdum necessitatis.

XVII.

Vnde fit, ut summi viri grauissimè ruant, & atrocissima delicta sint eorum, qui ingenio & solertia cæteris præstant, nõ etiam nunquam præclarissimè instituti. Quam Plato magnam naturam & *νεανικὴν* appellat, in sexto libro Rerum publicarum, effectricem ut maximorum bonorum, sic etiam malorum, quod utrunque

ad *Minervæ* tanquam numinis diuini, effectiōnem *Orpheus* attribuit, vocans hanc ὀρμῆς ἐπαῖα improbis ad furorem, probis ad prudentiam.

XVIII.

Quæ omnia humana sapientia contemplans, & occasiones fugiēdas vitiorum atque peccatorum monet, & sibi nequaquam nimis confidere, & diuino auxilio in omnibus niti atque fretos esse, non se ipsis homines, præcipit: & imbecillitatem viriūm humanarum demonstrat, ut vitetur superbia, & colatur pietas, & præstetur moderatio: quartam quoque & ipsa causam perspiciciens, numinis diuini potentiam & effectiōnem. Atque ita, quæ de libertate voluntatis dicuntur, ea aptè cōcinnari solent cum disputationibus de fato & providentia diuina, eaque quam Fortunam appellamus. In sola autem ecclesia IESV CHRISTI de his omnibus Veritas explicatur, ubi ista non illa quidem refutantur & abiiciuntur, sed emendantur atque corriguntur, vel denuo potius & aliter enarrantur. quæ alia iam schola est, neque in hos tractatus inculcanda.

Vix innumerabiles. 146. 21. μυρίων δ' ἑσῶν μυριων: cum multa milia sint rationum. Utuntur autem nomine illo Greci, quod propriè significat decem milia, de numero & multitudine maxima, quasi prouerbij figura.

Suapte natura eam vim obtinet, vt quasi conuafare hominem val. 147. 3. ἢ ἐν ὅσῳ χρόνῳ ὁ ἔρωσ πέφυκε συσκευάζει ἄνθρωπον: verbo Terentiano vti interpretando Græcum συσκευάζει libuit. Caterorum etiam significationem cōsidimus esse expressam. Hoc autem dicitur, Antequam vis amoris ea sit, vt hominem corripere & auferre possit.

Quos opportunum esset conuen. 147. 27. τοὺς ἐπιχειρήσιους. nam, secundum Ciceronem, opportunitas est temporis: & tempus actionis opportunum, εὐχρησία.

Amor ipsis innatus est. 148. 23. ἔρωσ τοῦ ἀρχαίου ὕπ' ἐλευθέρους συγγέντων. hæc est enim nostri veteris libri scriptura. His autē, quæ isto loco de rege, qui natura rex sit, dicuntur, questio difficilis continetur, tractata in primo libro Politicorum Aristotelis: ubi autor conatur ostendere, Alios liberos, alios seruos esse naturaliter.

liter. Naturalia autem omnia necessitatem quandam habent. Quomodo sunt actiones igitur humanae in utranque partem liberae? ἐπεὶ καὶ ἄλλῃλον ἀναγκὴ τῇ φύσει τὴν ἐνέργειαν εἶναι. primum igitur statuendum est, cum & ingenij & morum virtutes distinctae quaedam rectè perhibeantur, (quae sunt διανοητικαὶ καὶ ἠθικαὶ) eum quidem esse hominem, qui ad utranque laudem aptus & natus esse videatur. Sed in singulis propriū & suum animaduertere natura habitum ac modum, id est ἐπιτηδεύματα, & tanquam semina, unde alij atque alij quasi fructus existere soleant: utque oris & ceterorum membrorum figura humanum corpus conformatur ipsius naturae effectione, cum nemo tamen per omnia similis alterius reperiatur: sic animorum quoque differentia infinita est. Quod si qui communem illam naturae uniuersae conditionem non habent, ne homines quidem illi perhibendi sunt: ut id genus quod ἡμιχόνων vocarunt, & similia monstra: & si quorū in specie humana sic detorti corruptique sunt animi, ut Naturae proprietates non appareat. haec igitur tanquam monstra à Natura recedunt, id est, γίνονται παρὰ φύσιν, sui nimirum quaeque generis. In ceteris manet constitutio Naturae diuersi modi, & varietas maxima, in omnibus quae in hoc Mundo sunt rebus, quocumque nomine appellentur: ut hac etiam in parte concordia illa à veteribus celebrata discors manifesto deprehendatur. Quemadmodum igitur in caelo eximia quaedam est, verbi causa, inter lumina Solis natura, & huius radiis obnoxia Luna, secundum Poëtam, lucem habens ipsa quoque, sed longè aliam: ita in terra & inter homines alij alijs praestant, tam corporis forma, quàm animi pulcritudine. Hoc ergo pacto aliqui, ut domini, sic principes quoque ciuitatum & reges nascuntur, nō declarantur & fiunt hominum iudicio atque sententia: aliqui serui item & vulgus & quos parere non imperare conueniat. Itidem docet Aristoteles, sexus atatumque esse naturalia discrimina, ut pueritiae & virilis aetatis, viri & mulieris: atque hanc ut inferiorem, in potestate esse viri, illā ut inchoatam perfectorum prudentia gubernari vult. Quin etiam hanc Naturarum dissimilitudinem ad totas gentes ostendit quodam modo pertinere. Et de hoc ex Iphigenia in Aulide versum exposuit, quo perhibetur: Gracos imperare Barbaris debere, & non Barbaros.

Græcis. Et in Oreſte dicitur de Phrygiis: Nihil eſſe, Seruile comparatum libero genus. Sic enim ibi Pylades inquit: ἔδεν τὸ δούλον ἄποδός τὸ μὴ δούλον γένος. Verùm in hac tamen varietate nihilominus manet in unoquoque communis vniuerſæ Natura conditio, donec ea ipſa aliquid comprahenditur. Vt igitur Adamantis precium & vilitas ſilicis non mutat lapidis in his Naturam: ſic & Cyrus, verbi cauſa, & aliquis ſub imperio ipſius ſortis inſimæ, fuit ſcilicet homo. Cùm autem hominis naturam mēs, ratio iudicium, voluntas, ſententia, conſilium conſtituant, in unoquoque omnino iſta erunt, ſed non eodem modificata modo. Itaque audet pronuntiare Ariſtoteles: In eo, qui ſit natura ſeruus, conſilij facultatem, id eſt τὸ βουλευτικόν non eſſe: ſignificans genus iſtud prudentia & mentis vi deliberando deſici. In muliebri autem ſexu concedit quidem illam facultatem in eſſe, ſed non ſua poteſtatis, neque ſui iuris: id enim eſt nimirum ἀκροῦν. Secundum quæ explicari & hoc poteſt, Cur non æquè omnibus in promptu ſit, excellere virtute, ſi velint. Non enim verum eſt, ſtatim, vt quiſque concupiuerit animo ſuo, ſic ipſum fortiſſimum, patientiſſimum, magnificentiſſimum, temperatiſſimum, iuſtiſſimum, itémque prudentiſſimum ſolertiſſimumque futurum eſſe: niſi ita hoc dicatur, vt excellentia illa ad captum vniuſcujuſque referatur. Quæ iam erit Natura proprietatis, alia quidem illa in aliis, ſive corpore, ſive animo, ſive etiam vtroque ſimul: huic iam in ſingulis opponitur ſtudio, & induſtria, quæ doctrina augentur. Vt: Paulum intereſſe cenſes, ex animo omnia, vt fert natura, facias, an de induſtria? Vnde quaſtum ſemper fuit. Naturæ ſapientia & virtus conſtaret, an compararetur inſtitutione & præceptis? Cùm quidem rectè res deſiniatur: Coniunctis ambobus his perfectam vtriuſque laudem contineri. Non poteſt eſſe æqualis Achilli aut Aiaci Menelaus, non Herculi Telamon. At hoc aſſequi vterque poteſt, vt ſuo loco excelat, & præſtet cæteris quamplurimis. Xenocratis pudor & continentia atque grauitas tanta fuiſſe perhibetur, vt ſua ætate parem habuerit neminem. At nihilominus fuiſſe neque impuros neque diſſolutos & leues tunc plurimos exiſtimandum eſt. Similiter & de aliis dici poteſt. Nam & poſt Homerum ſummum hunc poëtã, alij deinceps diuerſam illi quidem, ſed omnes illuſtrem famam &

*maximam laudem sunt consecuti. Quae exempli gratia attulisse
sufficiat. Quam latè enim ista mentio pateat, non est obscurum.
Atque hoc in Ethicis magnis ista similitudine demonstratur. Vt
exercitatio & cura corporis non potest semper efficere, ut præstan-
tissimus sit habitus illius, quae est ἐνέργεια, nisi corporis constitutio
bonitate excellens sit: melior tamen, ut sit habitus iste, diligentia
& studio aliquis consequetur: sic etiam statuendum, non statim fu-
turum virum optimum & laude dignissimum (id est σπουδαϊό-
τατον καὶ ἐπιεικέστατον.) eum qui proposuerit, talem se esse velle,
nisi natura præstantiam nactus sit adiutricem. Hoc tamen illa
voluntate & cupiditate consequetur, ut melior probiorque eua-
dat. Quoniam autem in hoc communi omnium natura humana
statu, singularis excellentia & rara est & mirificè præclara, ideo
diuinitatis hanc nomine Veteres celebrarunt: sicut è contrario de-
teriores humana improbitatem feritatis & immanitatis. Ad ci-
uilem igitur societatis usum felicem magnopere pertinet, ut contra
naturam vniuersam nihil contendamus, ea tamen cōseruata pro-
prium quisque & suam naturam sequamur. Vt, etiam si sint alia
grauiora atque meliora, tamen nos studia nostra natura regula
metiamur, quemadmodum ait Cicero. Hoc nisi fiat, omnia in hac
vita confundi perturbarique necesse est, quemadmodum accidere
solet miseris atque turbulētis temporibus, quibus neque ordine ne-
que rectè geritur quicquam, & temeritate atque audacia publicè
priuatimque cuncta sunt referta. Id autem sibi ista volunt, Debe-
re vnumquemque suae naturae bona tueri & augere, procliuitatem
verò ad vitia (quae similiter & ipsa multiplex atque varia est) re-
primere, neque indulgere prauitati. Atque est intelligendum,
Eximium esse donum benignitatis diuina, cum omnibus in parti-
bus vitae virtutem ac sapientiam, tum maximè in præsidendo &
regendo. Itaque præclara est sententia versus, qui Menandri per-
hibetur: εὐκων δὲ βασιλεὺς ἐστὶν ἑμψυχος θεοῦ: quo dicitur, Regem
esse viuam imaginem Dei. Contra verò, permittente Deo occupa-
re gubernacula reipublica tyrannos, res humana crudelissimè af-
fliguntur. de quo & exempla passim in historiis extant, neque mo-
do plus verborum fieri conuenit. pertinet autem hoc & generis in
vtrâque partem propagatio: quae est Graecis ἐργεσία καὶ ἀνοργεσία.*

Consentaneum enim videtur, Fortes creari fortibus & bonis ut ait Horatius: & negat Theognis, Rosas atque hyacinthum provenire ex squilla, & partu servili liberam sobolem procreari. In quadam autem Theodectæ Tragœdia, Helena nefas censet perhiberi genus servile, quod utrinque stirpem diuinam habeat. qua oratione nihil aliud, inquit Aristoteles, agunt, quam quod servos ac liberos, itémque generis nobilitatem & humilitatem discernunt Virtute & Vitio: quasi ex bonis procreari bonos oporteat, sicut ex animantibus genere similes: atque hoc conari naturam ait efficere, sed non semper posse, nam præstantissimorum & optimorum virorum sæpenumero proles deterrima & futillissima esse solet. Unde & proverbiū, Heroum liberos pronuntiat esse pestes. Hac verò & ipsa in hac caduca & incerta atque dubia vita, sibi non constare, non est mirandum: & quamvis vulgò non animadvertantur causæ: tamen has quoque varias cogitando animadvertere licet, prolapsionis cuiusdam in tam lubrica progressionē. Quia autem hereditas alia relinquitur liberis à parentibus, æquum esse existimatur adiri istam quoque generis, Reuera tamen & Nobilitas sola est atque unica, Virtus: Et contrà non solum pulchrum ornatum, ut ait Plautus, sed præclarum etiam genus, turpes mores peius cæno collinunt. Sanè inter adiumenta quadam ad dignitatem & laudem, non est hoc postremo loco ponendum. Itaque perquam est species illustris in nobilitate generis cum studio virtutis coniuncta. Unde & hæc nata sunt: Insignem & eximiam formã, nobile esse genus inter homines: & nomē celebre longiùs in iis procedere, qui reperiantur digni: & ita demum genus rectè laudari, si quis iusticiam colat, & bonis moribus præditus sit. Et Pindarus, bene natos institutione veluti subigi, sicut cote ferrum, affirmat: & his similia, quæ nunc congerèda non putauimus, cum iam adeo longiùs, quàm fortasse oportuerit, disputatiuncula hæc euagata esse videatur.

Videbamus sua sponte. 148. 29. ἐρωῶμεν τοὺς φίλους οὐ πάντας εἶδελ. Et mox: Humana autem sententia, quænam obsec. 149. 8. ἀνθρώπινη δὲ γνώμη τίς ἀν' ἡν, ἢ φευγόντ. quæ scriptura planè extat in nostro vetere libro.

Qua parte aditus. 150. 7. ἢ ἢ ἑρέσοδος εὐπετ. Et mox:

Quam

Quam cùm accessisset. ead. 13. ἢ προσήλθεν: *vel, quam dudum de procul, ἢ πρόσωθεν. Et paulo post, Tota ætate hominū. ead. 15. ἐπ' ἀνθρώπων γενεᾶς.*

Pateras, vrceos, vrnulas. 150. 29. φιάλας, πορχόνους καλπίδας: *an Latina nomina, quibus conuertendo Græca vsi sumus, hæc planè interpretentur, relinquo considerandum. Quod mox autem sequitur, Daricorum. ead. 30. notatū est: cùm Darius filius Hytaspis tertius rex fuerit Persarum. Sed & hoc traditur, Ab antiquiore quopiam Dario factum esse & impositum aureis istud nomen.*

Forma & magnitudine stupenda. 150. 31. δεινὸν καὶ ἄλλος καὶ μέγεθος: *in Græcis verbis structura (ωδευτική) est, quæ appositionis nomine indicatur à Latinis. δεινὸν autem καὶ ἄλλος appellauit, quòd spectantes admirando obstupescerent: & addidit magnitudinem. non enim pulcritudo nisi in magno corpore, secundum Aristotelem: neque parui sunt pulcri, sed ἀπειροὶ καὶ σύμμετροι, id est elegantes ac venusti.*

In toro è stirpibus. 152. 14. ἐπὶ τριβάδης δὲ κατακλιθεὶς. *Lectulos fuisse Lacedæmoniorum, (quos nunc celebrare Xenophon videtur) τριβάδης, ait Plutarchus, congestis arundinibus, quæ creuissent in ripa Eurotæ, & ab ipsis propriis manibus essent defræctæ absque ferramentis. Summus autem stirpium communi nomine vsi. Cicero quidem in Mureniana ita: Lacedæmonij qui in cotidianis epulis in robore accumbūt. Ex mentione autem iocorum & didictorum hæc Plutarchus pertexuit disputationē primam Quaestionum conuiuialium libri secundi.*

Iudicium fuit Assyrij tanquam de hostib. 154. 9. ὑμᾶς μόνους ἐνομιζέτο πολεμικῶς ἔχειν: vos solos statuit hostiliter esse erga se affectos Assyrius? Et mox: Quid obstat verò. ead. 16. τί δὲ ἐν μέσῳ, ἔφη, ἐστὶ: quid medium interiectum prohibet eos coniungi? Paulo antè verò: Ad hæc ambo pariter responderunt, persequeret. ead. 5. ἀπεκρίναντο ἀμφοτέροι κατὰ ταυτὰ, περαινέειν ὅ,τι μέλλει: ὡς ταῦτα εἶδῶσι, σφίσι καὶ μέλον αὐτοῖς: *Vel, absolueret seu perficeret, quicquid esset acturus, quòd illa ipsis nequaquã ignota, & magnæ curæ esset, quonam res istæ euaderent. Est autem μέλον positum absolutè, sicut alia solent neutra participia vsurpa-*

ri, vt δόξαν, ἔξον, &c.

Multis quorum, vultus formidinē atque tristit. 155.31. ἐκ πολλῶν καὶ δυσθύμων τὴ καὶ ἐξεστηότων προσώπων. Cicero non putat esse in Græco sermone nomen exprimens Latinum Vultus: sic tamen nunc Xenophon πρόσσωπον ὑsurpasse videtur, significans faciem tristem perturbatamque & non constantem sibi in trepidatione.

Conuertere illos facile possis. 155.35. ἀνατρέψου τὸ φρόνημα. Latina non exprimunt satis significanter Græca: atque videtur tale aliquid dici, Neque si reducas, reuocando excitare animos illorum possis. Et paulo post: in periculo nos sumus. 156.5. ἐν δειῶ ἔσμεν: qua est scriptura veteris nostri libri.

Omnes approbarūt, omnésque laudib. 157.3. πάντες καὶ ἐπῆνουσιν, πάντες δὲ ἐνεκωμίαζον: collaudarunt omnes & predicatio celebrarūt. Qui autem ἐπαίως, & quod ἐγνώμιον propriè sit, Aristoteles docuit tam in Ethicis quàm Rhetoricis libris.

Vbi igitur opportunum putaueris. 157.34. ὅποτε οὐ καλῶς σοι δοκεῖ ἔχειν: quando rectè hoc futurum esse existimaueris. Et mox: Quid verò facere possit. 158.7. ὅτι ἂν δύναιτο: quid utilitatis & boni conciliare nobis possit.

Sed ad exercitum proficisci, & scalas vt ad castr. 158.20. Vel: proficisci se ad exercitum adducendum, & scalas deportandas. Vt talis scriptura sit, ὅτι ἐπὶ στρατεύματος ἔρχονται, καὶ κλίμαχες ὡς τὸ φρούριον ἄξοντες: qua mihi omnium quas vidi, maximè cōgruere est visa, & alicubi habet astipulatricem scripturam veteris nostri libri.

Eisque tormēta adhibuit coram mult. 159.6. οὐς δὲ ἔλαβε βασιανίζων ἐναντίον πολλῶν. oratio hoc loco speciem habet minus plena aut congruentis elocutionis, sed explicari sententia facile potest, & compositio quoque verborum σχήματι, quod à Grammaticis καυνοῦραπες vocatur.

Modò re comperta accedens. 159.25. ὅστις ἰδοθήμενος τοῦ γενημένου προσελθὼν τῷ κύρω. hæc enim scriptura est libri nostri veteris. Et mox: ὀ ingens bonum tu. ead. 27. ὦ μέγα ἀγαθὸν σύ, σωθετικῶς, vt, Tu decus omne tuis. Et ὀ decus Italiae virgo. Et statim deinde: vt quàm plurimi illum vestra natio,

tio, itémque focij fac. ead. 31. ὡς ἂν τῷ ὑμετέρῳ φύλῳ πλείου ἄξιον ἦ, καὶ τοῖς ἄλλοις συμ. *quam scripturam planè exaratam in nostro vetere libro, ut verā interpretando exprimi studuimus.*

Agminis sui. 162. 12. τοῦ ἑαυτῶν πλαισίου. *generali nomine agminis Latino Gracum sumus interpretati. Est autem propriè πλάσιον quadratum agmen, quod ἔστω πλίνθιον: quamuis non omnia latera equalia sint, sed una parte longiora: quod σχῆμα ὑπόμικτες appellatur. In aliis autem libris alia reperiuntur Persica & ceterorum Asiaticorum nomina: quæ discrepantia nihil habet momenti.*

Qui sese autem commouebunt. 163. 4. ὁ δὲ ὀρμώμενος ἀεὶ τῷ κατ' οὐρανὸν ἐχούσῳ ἐπέσθω: *numerum interpretādo mutauimus, ut esset euidentior sententia, & sumus secuti scripturam editam, cum qua nostri veteris libri scriptura prorsus concordaret. Hoc autem moneri videtur, Vbi se quisque commoueat, id est incipiat pergere, (id enim esse arbitror ὀρμώμενος) videre eum debere, ut ultimum ante se sequatur, continuando scilicet agmen. Quòd si esset, quemadmodū Hæricus Stephanus edidit, παρεχούσῳ ἐπέσθω, hoc scilicet diceretur: Qui perget procedendo, is sequi iubeat illum, qui à tergo est seu ultimum quenque.*

Omissum est. 164. 14. παραλέλειπται. *Et mox: Præciat autem quidam his quoque. ead. 20. ἀρχὼν δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ τῶν εἰς ἦν. ita enim hæc in nostro vetere libro extant.*

Quòd itinere confecti essent. 166. 2. διὰ τὸ κατατετρώχθαι ὑπὸ τῆς πορείας. *In nostro tamen libro vetere est, κατατετρώσθαι: id est, afflicti: non aliena verbi translatione significantis inflicta vulnera.*

Qui seruasset à tergo. 167. 16. ὠπισθοφυλάκει. *sicut, Solus Sannio seruat domi. Locus autem hic assignatus Cadusio, quem teneret, non passus scilicet fuit cum hostes insequi.*

Si quis se commo. & crump. ei quant. sat. 168. 15. ἀλλ' ἦν τις κινούμενος ὀρμάσθαι, τῷ ἰχανῷ βοηθῆσαι: *Vt coheretia cum superioribus hæc ἐναντιωματικῶς, ita sumus interpretati, cum quid aliud faceremus non veniret in mentem. Sanè si reponatur loco κινούμενος, κοινωούμενος, aut κοινούμενος, autore Henrico Stephano, magis erit sententia perspicua, & oratio minùs implicata ver-*

*bis, atque hoc dicetur: Verum si quis ita se commoueat, ut commu-
nicet rem cum aliquo, qui is sit, ut succurrere possit, tunc acciderit
sanè, ut decipiatur aliquis, sed acciderit hoc quoque, ut ea parte
qua rem, &c.*

Conficiendi iamdudum cupidus. 170. 17. *Scripturam
nostri libri veteris sumus interpretati hanc: ἐγὼ τε οὐὼ δὴ πάλα
ἐπιθυμῶν, τοῦ περσῶν ἰστωκίου ἐκπαλήσω εἰς τοὺς μυρίους ἰππέας.*

Perpetuò parturiebat pœnā. 171. 4. ἀλλ' αἰὲν τοῦτο κού-
σα ἄρα πὸτ' ἐφαί ἀποτίς. *id est, sed hac nimirum semper cogita-
tione & cura grauidus, ecquando pœnam ab illo repetiturus essem.*

Mea quidem sentētia. 171. 23. ὡς γὰρ ἐγὼ δοκῶ. *hoc enim ita
in nostro vetere libro extat. Vtrumque autem Græcus sermo usur-
pat: δοκῶ ἐγὼ, & δοκεῖ ἐμοί*

Omnis autem turba armis prætext. 173. 2. ὑπὸ δὲ τῶν
παρυφασμένων ὄσλων πᾶς ὄχλος δεινὸς φαίνεται. *Translatio est
manifesta, prætextarum vestium. δεινὸς autem ὄχλος, formidulo-
sa turba est, siue horrenda. Subiecit autem hanc sententiam gene-
raliter, cùm simplicius fuisset φαίνεται: de copiis ipsius, id est vi-
debitur.*

Eo frueremur, quod euenisset boni malive. 176. 22.
κοινῇ δὲ εἶπὲ ἀγαθὸν ἢ κακὸν συμβάωσι, τοῦτο καρπόμεθα. *Sanè
æquum est amicorum aduersos etiam casus esse communes. κοινὰ
γὰρ φίλων ἀχ. Sed cùm modo mentio fiat de fructibus percipien-
dis, suspicari aliquis possit pro κακόν, reponi debere καλόν: ut hoc
dicatur, quod boni commodique aut præclari euenisset. Xenophon
autem multum & libenter utitur ista forma orationis in conten-
tionibus, seu disceptationibus, id est quasi agendis causis: que est
διαλεκτική, ut aliquis sua cōfessione eò perducatur, quò alter vult:
quemadmodum supra quoque in iudicio de Armenio fecit. Genus
autem istud Socratem habet autorem, vel eum certè qui perpoliuit
& exornauit.*

Id quod homines arctif. complect. 178. 13. ὁ μάλιστα ἀν-
θρώποι ἀσπάζονται. *est enim in verbo significatio complexus bene-
uolentiæ: & mentionem generaliter coniugij, qua in Græco sermo-
ne fieret hoc loco, visum est retinere. Et mox: Quod in primis
congruit perturbationi meæ. ead. 19. τὸ μάλιστα τῶ ἐμῶ πά-
θει*

Ἰεὶ ἐμπερὲς: quod maximè congruit iis, seu pertinet ad ea, quæ ego sum perpeffus.

Auctam esse ais. 178. 33. *Id sumus interpretati quod in nostro libro vetere legeretur, mihi que probaretur: τῆ ἐμῆ δυνάμει, λέγεις ἐμὲ καὶ τὴ ἐμὴν χάραν αὐξῆν: id est, Ἰὼ τῆ ἐμῆ δυνάμει.*

Quos conuenit. 180. 12. οἱ ὄπιθεν ἔλθοι: quos adesse opportunum erit. *Et mox: Tu verò iniice præfens. ead. 14. σὺ δὲ ἡμῶν ἐμβαλε παρὼν ὡδὶ τέτου: tu verò præfens referto ad nos de hoc. Absolutè nunc verbo hoc usus est in significatione Mentionem inferendi, alibi addit λόγον: Vt mox sequete libro hoc ipsum, quod nunc dicitur, indicans Cyrus inquit, πὶ δὴ τα ἐγὼ κυαζάρφ λόγον ἐκέλευσαι ἐμβαλεῖν πάλιν ἡμῶν: & supra libro secundo, ibidémque est ἐμβαλεῖν βασιλιῶ, & ἐμβαλεῖν ψήφον.*

De militia deliberaturis. 180. 35. ἔχοντες οἱ στρατιῶται περὶ τοῦ στρατεύεσθαι βουλευόνται: ego conabor curam pro viribus suscipere, seu cura mihi ut sit, ut rebus necessariis suppetentibus, ita milites de militando consultant.

AD LIBRUM SEXTUM.

HOC libro sexto: primùm congregati Cyrus & ceteri ad fores tabernaculi Cyaxaris, opperiantur iocando serio inter se, dum ille prodeat, & proponitur deliberatio de expeditione belli, & decernitur esse illud prosequendum, & apparatus demonstrantur ad hoc ipsum necessarij. Secundo: indicantur à transfugis Babylonis consilia Assyrj de bello gerendo, & armantur currus à Cyro falcibus: atque ita mittitur explorator Araspa, quasi trās fuga offenso Cyro propter appellatam impudicè Susianam mulierem. Vbi inseritur disputatio de diuersis animi motibus. Tertio: narratur occasio, qua occasione accersitus Panthia maritus Abradata ad Cyrum venerit, & instructi egregij currus falcati, & plaustra qua turres portarent effecta. Quarto: Indorum aduentus cum litteris & pecuniis & ex his quorundam ablegatio ad Assyrium simulata, explorandi, quid ab illo fieret, causa: & Cyri studium apparatus bellici, exercèdique

militēs: & rēditus Indorum cum indicio hostilis apparatus: & militum perturbatio, & ad hanc sedandam Cyri ac Chryſantæ accommodatæ conciones: & Cyri, confirmatis militum animis, præclara oratio, de militiæ instrumentis. Quinto: educit exercitum Cyrus, & appropinquat ad hostes, & capiuntur quidam pabulatores, & incipit geri negotium: & inter hæc Araspas reuertitur, atque exponit, quo pacto hostes instructum exercitum habeant: Cyrus autem, quo modo velit ordinari suas copias, docet singulatim ductores. Currus quoque, collocatis camelis post plaustra curulia, falcati disponuntur, & sortitò locus optatus euenit Abradatæ, & hic exornatur ab uxore Panthia cum cohortatione luculenta: & concluditur liber oratione ad milites Cyri.

Formidine extinctum esse Gad. 181. 13. ὅτι ὁ γὰρ δάτα; πάλαι ἀπολώλει τῷ φόβῳ. *usitata hyperbola: Vt occidi, interij, mortuus sum. Et mox: De meis rebus profus actum esse. cad. 18. ἔρρει τὰ ἐμὰ παντελῶς, id est, mea omnia perditæ esse. Vt in Laconica epistola libro primo ἐλληνικῶν, ἔρρει τὰ χαλὰ.*

Fortasse initium. 182. 10. Atticum est, affirmando usurpári ἴσως, ut absit confidens arrogātia. Sic etiam superiore libro Cya-xares: ἀλλ' ἴσως τοι, χαλῶς λέγεις, deque hoc plura diximus in Politicis Aristotelicis. sæpè enim Aristoteles ita ἀτιμίζων locutus est.

Dextram Cyri. 183. 4. τὴν κούρου δεξιάν. *Vt Homericū hoc, καὶ δεξιᾷ αἴς ἐπέπιθμεν. nam data dextra fides firmatur: atque reges Persici hanc mittebant quoque, id est suo nomine dari inbebāt. Laudare igitur se, Gobrya ait, Cyrum, qui datam fidem seruet, neque vlla parte fallat.*

Translatæ sunt. 183. 26. ἀναχειρομισμένα εἰσί. *Vel, id quod in nostro vetere libro extat, ἀναλεχομισμένοι εἰσίν: id est illi, nimirum hostilis regionis incolæ, in loca munita deportarunt. Est autè Atticis nequaquam inusitatum, præterito passivæ formæ in significatione actionis uti.*

Obsidebuntur autem. 184. 1. πολιορκήσονται. *Atticos crebrò ὑsurpassè mediæ διαθέσεως futurum tempus in passivâ significatione depræhenditur, & notarunt Grammatici: ut in secundo Rerum publicarum Plato, ὅτι οὕτω διακείμενος ὁ δίκαιος ματιγώσεται*

ται, τρεβλάσεται, δεδήσεται ἐκχαυθήσεται τ' ὠφθαλμῶ.

Serenitatem tranquil. 184. 8. ὑπὸ εὐδίας μάλλον ἔσται. in nostro tamen libro vetere est, ὑπεύδία, meo quidem iudicio, non improbanda scriptura. Quod autem in nostra interpretatione sequitur, Syriæ verò agros illos possid. ead. 14. id conuersum est de Gracis in nostro libro vetere ita perscriptis: ὑμεῖς δὲ τὰ ὄροσῶρια ὑμῖν αὐτοῖς, τῆς δὲ συρίας ἐκεῖνα κατὰ ὄσται καὶ ἐργάζ: illa mirum iam capta atque occupata loca Syriae.

Efficere quamprimùm nos ea oporteat. 184. 26. Nequaquam sum facilis ad mutādum ea, quæ edita in veterum scriptis reperio, nisi diuersum in libris non editis alicubi inueniatur. quod tamen ipsum quoque notandum ferè potius, quàm inconsideratè reponendum soleo existimare, sicubi non est mendum manifestum. Sanè hoc loco, quasi non χρῆναι, sed χρῆν, legeretur, ita ista sumus interpretati: cùm attendenti mihi, posse retineri scripturam editam, & exaratam in nostro etiam, libro vetere, in mentem venit, ita distinctis verbis: εἰ τοίνυν περᾶν βουλόμεθα ὅσα φάμεν χρῆναι, ποιῆν ὡς τὰ χερα, ἃ ἂν δέοι γενέσθαι: Vt sententia sit talis, Si igitur ad exitum perducere, seu perficere volumus cuncta, quibus opus fore perhibemus, efficiamus quam primùm, quacunque existere oporteat. Non est autem inusitatum in Græco sermone, verba infinitiua poni vel κατ' ἐναλλαγήν pro finitis, vel ἑλλειπτικῶς, ut assumatur finitum verbum extrinsecus, quo sententia perficiatur.

At ipse Cyrus conaturum se dixit. 184. 32. Scripturam veteris nostri libri sumus interpretati, αὐτὸς δὲ ὁ κύρος ἔφη, δύο περᾶσθαι ποιήσασθαι. Et paulo post, Quamvis robur exercitus longiùs fortè abduceretur. 185. 5. εἴποτε καὶ ὄροσῶ τῆ ἰσχυί ἀποστρατοπεδεύσασιντο: si distantia castra, in quibus vires essent copiarum, haberent longiùs. In nostro tamen vetere libro est, ἀποστρατοπεδεύοιτο, ipse scilicet imperator Cyrus haberet.

Curulem agitationem Troianæ rat. 185. 27. καὶ τὴν μὲν τρωικὴν διφρέαν. huius, ut videtur, non dissimilem fuisse Cyrenaicam, autor innuit. de quibus rationibus præter Homericas descriptiones, quæ sunt in medio, non habeo quid demonstrarem. Et paulo inferiùs: Pertinens ad aurigæ cubitos. 186. 8. μέχρη

τῶν ἀργυρίων τοῦ ἠνιόχου. quemadmodum exaratum cernitur in nostro libro vetere.

Et deos amore victos esse. 187. 8. *Vulgares quidem istæ sunt vitiorum defensiones, sed culpandæ atque perniciosæ. confirmant enim prauitatem patrocinando turpitudini, Vulgò id faciunt: & Fecerunt alij item boni: & Nunquid aliud fecit, nisi quod faciunt summi gnati generibus, in Mostellaria: & Pseudolo, Quid mirum fecit, quid nouum? adolescens homo si amat, si amicam liberat. ad quod alter senex prudenter respondet: Vetus nolo faciat. Sed illa etiam deteriora sunt, cum ad vitia excusandum pretenduntur exempla singularia: Ut in Hippolyto Euripideo, Iouis & Auroræ: Vbi ita argumentatur nutrix, Cum Dij sese esse superatos amoris vi boni consulant, cur tu non id æquo animo feras? Peruersa etiam atque improba oratio introducta in Nebulis Aristophanicis, iubet obscenas libidines:*

εἰς τὸν δὲ ἐπανευχεῖν,

κακείνος ὡς ἥτιον ἔρωτός ἐστι γυναικῶν,

καὶ σὺ θνητὸς ὦν θεοῦ πῶς μείζον ἀνδρώαο;

De duabus verò Animis Socraticæ sunt disputationes exposita copiosè à Platone. Non esse autem unam vim Animi, vel non unum genus, seu εἶδος, ita ostenditur: Quia unum & idem non possit simul efficere contraria, ut manus simul attrahere simul & reiicere una aliquid: & idem simul eodem tempore consistere & moueri. Hæc differuntur verbosè in quarto libro Rerum publicarum: estque ista diuisio Animi in partem præditam ratione, id est cogitantem & intelligentem, (à Græcis vocatur τὸ λογικὸν seu λογικὸν μέρος) & alteram quasi brutam, quæ est ἄλογος. quæ & Aristoteles in Moralibus disputationibus est usus. nam in libris Physicis subtiliùs ista differuntur. Atque Plato aliud planè genus facit eius Anima, quæ particeps est rationis, & aliud eius, quæ expers. idque genus etiam mortale esse, ait in Timæo, cum posuisset in Phædro, ὅτι πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. Quæ argumentatio mirabiliter arrisit Ciceroni. Participem autem rationis ac consilij & intelligentiæ, ut præsidem & gubernatricem esse vult, & collocat tanquam in Regia superiore loco, ubi in corpore humano caput est. alteram expertem rationis distinguit bifariam commotiones tri-

buens

buens huic vehementiores, quales eminent in iracundis & animosis: itémque appetitiones multiplicium & variarum cupiditatũ. Quòd si adiumenta afferantur priori magis generosa & strenua, ut pareat veluti imperatrici rationi, & huic se sociam addat, ita obtemperare ait reliquam quoque inferiorem & ignobiliorem, & per se improbam atque contumacem. Fit autem ut interdum ea quasi placata ac delenita quoque obsequatur libenter. Contrà vero, si huius prauitas & petulans incitatio nanciscatur auxilia, & conualescat insolentia, ut efferatur ipsa arbitrio suo, corripiátque & attrahat alteram, aut adiungat etiam volentem, vel non renitentem saltem: nihil iam posse, dicit, amplius moderando regendóque tertiam illam: & fit tunc scilicet id, quod ait poëta,

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Atque hæc est de Animo Socratica Philosophia, & ista illius quasi διασκευή. Νοῦς autem (quam Latinè Mentem appellamus) omnino & Platoni & Aristoteli aliud quiddam est, cuius quidem Anima, secundum Platonem sola capax sit, neque ipsum tamen natura atque constitutione anima cõtineatur. Et hoc ἄλλο γένος ψυχῆς, Aristotelis extrinsecus aduenire dicit, qua neque explicata ab illis, neque nunc edisserenda sunt. Adiumenta verò & auxilia, quorum suprà mentio facta est, sunt educatio bona & institutio recta, & doctrina liberalis, & optima præcepta, admonitionésque & castigationes quoque, ubi opus est, & ut uno verbo dicam, ea, quam Græci φιλοσοφίαν vocarunt, quod est studium sapientiæ atque virtutis. & in alteram partem his contraria. Sæpe etiam accidentia alia, ut copia, inopia: vires, imbecillitas: bona maláque valetudo: itémque ætatis, conditionis, loci, temporis discrimina, denique occasionis in hæc aut illam partem impulsio. Non fugit autem me, posse hæc Xenophontea referri ad Platonicas etiam disputationes in 1 x. libro Legum, ubi inter alia dicitur, Non esse pauciores Animas duabus: bona una, altera mala. nam æternas causas boni atque mali in natura illum introduxisse scimus. Sed hæc iam magis etiam inextricabilia atque mirifica sunt. Illa itaque superiora aliquantò minùs abhorretia à captu communi retineamus. Exempla autem superatæ cupiditatis prauæ & correctorum vitiorum, sunt Themistoclis, Cimonis, & insigne Polemonis, qui ex perditio

luxuria adolescente nobilissimus factus est Philosophus, auditis disputationibus Xenocratis. Contra Alcibiades & Critias improbißimi euaserunt, postquam Socratis reliquerunt disciplinam, & alios magistros cepere improbos.

Eo modò studiũ hoc collocatum fuit in doctrin. 188. 3. *νῦν τοῦτο πεφίλοσόφηκα μετὰ τοῦ ἀδίκου σοφιστοῦ τοῦ ἔρωτος. studuimus significationem Grecorum nominum Latinis exprimi, & ideo his pluribus sumus vsi. est autem certè & φιλοσοφείν, operam dare studio sapientia, seu erudita doctrina, & σοφιστής, huius professor, de quibus nominibus alibi plura à me dicta sunt.*

Misit ad Cyrum, qui hæc dicerent. 188. 34. *πέμψασα πρὸς τὸν κύρον εἶπε: Vel mittendo ad Cyrum ita est locuta: id est, hac ei suis verbis dici iussit.*

Id quod illa fecit. 189. 8. *ἡ δ' ἔπεμψεν, elegans est repetitio verbi prius vsurpati. Et mox, Signis ab vxore cognitis. ead. 9. ὡς δ' ἔγνω ὁ ἀβραδάτης τὰ παρὰ γυναικὸς σύμβολα. sunt signa hæc, de quibus inter aliquos certa cognitionis causa, conuenit. Vt in Medea Euripidis: Ἔνοις τε πέμπειν σύμβολα. Idem est σύμβολος. Vt Bacchidibus, Non enim esse symbolũ. & mox deinde, ὡς δὲ ἰδέτην ἀλλήλω, duali numero de duabus coniugibus vsus est.*

Quales Cyrus iam factos habebat. 189. 33. *ὅμοια ἐκείνων, nimirum τῶν τοῦ κύρου ἰσχυρῶν: id est, similes currus, rei curuli illi, nimirum instituta à Cyro. quid de hac enim scriptura aliud faceremus, in mentem mihi non veniebat.*

Integumenta ærea vndique par. 190. 3. *τοὺς δ' ἰσχυροὺς τοῦ ἄρματος χαλκοῖς πᾶσι τροβλήμασι κατεσκευάζετο, equos qui currum traherent, eos parauerat qui cuncti ære essent contexti atque muniti: estque in his ἐναλλαγῆν, simplicius enim esset, τοῖς ἰσχυροῖς χαλκῆ τροβλήματα κατεσκευάζετο. quæ est sententia verborum istorum, & ita nos sumus interpretati, quamvis Græca figurata oratio esset ἐκφαπικωτέρα.*

Tam circuitus quàm munimenta fabric. 190. 14. *καὶ περιδρόμους καὶ ἐπάλαξας: id est, ita est fabricatus illas extructiones turrium, ut vndique circuiiri possent, & haberent propugnacula, quas liceat fortasse primas appellare.*

Non prorsus x v. tal. pond. 192. 24. *ἑλαττοῦ ἢ πεντακάδεκα*

δεῖξαι τὰ λαντα τὸ ἀγώγιον. *ita esse usum hoc nomine Xenophonem notavit Suidas, & interpretatur, τὸ ἀγόμενον ἐπὶ τῆς ἀμάξης βάρους. Et paulo post: Studium plura & potiora occupandi. ead. 27. πλεονεξίαν, plura obtinēdi. Cūm autem hoc in bello agatur, ut vnus altero sit superior, proposita in medio victoria, non poterit cura conditionis potioris iniusta videri.*

Nullius momenti. 192. 9. οὐδὲν ὄντα τὰ τῶν πολεμίων. *figura est prouerbij in Graeco sermone usitata. Euripide Andromacha: σὺ δὲ οὐδὲν εἶ, tu nihili es. & mox, ὄντες οὐδένας, cūm sint nihili. & Supplicibus, οὐδὲν ὦν τὸ ὄριον, qui dudum nullius momēti esset.*

Missos esse legatos à Cræso ad Laced. 192. 28. *Legatos Cræsum ad Lacedæmonios misisse, cūm in bello aduersus Cyrum suscepto, Sardis se contulisset, qui succurrerent. ex fœdere obfesso, itēmq; ad Ægyptios, cum quibus & ipsis fœdus iunxisset, Herodotus quoque scripsit. cetera autem narrationes illius à Xenophonteis discrepant.*

Arcubus & iaculis. 193. 30. τὸ ξα καὶ ἀκόντια. *In nostro libro vetere ἀκοντίδια, contemptius loquente de hostium telis Cyro. commemorantur autem ea quibus ipsorum exercitus iam redditus esset instructior ac paratior. Et mox: vna firma hasta. ead. 31. τὸ παλτὸν δ' ἐν ἰσχυρότερον. hastam seu tragulam παλτὸν interpretari possumus.*

Falcibus etiam ferreis infertis in axes. 194. 1. δρέπανά-
τε σιδηρὰ πρὸς τῆς ἀξοσι προσήρμωται. *Vel falcibus etiam ferreis ad axes agglutinatis seu affixis. in nostro enim libro vetere est, προσήλωται.*

Esse eis camelos. 194. 3. *Camelorum mentio & ab Herodoto fit, ubi hæc legitur: καμηλον φοβέεται, καὶ οὐκ ἀνέχεται οὔτε τὴν ἰδέην αὐτῆς ὄραειν, οὔτε τὴν ὀσμὴν ὀσφραϊνόμενος: Camelum equus pertimescit, & non sustinet vel speciem videndo, vel odorem olfaciendo. Fit ab eodem Herodoto & ficorum mentio.*

Quantū sufficiat. 195. 29. ἐν ὅσῳ ἴκανόν ἐστὶ ἐπίσσαι ἡμᾶς αὐ-
τοῦς ὑδροποτεῖν. *que scriptura extat in nostro libro vetere, & cōmoda videtur. Et mox deinde: Post cibū verò quāuis vini potus non acc. 196. 3. μετὰ δὲ τὸν σῖτον εἰάν οἶνον μὴ ἐπιπίνομεν.*

quam scripturam veram esse iudicavi.

Donc nos ipsos fallentes euad. 196. 5. εὼς ἂν λάθωμεν ὑδροπότου μερόμενοι: id est, dum sensim neque animaduertendo efficiamur ij, qui aquam bibere consueverunt. hacq; scriptura in nostro veteri libro extat. Quod si quis μάθωμεν malit, sententia erit: Donec discamus euadere ij, qui aquam bibere soleant. De subitis autem mutationibus vsitata consuetudinis, est doctrina Medicorum quoque, Nocere eas valetudini bonæ, vsque adeo ut detrimenti aliquid afferatur, quãvis à deterioribus ad meliora magna fiat mutatio, & ideo hac in parte cautos esse omnes oportere censent. & leguntur hæc in libro De diæta in morbis acutis, πάντα ἐξαπίνης μείλω πολλῶν τοῦ μετρίου μεταβαλλόμενα ἐπὶ τὰ καὶ ἐπὶ τὰ βλάωτα: Omnis mutatio, quæ longè superat mediocritatem in hac & illam partem, perniciofa est. & ibidem dicitur, Ingentes mutationes in natura & habitu maximè esse efficientes morborum.

Paulatim nos abduc. 196. 8. ἀπαγαγὼν ἡμᾶς κατὰ μικρὸν nimirum interiectis mediis inter æstatem ac hiemem, veris & autumnalibus temporibus. Et paulo post: Sin minus, mea ista culpa esto. ead. 15. εἰ δὲ μή, ἐμὲ ἀρτῶσαι. si non eueniat quod dixisset, se iubet accusari, & culpam velle præstare ait.

Hinc paratas molas. 196. 22. χειρομύλας χρὴ αὐτότε παραιοῦσασθαι. Mole autem ista erunt quæ manibus conuertantur. In meo tamen libro veteri non χειρομύλας, sed, μύλας, legitur.

Vsus in primis. 196. 26. μάλιστα δεήθειν: id est, maximè, si forte res postulet, opus his futurum sit. & extat ista scriptura in nostro veteri libro.

Bipalium & ligonem. 197. 4. καὶ ἄμην καὶ σμύνον. Et mox. partè horum posteriore. ibid. κατὰ τὸ ἰωτοφόρον. accipimus enim hoc de plaustris dici. Istorum autem omnium interpretatio magis opinione quàm scientiâ meâ, vera est: Cùm quidem quid rectius fieret, non possẽm excogitare.

Exquirite potestati vestræ subiectis. 197. 8. ἐξέτα' ἔτε τοῖς ὑφ' ὑμῶν αὐτοῖς: id est, date operam ut præsto illis sint. Quod sicui magis arridet, τοῖς ὑφ' ὑμῶν, hoc dicitur scilicet, De necessariis ad victum: Vel quod attinet ad tibaria, vos ductores percunctamini

mini eos qui sub imperio vestro sunt.

Is si intra eos dies, qui præfiniti sunt, con.fer.197. 28. τῶν μετὰ προειρημένων ἡμερῶν τὰ ἐπιτάγεια ἔχειν, ἢν δὴ τις πολῶν ἀλίσκηται. sic enim Græca legenda ordinandaque esse duco. non enim vult Cyrus à mercatoribus quicquam vendi ante exitum dierum, quibus diebus necessaria ad victum, vel cibum coctum afferre ipse iussus miles esset.

Siue animaduerneret deesse sibi quid. 198. 14. καὶ εἰ τις πὶ ἐνδεόμενος γνοίη. hoc enim dicit, εἴ τις γνοίητι ἐνδεόμενος. si quid in mentem alicubi veniret, quo indigeret. est autē vsus participiorum talis in Græco sermone frequentissimus.

Occupant autem illi circiter quinque milia pass. 201. 21. οὗτοι δ' ἔχουσιν ἀμφὶ τὰ τετράκοντα στάδια. hæc extat in nostro libro veteri scriptura, meo quidem iudicio, vera: cum Araspa mox dicat, cura sibi fuisse, ut sciret quantū spacium illi occuparet & est illud, ἔχουσιν, ἐπεχουσιν. Ut ad centenos vbique decies mille singulatim extēd. 201. 26. τούτοις δὲ αἱ μυριάρχαι ἔταττον εἰς ἑκάστον πᾶσι τὴν μυριοστὴν ἐπέστη. Fuit igitur quadratum horum agmen sic, πλίνθιον ὁρόμηνες ut haberet 30000. κατὰ τὸ μῆκος, & κατὰ τὸ βάθος, 40000. nam centies, 100. sunt, 10000. Fuere autem uniuersi 120000. cuius numeri, minimi sunt numeri 4. & 3. ter enim 4. consummant 12.

Prælij enim contentione instante. 202. 10. ὁμοῦ γὰρ τοῦ ἀγῶνος ὄντος οὐδεὶς ἄρμα π' ἐπιχαρὸς τοὺς ἵππους μεταξευγῆναι. Etsi ἀπας τοχασμὸς ὁρᾶγμα σφαιερὸν ἐστίν, ut Galenus alicubi ait, liceat tamen suspicando perhibere hoc loco, ut opinor, Metaphoricè ista commemorari à Cyro, monente ut ordines seruentur sicut instructi sint, neve in iis aliqua mutatio fiat. Id enim non cariturum esse magna difficultate, cum nequaquam sit in prælij certamine tempestiuum soluere equos & aliter denuo iungere. Sic illa apud Plautū ait: Miserum est opus, Tum demum fodere puteum, cum sitis fauces tenet: id est, in præsentē periculo quarere cōsiliū, & quo sit factū opus.

Densis ad duos. 202. 13. εἰς δύο ἔχοντας ἑκάστον τὸν λόχον. ita fuere in fronte scilicet. x. i. r. de qua instructione antea aliquid dictum est. multò autem fuit densius seu profundius agmen Ægy-

ptiorum, nimirum ad milia x l.

Quicquid autem malitiosè aduers. host. 202. 30. ὁ, π
δ' ἂν χειροῦργῃ τις τοὺς ἐναντίους. χειροῦργεῖν habet significationem
mali facinoris, id autem eò pertinet, quod Maronis ait Corabus:
Dolus an Virtus, quis in hoste requirat.

- : Est enim hoc primorum opus. 203. 8. ἔργον γὰρ ἐστὶ τοῖς
μὲν ἑρωτοστάταις. Vel sicut est in nostro libro vetere, ἑρωτοστάταις,
priorem locum tenentibus.

Tu verò Abradata. 203. 12. Antea monui propriorum no-
minum aliam in aliis libris extare scripturam: ac reperitur hoc lo-
co etiam Epphrata, itémque Euphrata: etiam Abradata. sed hoc
κωμῆ Susij auriga est. Et paulo antè. Ignauiores autem incre-
pent. ead. 6. τοῖς δὲ χακνομένοις ἀπειλεῖν. χακνοί enim sunt fu-
tiles & ignaui, sicut ἀγαθοὶ viri strenui atque fortes. In nostro ta-
mè libro vetere legitur μαλακνομένοις, quo significaretur molli-
ties atque pigritia.

Cornu dirigat. 204. 2. ἐπέσθω τῇ φάλαγγι ἐπὶ κέρασ: Vel
potius, ut in nostro libro est, ἐπὶ κέρως. Sic de ordinatis nauibus
Thucidides libro tertio: ἰδόντες δὲ οἱ πελοπονήσιοι κατὰ μίαν ἐπὶ
κέρως παραπλέοντας: ἰδὲque interpretátur, μίαν κατακολουθοῦσαν
τῇ ἑτέρῃ.

Integumentis frontis & pect. 204. 17. περιφρασικῶς hac
malui iam interpretari, quàm frontalia & pectoralia & similia
vsurpare. Quod sequitur autem, Singulos hos etiã fem. ead.
18. τοὺς μὲν μονόστους παραμυρῖδις, poteramus μονόστους cele-
tes, ut opinor, appellare.

Puniceis vestib. nitere. 204. 20. ἦνθαι δὲ φοινίκισι. Floridus
nitor puniceae vestis erat, qui color fuit tunicarum Laconicarum
in exercitu.

Torques amplos. 204. 20. ἄλλια πλατέα. Vel, latos tor-
ques. Et mox, Specie inferiùs pallæ. ead. 27. φοιδωτὸν χέπα.
Non fugit me φοιδῆς nomen in Græco sermone habere significationem
generalem vestis, cum quidem longior hac significetur, qualis
palla mulierum stola fuit: & in sermone Latino stola nomine de
muliebri vestitu ferè vsi sunt. itaque venit in mentem Græcum
modo nomen sic interpretari.

Nunquid ne ipsius mundo confl. 204. 30. συγκόψασα τὸν σωτῆρος κόσμον. *Mundum dici constat ornatū muliebrem. Negat autem Panthia venustē, se confluxisse & concidisse preciosissimū mundum seu ornatum suum. esse enim eum Abradatam ipsum, si in simili apud alios ille opinione sit, atque apud sese.*

Tecum viro, qui vir fortis sis. 205. 13. μετὰ σοῦ ἀνδρός, ἀνδρός ἀγαθοῦ γενομένου: *id est, tecum marito meo, viro praestanti virtute. ita enim hac perscripta in nostro vetere libro extant, & est πολλὴ ἴστα elegans.*

Nemo hominum potuit contemp. 206. 1. Venustum σχῆμα hoc est ἐμφάσεως. *quod enim non dicitur, id indicatur atque significatur: Tantam fuisse formae pulcritudinem in Panthia, ut ad se, ab omnibus aliis etiam praclarissimis & spectatu dignissimis rebus auertendo praesentium oculos conuerteret, & defixos in sese una teneret.*

Ex hostibus verò multi inter sese deuiēt. 206. 15. τῶν δὲ πολεμίων πολλοὶ μὲν ἠτήνηται μεθ' ἑαυτῶν. *Ista enim est scriptura nostri veteris libri: Complures ex hostibus ipsi coniuncti secum, id est manipulares seu eorundem ordinum, sunt deuiēti. Sequens autem membrum alterum, Aliqui vtrinque ne depug. quidē. cad. 16. οἱ δὲ ἀμάχητοι ἐχθέρων: id est, qui verò apud utroque, tam nos quàm hostes, antea praelio non interfuerunt: eorum illi, qui in exercitu sunt hostium, norunt infideles se habere manipulares, vos verò vobis mutuò freti estis.*

AD LIBRUM SEPTIMUM.

HIVS libri summa est haec: Instruitur à Cyro exercitus, & producit ad pugnam, qua decerneretur de imperio Asiae. Sequitur mox descriptio praelij, & parte victoriae, & Aegyptiorum deditio: & exponitur fuga Croesi, captisque Sardibus colloquium cum hoc Cyri. Atque inseritur deinde de Abradata & Panthia narratio, & elegans, & affectus singulares exprimens. His adiunguntur res Caricae, Helleponticae, & Phrygiae: & ita peruenit historia ad Babyloniam.

cam expeditionem, subactis interim Cappadocibus, Phrygia magna & Arabibus. concluditurque hic liber expugnatione Babylonis, deminutis deriuatione aquis fluuij Euphratis, (quando & rex Assyriorum fuit occisus) & regni ordinandi constitutione: Vbi & de eunuchis commendandi huius generis caussa, multa memorantur.

Eo ordiri religiosè. 207. 19. ἀπαρχάμενος. Satis constat, olim inter ritus religiosos plerarumque gentium fuisse ἀπαρχάς, quas Latini primitias vocarunt. hæc erant prima partes, qua alicui ex iis offerebantur atque consecrabantur, quibus honor diuinus habebatur. Eum seruasse ritum Veteres etiam quando cibum ceperunt, ex hoc loco apparet. nam de sacrificiis res est manifesta. Plinius à Romanis quoque seruati ritus huius meminit, quos scribit, ne degustasse quidem nouas fruges, aut vina, antequam sacerdotes vina libassent. Atque diuersos fuisse hos ritus apud Romanos & alias gentes, non obscurum neque necessaria esse, vel etiam admodum utilis exquisita huius rei cognitio videtur. Esti omnis liberalis scientia nequaquam improbanda repudiandave est. Et, quemadmodum de Chalcãtho scripsit Galenus: γνώσκεσθαι μάλλον ἢ ἀγνοεῖσθαι βελτίων. Sanè è poculis profundere aliquid solebãt, quod λέειβειν & σπένδειν dixere (unde λοιβή & σπονδή) & ita adiungebantur preces, tam ad mensam, quàm aliis temporibus, Vt Odyssæ γ'. & Iliados ω. Et fœderibus sancientiis fiebat idem: id quod planè ostenditur Iliados γ'.

Οἶνον δ' ἐκ χρητῆρος ἀφυσσόμενοι δεπέεσσι

Ε' κχεον, ἢ δ' ἔυχοντο θεοῖς αἰεὶ γανέτησιν.

unde & fœderum appellatio σπονδή est, sed non item λοιβή, nam eos qui fœdus facerēt, dixere σπένδειν & σπείσθαι & σπένδεισθαι, non etsiam λέειβειν. Et ἀσπονδον est, nullius fœderis conciliationem admittens. Apud Maronem, Dido in mensa Laticum libauit honorem, non exprimit autem Latinum verbum significationē Græci, cum λέειβειν οἶνον (nam hæc est figura sermonis integra) sit effundere: libare autem, unde delibare, idem quod gustare. Nos ignorantia vocabuli proprii in sermone Latino, sumus interpretando communi Religionis, vsq. Prandium autem, quod ἀριστον vocarunt, erat antemeridianum, & δείπνον pomeridianū. Sed de his

his aliàs. τοπομετοπίδια. & qua sequuntur, quibus & antea nominibus autor usus est, vertimus περιφραστικώς, id est describendo, quod iam commentitiis nominibus uti non liberet. Cùm quidem in Livio legantur frontalia, de elephantis: & femoralia similiter dici possint.

Vox edita est. 208.4. ἐφθέξατο. vocis significationem retinere placuit, cùm quidem & soni potuissemus uti, & facere, Tonitru dextrum sonitum dedit: id est, intonuit dextrum. Dextra autem in auspiciis atque signis, fausta olim observasse Gracos, Cicero quoque ostendit, citans versum Homericum Aiacis quidem verbis, sicut extat hoc in libris vulgatis, cùm pronuntietur ab Ulysse Iliados l.

Prospera Iuppiter his, dextris fulgoribus edit.

Romani sinistra vocarunt, quæ bona & fausta essent. Observationum autem istarum Plutarchus in Romanis questionibus, diversas rationes exposuit.

Extensis alis. 208.9. seu passis. hoc enim nunc Gracum participium ἀνατεταμένος, videtur significare, non altitudinis tantùm elationem.

Passus bis mille quadringentos. 208.13. siue passuum duomilia quadringentos. Tantum enim spacium quàmproximè scilicet fuit stadiorum x x. nisi malit aliquis quingentos. ductis enim in mille passus stadiis octo, conficiuntur bis mille pass. & mille passuum dimidium.

Circumuenire, seu cingendo includere. 208.17. κυκλοῦσθαι. quo verbo suprâ quoque est usus. hinc κύκλωσις, in quibus omnino includendi & circumdandi est significatio, Vt Odyssæ d.

ὅσσα δὲ μερμήριξε λέων ἀνδρῶν ἐν ὀμίλῳ

δέισας ὅσποτε μιν δόλιον περὶ κύκλον ἄλωσι.

Et Thucidides libro quarto, περίοδον μὲν αὐτῶν καὶ κύκλωσιν χωρίου ἰσχύϊ οὐκ εἶχον. Fuit autem instructio Veterū talis, Vt media acies haberet utrinque cornu, dextrum nimirum at sinistrum. hæc & latera vocarunt. Extensis igitur sursum versum utrinque cornibus, includendi cingendique aduersarios caussa, figuram litteræ γ. designatam ita fuisse, non est difficile ad intelligendum.

Directo cornu. 209. 3. κατὰ κέρας. *suprà*, ἐπὶ κέρας, seu ἐπὶ κέρως, ut dictum est. ἐκ πλαγίου verò, impressio fit in obliquas partes, seu latera. Lucianus illam figuram sermonis militaris, ἐπὶ κέρως, notavit in libro de Historia scribenda, qua usus quidam esset perperam, quasi idem foret ἐπὶ κέρως & ἐπὶ μετώπου ἀγειν quem eundem per incuriam etiam πλαγίαν φάλαγχα dixisse, reprehendit. ἐπὶ μετώπου ἀγειν autē Liuius videtur lib. XXXVII.

Pæana exordiar. 209. II. παῖνα ἐξάρξω. Pæana concinnū quendam clamorem vocarunt, & omnino latitiæ seu alacritatis exaltantis vox fuit. ἢ παῖνα. Verbum est παυανίζω, & παυανίζε. Thucydides libro primo, ἐπεπαυανίζο αὐτοῖς ὡς ἐπίπλουω & libro quarto, καὶ παυανίζοντες ἐπέβησαν αὐθις. i. interpres ibi notat, Veteres pæana unum acclamasse Marti incipientes prælium, & post hoc alterum Apollini. & Xenophon paulo post, ubi prælium fuisse commissum narrat, mentionem facit Martij clamoris: & *suprà* libro tertio facta est mentio Pæanis ad Castoras.

Signo tesserae dato. 209. 20. ζωθήματα παρεχθήσασιν. ζωθήματα, signa quadā erant, quibus signis sese in uno quique exercitu agnoscerent: Tessera est Latinis, ut apud Maronem: It bello tessera signum. σωτήρα, autorem esse salutis Cicerō Verrina quadā ait, neque habere Latinum nomen. Liuius videtur Seruatorem interpretari, ubi libro XXXIII. scribit de Corinthiis Quintum Seruatorem acclamantibus. hic enim scilicet ipsorum lingua fuit, σωτήρ.

Obtruncandō hostes anteuertimus. 211. 13. ἢ φθάσωμεν τοὺς πολεμίους κατὰ χεῖρας. iocus est indicans animū presentem & liberum metu. nam timidi atque perturbati, oratione vti hilari non consueverunt. Si prius, inquit, nos istos trucidauerimus, ex nobis cadet nemo. iocus est simplicis affirmationis de re certa. Cui non dissimilis alter paulo post ad curruum agitadores: ead. 26. Tutiore eos fore in loco, si perruperint inuehendo.

Summis viribus impressionem. 211. 25. κατ' ἀρχῶν. Aliqui maluerunt, κατ' ἀρχῶν. sed ita mutata scriptura sententiam non mutat. significatur autem aggressio totis viribus: id est, à summo & veluti capite, non particulatim. Sic capi urbem κατ' ἀρχῆς dixere, id est totam atque vniuersam, arce & opportunis locis omnibus

bus occupatis. ut Iliados x. quod idem est χε. τέκρας. Herodoti autem & Xenophontis narrationes de bello hoc deque istis praeliis nō consentiunt. Cræsum quidem scripsit Herodotus fuisse Mermnadem à Gyge satellite (ipse αἰχμοφόρον appellat) Candaulis, quem Græcos Myrsilum nominasse ait, à patre Myrso: Candaulem verò istum ex posteritate Herculis & Lydia Omphales; interfectum à Gyge ultimum fuisse ex Herculis genere regem Lydorum, & Cræsum item quintum à Gyge sui generis. nam Gygis fuisse filium Ardyn, huius Sadyattem, huius Alyattem, huius Cræsum.

Quàm cornua illa quæ extend. 212. 6. ἢ τὸ ἀνατεινόμενα χέρατα. *qua scriptura in nostro vetere libro extat.*

Quòd Ægyptij cedere non possent. 213. 19. οὐ δυναμένων διαχάσασθαι τῶν αἰχμητῶν. *quam nostri veteris scripturam sumus interpretati, congruente sententia. in illo enim tam denso agmine, resistere eos confertos necesse fuit, neque potuisse cedendo spacium relinquere, per quod currus ferrentur.*

Rotis obterere. 213. 22. χαῖτω παῖς χαῖ τροχοῖς. *nam simul equi simul rote in curruum illa inuectione obuios obruerunt & contriuerunt.*

Citiùs coherceri hostes. 214. 15. ὅτι ἔδαμῶς ἀνθάτηον σχοῖν τοὺς πολεμίους, τῆς εἰς τὸ ὠρόσθην ὠροόδου, ἢ εἰ εἰς τὸ ὠρόσθην περιελ. *qua ita in nostro vetere libro sunt exarata.*

In illum imposuit Cyrū. 214. 29. ἀναβάλλει αὐτὸν ἐπὶ τὸ εἰαυτοῦ ἴσπον. *Liuius libro xxxi. Græcum verbum exprimere voluit. ita enim ibi de rege Philippo: Saluti fuit eques, qui raptim ipse desiliit, pavidumque regem in equū subiecit. atque propius libro xxvii. alteri equo inuectus. ubi etiam de prolapsione non excutiēdi, sed effundendi verbo usus est; Equus pilo traiectus cum prolapsus in caput regem effudisset. Et mox, Num alicubi ex hostibus pars quæpiam resist. cad. 36. εἰ πη χαῖ ἄλλοι μένοι τῶν πολεμίων. in nostro vetere libro est, εἰ πη χαῖ ἄλλοι μένοι τῶν πολ.*

Larissam verò est Cyll. 216. 4. Larissæ Ægyptiæ mentionē facit Xenophōn & tertio libro ἑλληνιστῶν, id est, *Historiæ Græcæ, nam & alia Larissa fuit aliquando Medorum urbs, cuius meminit libro tertio ἀναβάσεως, id est expeditionis Cyri minoris.*

Sanè velim,ò Cyre. 218. 26. ἐβουλόμην γ' αὖν. de plurimis autem numero, & estimatione preciosissimis donis à Cræso Delphico Apollini missis, deque percunctationibus ipsius & datis respõsis narrationes extant copiosæ Herodoti libro primo, extat & narratio de filiis Cræsi, uno muto, altero in venatione interfecto.

Coniecta in arcas. 221. 3. ἐν ὑγᾶτροῖς τήσωντας. ὑγᾶτρον σπορὸς ἑυλίην, inquit Grammatici, id est, lignea arca, à compagibus, quibus iunguntur tales arca. Possè & quamlibet arcam ita appellari putant, in qua trutina ponderata pecunie, aut res alie reponantur, nomine scilicet ducto ἀπὸ τοῦ ὑγρῶ, cuius significatio varia est.

At Cyrus quibusdam ex ministris. 221. 7. Venusta admodum narratio hoc loco inserta est, & exornata affectibus vehementioribus, quæ πᾶθῃ vacantur: De luctu Panthia ob mortuum maritum Abradatam, itémque morte illius, quam sibi ipsa conscivisset, cum descriptionibus elegantibus & graphicis, ut Plantino verbo utamur. Exquisitior autem & ambitiosior descriptio, id est ἐκφρασις, pictura rerum istarum extat inter Philostrati imagines, quam putauimus in sermonem Latinum conuersam hoc loco exponendam, tametsi orationis genere sophistico, nequaquam simili eius, quo Xenophon esset usus, minimè delectaremur, & scripturam in libris editis non carere alicubi mendis, videremur animaduertere. Sic igitur Philostratus: Formosa illa Panthia Xenophontem habet pictorem ingenij sui, quod & dedignata Araspari, neque capta sit Cyri amore, & cum Abradata voluerit communiter humum gustare. Sed qui illius capillus, quantum supercilium, qui aspectus, qui habitus oris fuerit, id Xenophon narrare omisit, quamuis ad tales expositiones acri facultate præditus. Quidam verò ad scribendum non idoneus, sed ad pingendum maximè idoneus, cum Panthia ille quidem versatus nunquam, Xenophontis verò usus consuetudine, depingit Panthiam, qualem animo suo hanc fuisse ratiocinando coniecit: Ista, mi puer, mœnia, & incensas domos, & quæ Lyde formosæ assunt, ea relinquuntur rapienda auferendæque Persis, quicquid ex his captiuum duci potest. Relinquatur iisdem & Cræsus, ad quem rogos pertinet, haud Xenophonti, qui illum rogam non nouit, neque hoc facinus sinit tribui Cyro.

Cyros. Abradaten verò, & ob ipsam mortuam Panthiam, quoniam ista pictura vult ostendere, rei huius actionem, qualis ea fuerit, perspiciamus. Amor erat inter hos mutuus. & mulier de suo mundo arma illi elaborauerat. Ipse verò decertabat aduersus Cræsum pro Cyro, curru cum quatuor temonibus, & equis octo, adhuc iuuenis tenera cum lanugine. quando Poëta etiam stirpes nondum adultas miserandas perhibent, si solo excidant. Vulnere sunt ea, mi puer, qualia macharas gestantes solent infligere. nam contrucidare ad talis prælij modum attinet. Sanguinis autem recentis ipsius atque puri pars arma inficit, pars illum ipsum, pars etiam quedam in inba est dispersa. quæ inba in aurea galea eminet hyacinthino colore, ad aurum quoque ipsum refulgens. Sanè talia arma sepulturam admodum condecorant, eius nimirum, qui illa non contaminauit, neque abiicit in prælio. Cyrus quoque multa ex Assyria & Lydia viro forti munera adducit: interque alia arenam aureolam in carpento seu plaustro curuli, ex Cræsi ociosis thesauris. Panthia vero nondum censet sepulchrum istud habere ea, que congruât, nisi sepultura elogium accedat ipsa: atque acinacem iam illa quidem perpectus traiecit, ad eò tamen firmo robustoque animo, ut nec gemitus ob ictum eruperit. Compositum enim os est seruans status sui modum: immò profecto pulcritudinis mature florentem speciem, quæ in labris tanquam silentis elucet. acinacem autem sic tenet, ut nondum prorsus confossa, sed adhuc adigens præhensum capulo. Capulus verò similitudinem habet clauæ aureæ cum smaragdinis quasi ramis. Verùm suauior est digitorum figura: neque quicquam de forma immutatam præ dolore, quippe quæ nullam præ se ferat dolentis similitudinem decedens cum gaudio, quòd ipsa sese dimittat. Non decedit autem perinde atque Protefilai coniux coronata bacchando, neque veluti Capanei tanquam ad sacrificium elata: sed cõseruat formam decus absque apparatu, quale erat ipsius cum Abradata versantis, secumque eam abducit: comam quidem ad eò nigram & densam circumfundens humeris ac cervici, collum verò album per hanc subostendens, quòd lacerauit illa quidem, non sic tamen, ut contaminaret. nam signa vnguium suauitatem picturæ superant. Iam genarum rubor non morientem quidem deserit. Adest chorus: species mature pulcri-

tudinis & pudor. Ecce nares quoque mediocriter elatae, & hoc agentes ut sedem nasus habeat, cuius sunt quasi rami lunati supercilia nigra, sub fronte alba. Oculos non eo mi puer, contempe- mur, quod grandes & nigri sint, sed qui sensus in his & quae mens insit, & omnino quid animi bonorum attraxerint, in miserabili affectione ab habitu laticiae nequaquam alicni, & confidentes illi quidem, sed magis intra rationem quam audaciam, & iidem intelligentes mortem, nondum tamen percipientes. Minister autem amoris Cupido sic offusus oculis est, ut inde clarissime stillet. Depictus & ipse Amor est in istius operis historia: depicta & tellus Lydia cruorem excipiens aureo quidem, sicut cernis, sinu.

Vbi se esse rescuerint. 221. 28. ὅποι ἂν αὐτὸν παρωχάνορα ἔοντα. pluralis numeri verbum retinendum, quod in nostro vetere libro extaret, interpretandumque esse putauimus. Et mox: Nam gladio ab vno ex Aegyptiis fuerat amputata. 221. 34. ἀποκέκοπτο γὰρ κοπίδι ὑπὸ τῶ ἀγυπτιῶν. quae ita exarata in nostro vetere libro sumus conuertendo secuti.

Quid sibi accidere. 222. 8. Vel, quid perpeti ipse posset, ὃ π πείσοιτο. haec enim scriptura est in nostro libro vetere. Et paulo post: Is qui nobis dignus sit. ead. 19. Vel, vobis potius. nam in nostro libro est ὑμῶν. Et mox deinde: Ostendito mihi, ad quem deport. ead. 25. δήλωσον πρὸς ἐμὲ, πρὸς ὃν τινα χήζ.

Perturbatus animo accedere. 223. 4. ἐκπλαγείς ἴστο. Et mox: ad hodiernum vsque diem. ead. 8. μέχρι τοῦ νῦν. sed in nostro vetere libro scriptura talis extat: καὶ νῦν τὸ μνημα μέχρι τῶν εὐνούχων κεχῶσται λέγεται: id est, atque nunc monumenti tumulus extare dicitur, Ad Eunuchos: seu Eunuchorum mortumeta pertinens.

Moenia deiiceret. 223. 21. κατερέψων τὰ τέχνη. haec enim in nostro libro vetere extat scriptura. Et mox: ἀδούσιον δὲ ἀνδραπερς. ibid. legitur non καδούσιον. id quod vitandae ambiguitatis causa verius quoque videri potest. De Cilicibus autem & Cypriis scripsit Herodotus Terpsichora: Cappadocis, id est, τοῖς κατωπαδοχαις, qui Sirij vocentur, finitimos esse Cilicas pertinentes ad mare, in quo Cyprus insula sita sit, & pendere hos regi Persarum annuum tributum ad talenta quingenta: quae est summa pecuniae numo no-
strati,

*strati, circiter trecenta milia aureorum Pannonicorū. τὸ χαρὶν ἀν-
tem habere significationem hoc loco humanitatis existimantes, ita
sumus interpretati.*

Et ea introiit in mœn. 224. 4. καὶ ἐν ταύτῃ εἰσῆλθεν εἰς τὰ
τείχη. *qua est nostri libri veteris scriptura. in editis autem εἰσῆλα-
το, id est, inuectus est.*

Græci fanè accolæ maris. 224. 33. οἱ μὲν οὖν Ἕλληνες οἱ ἐπὶ
θαλάτῃ. *In his Iones scilicet fuere, de quibus narratio verbosa
est Herodoti libro primo.*

Scies, quinam tradant integrè commis. 225. 18. εἴση. *Et
mox: vt scirent, qui ex procuratoribus sal. ead. 24. οἴτε σῶα
αὐτοῖς ἀποδιδόει, οἴτε μή.*

Arabios. 226. 4. *Græcis vsitatus est gentile nomen ἀράβιος,
quàm ἀραβ. Vt in prouerbio, ἀράβιος αὐλητής. de quo versus,
δραχμῆς μὲν ἦλει, τεσσάρων δ' ἔπαύετο. Lucanus ita,*

*Ignotum vobis Arabes venistis in orbem. Duplicem autem
Arabiam prodidere οἱ περιηγηταί: Felicem ἀρωματοφόρος, & de-
sertam πετρεῖαν.*

Èò pedetentim recedere. 227. 2. ἐπὶ πόδα: *vel retroce-
dere: vel, pedem referre. Et mox: Murare statum clipeos ver-
sum. ead. 4. μετεβάλλοντο ἐπ' ἀσπίδα: conuerso hæc fuit ad
leuam. In iis enim quæ ad Suidæ Lexicon addita sunt de milita-
ribus atque castrensibus nominibus, ista leguntur, κλίσις ἐπὶ δόρυ
ἢ ἐπὶ τὰ δεξιὰ κλίσις: ἢ ἐπὶ τὰ ἀριστερά κλίσις. ἐπὶ
ἀσπίδα κλίσις ἐπὶ καὶ αὐτὴ ὁμοίως ἐπὶ τὰ ἀριστερά: id est, Inclina-
tio ad hastā, est inclinatio ad dextram: inclinatio ad unum, est ad
leuā inclinatio: ad scutū inclinatio, est & ipsa similiter ad leuā.*

Tam ardua ac firma mœnia. 227. 12. τείχη οὕτως ἰσχυρὰ
καὶ ὑψηλὰ. *dissimulat autem Cyrus consilium expugnandi Baby-
lonem accuratè siue iam antea captū, siue de mentione fluuij, quæ
Chrysantas facit, primùm initium. Est autem inter imperatorias
virtutes non minima, aliquid celare atque tegere. Vnde quidam
ferunt dixisse, Si interior tunica conscia esset consilij sui, se curati-
uum illam comburendam. Visum autem est de Babylonæ narratio-
num aliquid adiungere, cuius urbis magnitudo à compluribus ce-
lebrata est, & Aristoteles scripsit libro Politicorum tertia, Am-
1*

bitum urbis illius non ciuitatis sed gentis fuisse: quam captam esse tertio demum die unam quandam partem illius comperisse. Fuit autem aliquando Assyriorum regni caput Ninus, quæ & Ninoa & Niniue, condita à Nino rege, cuius fuisse traditur coniux Semiramis. Ninum Herodotus scripsit sitam fuisse ad flumi-
 Tigrin, & captam à Cyaxare Medo, patre Astyagis, proauo Cyri. nam fuisse Cyrum filium Mandaces filie Astyagis perhibet. Diodorus autem ex Ctesia, Arbacem Medum præfectum copiis Medorum, quæ Nini militarent sub imperio Assyriorum, coniurasse cum præfecto Babylonia scripsit, & post multas acceptas clades, tandem ad eam desperationem adegisse Sardanapalum, illius temporis regem, ut sese & opes diuitiâsque & concubinas atque eunuchos, rogo extracto, unâ cum regia cremaret. & ita regnum ad Arbacem Medum peruenisse. Herodotus verò ab Assyriis primùm defecisse Medos scripsit, & constituisse regem sibi Deiocem. huius filium fuisse Phraortem, & nepotem Cyaxarem patrem Astyagis. Hæc igitur ita sunt inexplicata omnia & inuoluta quasi tenebris antiquitatis, ut in exquirendo certi aliquid opera frustra consumeretur. Similiter tradidit Diodorus secutus Ctesiam, Semiramidem uxorem Nini post mortem viri candidisse Babylonem. in qua tamen & ipso Græcorum narrationes ut falsas notauit Berosus. Herodotus autem scripsit, urbem Babylona cum alios multos reges ornasse & amplificasse, tum duas feminas, quarum prior Semiramis ætatibus, ipse *yeveds* vocat, quinque posteriorem Nitocrin nomine antecesserit: atque hanc Nitocrin fuisse matrem regis Babyloniæ à Cyro deuicti. ipse Labynitum hunc nominat, & idem habuisse ait nomen patrem ipsius. Iosephus hunc Naboandelum nominatum fuisse à Babyloniis scripsit libro decimo: Hebræi verò appellarunt Baltassarem: patrem autem ipsius Labosordachum vocat. Sed à Cyro captam esse Babylona, & reliquias Assyrii imperij euersas, & Medorum Persarumque deinde fuisse imperium Asia cõstat. De urbe autem Babylone scripsit Herodotus fuisse eam quadratam, & singulorum laterum mensuram stadiorum CXX. qui est ambitus $\pi\epsilon\pi\upsilon\epsilon\tau$ $\rho\omicron\upsilon$ totius urbis, stadiorum CCCCLXXX. id est sexaginta milia passuum, quemadmodum & Plinius scripsit. quem locum aliqui adducentes LXXXII, commemorarunt. Dio-

dorus:

dorus ex Ctesia CCCLX. stadia, ex Clitarcho CCCLXV. stadia retulit. Sed si Herodotum sequi placet, fuit ambitus Babylonis is, qui includeret spacium non minus, quàm quo comprahenderentur octo numero urbes tantæ, quantæ fuerunt Athenæ: sedecim, quanta Norimberga est, cum Thucydides scribat ambitum murorum Athenis fuisse stadiorum LX. quæ sunt circiter duo miliaria Teutonica: & Norimbergam includi maiore quàm triginta stadiorum ambitu depræhensum sit. De muris autem, quorum hoc loco potissimum mētio fit, Diodorus scribit tradidisse Ctesiam altitudinem illorum fuisse incredibilem: latitudinem, ut eo spacio vehi currus possent seni: alios verò perhibuisse, quòd fuerit altitudo murorum istorum quinquaginta vlnarum: alios, totidem cubitorum: & latitudinis spacium, quo plures quàm bini currus veherētur. De quibus omnibus compertum nobis tantum esse, satis habere possumus. Peregrinatores quidem nunc vastam esse antiquam Babylona perhibent: captam quoque esse urbem istam deminutis aquis fluij Euphratis transcuntis illam, narrationes ferè omniū consentiunt.

Non euertere tamen turr. 228. i. μὴ ἀνέλοι τοὺς πύργους. hæc enim nostri veteris libri scriptura est, & nobis probata.

Non mirum fuerit, si ne occlusæ quidem. 229. 17. Interpretari studuimus hoc etiam loco scripturam veteris nostri libri istam, ἐδὲν ἂν εἴη θαυμαστὸν, εἰ καὶ ἀκλειστοὶ αἱ πύλαι, αἱ τοῦ βασιλείου εἴεν. κομοδοκεῖ γὰρ ἡ πόλις πᾶσα τῆ δὲ τῆ νυκτί. Etsi autem illud verbum κομοδοκεῖ, inusitatum, neque fortasse incorruptum videre alicui possit, non putavi tamen causam cur illo reiecto aliã scripturam exquirerem, cum simile esset verbum præsertim in medio κερδοκεῖν, & δωροδοκεῖν.

Alij retrò aufugere. 229. 24. εἰ δὲ ἔφευγον πάλιν ὀπίσω. quæ scriptura veteris nostri libri commoda nobis visa est, eamque sumus interpretati.

Ita multati neglectione necessar. 231. 22. δίκην δεδωκότες ἀπὸ πάντων τῶν ἀναγκασιῶν: pœnam persoluentes eam, quòd absuissent ab omnibus necessariis rebus. vel, quòd necessaria omnia neglexissent absentia sua.

Tum deinde exurgit Artabass. 232. 29. Artificioσα & elegans, & in breuitate perspicua est hoc loco inserta repetitio om-

xiūm supra in bellis Cyra imperatore gestis, expositorum. quarum rerum summam per occasionem Artabasi implicuit orationi auctore ingenio & industria singulari. Græci hanc orationis formam ἀπαραλήτως nomine indicarunt.

17. Cū magna esset lociorum penuria. 233. 5. μελαωει-
 ρωσι στυμωχον. significationem esse famis, in Græco verbo non est
 obscurum, itaque penuria indicari videtur, & illam explendi cu-
 piditas. Et aliquando post: tu manu præhendisti me. ead. 25.
 ἐδεξασθε με. id quod planè est perscriptum in nostro libro. vetere,
 & cum supra narratis congruit.

18. An. vñquam futurum est. 233. 28. εἰ μὲν ἔγωγε πῆ ὄπως
 hanc figuram sermonis supra quoque. notauimus libro quarto. Et
 in Chrysanthe mox oratione: postquā non solum tenes modū
 istū. 234. 4. ἔχου τὸ τρέπον μέτρον ἔχεις. vel, ut in nostro vetere
 libro, τρέπον. Suprà enim dixerat, multitudinem fuisse. Cyro omni
 ratione seu modo conciliandam, cum modum eāque rationem
 cum eā tenet, id est, cōsecutus sit quod voluerit, adeo ut in ipsius
 potestate iam sit adiungere sibi quoscunque libeat, tempus scilicet
 esse, ut sibi quoque videat. Introducitur autem à Xenophonte per-
 sona Chrysanthe, ut auctoris atque suasoris eorum, quæ Cyrus maxi-
 mè vellet ac expeteret, sed ipse tamen palàm eloqui & postulare
 non auderet.

19. Numini domestico. 234. 17. ἐστία. Vestam hanc vocarunt
 Latini: sed Romæ hæc colebatur publicè. Priuata autem numina
 quedam domestica. Lares appellabantur, & suum etiam quisque
 Larē.

Eunuchos autem. 234. 34. Locus communis pro hoc genere
 hominum diligenter elaboratus: sed apud alios contrariò aduersus
 illud vehementer dicta reperiuntur: multa etiā occurrunt pas-
 sim nomina contumeliosè infamantia eunuchos, & admodū acer-
 bā insectatio horum est, in quadā epistola Basilij ad Simpliciam.
 & Claudiani ista descriptio eunuchorum legitur in Entropium:

20. Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter,
 Execi Veneris stimulos, & vulnere casti.

21. Mistra duplex atas inter præxūmque senēroque,

22. Nil mediū... Et hæc contraria Xenophonteis:

*Adde quòd Eunuchus nulla pietate mouetur,
Nec generi natisque cauet.*

*Quo enim argumento Xenophon κατασκευάζων, fidem quæ
habeatur tutò eunuchis, eodem Claudianus vititur ἀνασκευάζων.*

*Seſe à nemine ſuperari poſſe cenſ. 235. 2. τούτους δὲ εὐερ-
γετουῦτας ὡς βάλλιν αὐτὸν ἔδέν' ἀν' ἠγείτο δὴναοῦσαι. Hac ſcri-
ptura ita in noſtro vetere libro extat. ἀπικλήζει autem oratio σχή-
ματι χειροφρεωῖ, quemadmodum Grammatici vocant. ut: ἀμφὸ
δ' ἐζομένω γεραρώτερος ἢεν ὀδυσσεύς. De quibus figuris alibi plura
à nobis dicta ſunt.*

*Et aliquantulum poſtea, tam in bellis quàm venationi-
bus. ead. 24. καὶ ἐν τοῖς πολέμοις καὶ ἐν ταῖς θήραις. iſta enim ſic
exarata ſunt in noſtro vetere libro.*

*Dum intus ipſe acquieſceret. 236. 6. ὅπότε ἔσω ραίσειεν.
Omnino verbum ραίζω ſignificationem habet quietis quoque &
trāquillitatis & boni ſtatus: ut in quinto Rerum publicarum Pla-
tonis: ὁ αὐτὸς τε λόγος περὶ τε λύπης πονοῦτος μέρους, καὶ περὶ
ἠδονῆς ραίζοντος. id eſt: Idem dici poteſt de dolore partis laborantis,
& leticia partis tranquilla, ſeu bene & commodè ſeſe habentis.
Sed hæc ſcriptura non immeritò, ut videtur, eruditus ſuſpecta eſt:
& in noſtro etiam vetere libro legitur: ὅπότε ἐπὶ χόρας εἶν, id eſt,
quoties eo in loco adeſſet. Et paulo poſt: Ne exercitationem
virtutis remitterent, ead. 22. ὅπως μὴ ἀνήσωσι τὴν τῆς ἀρε-
τῆς ἀσκησιν.*

*Solum amplum atque fertile. 236. 31. γῆν πολλὴν καὶ ἀγα-
θὴν. De Babylonij autem ſoli fertilitate narratio eſt verboſa Hero-
doti, eiufmodi quidem ut incredibilem ipſe perhibeat, iis qui ipſi
non præſentes cognouerint.*

*Ad præſentem ſuauitatem contendendum. 237. 19.
ἔδ' ἐπὶ τῶν αὐτῆς ἠδὲ φρεσίνων αὐτοῦς. Non debemus demittere nos
in id, quod in præſentia ſuaue eſt, id eſt præſentibus voluptatibus
indulgere. Et mox: Imperium eſſe partum. ead. 21. καὶ τὸ ἀρχὴν
καταφράξαι. In noſtro tamen libro vetere eſt: καὶ ἂ χρῆν κατα-
φράξαι: id eſt, ea confeciſſe, quæ oportuit. ita ſequeretur: ſed multò
maius eſt, conſeruare, quæ acceperis. Eſt autem nota ſententia ea-
dem Ouidiana:*

Non minor est virtus quam querere parta tueri.

Casus inest illic, hinc erit artis opus.

Verbis etiam Cyri hoc loco differuit Xenophon, non committenda arma esse & disciplinam militarem subiectis imperio, & potestati aliorum, secundum instituta Aegyptiorum atque Lacedaemoniorum.

Hoc enim vna comitari oportet. 239. II. τὸ το γὰρ δὲ σὺ μπαρομαρτεῖν. id est, ut bonus ipse aliquis vir sit, illud nequam abesse oportet, a custodia ista.

AD LIBRVM OCTAVVM.

IN hoc libro octauo & ultimo historia de Cyro primum exponitur oratio Chrysanta astipulantis Cyro, & alia item subiiciētis pertinentia eodem, & refertur factum decretum de obseruantia atque cultu regis. Secundo: constituit & ordinat Cyrus res gubernationis & administrationem regni, ad pacis atque belli tempora, & alias curas mandat ceteris, ipse procerum suscipit. quae disciplina ibi enarratur. Tertia est elegans demonstratio officij ac muneris boni laudatiue regis, & ostenditur hoc loco munifica liberalitate opes regias fundari. Quarto: describitur apparatus atque pompa prodeuntis Cyri primum extra Regiam ad sacrificium solenne, & ludos equestris curriculi, & inseritur venusta narratiuncula de Saca quopiam & Pheraula. Quinto: memoratur conuiuium Cyri, & instructio huius, & in illo urbanitas mutua iocorum, quando & desponsam fuisse Hytaspae dicitur filiam Gobryae. Sexto: dimittit Cyrus volentes discedere socios bellorum cum muneribus: volentibus remanere terras attribuit incolendas: & pecunias Sardianas distribuit, deque his cōcionatur. Septima est profectio in Persidem, & castrorum expeditionisque ordo atque instructio, & in itinere eo congressus cum Cyaxare. Octauo: in Perside, illius regni successio, auctoritate Cambysis patris, destinatur Cyro, & constituitur legitima gubernatio illius, & narratur reditus Cyri Babylonem, itemque coniugium: necnon satraparum praesidiorumque designatio ac collocatio. Nono loco, mentio fit expeditionis Cyri, qua Asiatica gentes omnes sub

subiecta fuerint potestati Persarum, itémque capta Ægyptus: cum historia ad senectutem usque producta etatis Cyri, & mortis somnio significata, itémque diuisi regni, antequam hæc obiretur, inter duos filios. Atque ita concluditur iste liber disputatione de Persico antiquo & temporum illorum imperio. Narrationes autem de Cyro Xenophontis magis ad doctrinam & exemplum, quàm historie fidem, compositas esse, antea quoque dictum est. Atque in hoc præsertim libro plurimæ bonæ & vtilis sententiæ reperiuntur, & præclara præcepta, & accuratæ disputationes de iis rebus, quibus magna atque singularia imperia cum efficiuntur tum conseruantur. quæ formam expositionis historice non seruant. Orationes autem Chrysantæ ἐπαγωγικὴ est argumentatio, quales Socraticæ fuerunt. Commemorat autem Chrysantas suadendo ea, quæ postulare Cyrum ipsum minus decuisset. Quo nomine sibi hunc præ cæteris carum fuisse, ipse Cyrus paulo post affirmat. Præclara autem in ista oratione est commendatio eius quam Græci πειθαρχίαν vocant, & affectionis regiæ erga subiectos potestati ipsius: quæ suauissimo patris nomine indicatur, quo & Vlysses celebratur ab Homero, quòd suis πατὴρ ὡς ἠπίος ἦεν. Atque hæc appellatio in hac Chrysantæ oratione, ἀπολογικῶς ἐξεργάζεταιται.

Comprobantes ista orat. 241. 24. nimirum quæ Chrysantas consueuerat. Κυρωποιῶτες autem sunt Κυωγορευόντες, qui eandem causam agunt, & ab aliquo dicta sua oratione augent, & in iudiciis Græcorum, qui hoc facerent, aduocari solebant. atque ita concluditur oratio Demosthenis in Phormionem. καλῶ δὲ καὶ ἄλλον τινα τῶν φίλων εἰάν κελεύετε. itémque altera contra Dionysodorum damni dati. ἀξίω δὲ καὶ τῶν φίλων μοι τινα Κυωποιῶν. δεῦρο δημόσθετες. Et Æschines in defensione falsæ legationis multos nominatim aduocat. Qui vocantur autem in nostra interpretatione honorati, ἢ sunt Xenophonti, ἐντιμοί, ornati honoribus publicorum munerum. ut è contrario ἀτιμοί, quibus honores non mandantur. Sunt autem ἐντιμὰ etiam preciosa, seu magni precij, ut frumenta.

Et eorū qui in imperio sunt. 241. 29. θεραπεύουσί τε τὰς τῶν ἀρχόντων θύρας. colendoque frequentat fores eorū, qui imperiū tenent, seu magistratuum. & est illa nostri veteris libri scriptura.

Vt præsidibus meliorib. 241. 34. ὅταν ἐπιστάτης βελτίων γένεται. Sententiam hanc, id est γνώμων, postea generalius expositam inueniemus, quam Cicero, ut Platoniam refert in epistola ad Lentulum: Quæ sunt apud Platonem nostrum scripta diuinitus: quales in Rep. principes essent, tales reliquos solere esse ciues. Sunt autem vulgata Claudiana ista:

componitur orbis

Regis ad exemplum. Et,

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Et hæc:

Scilicet in vulgus manant peccata regentum,

Vtique ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Et est verbosa de vitiorum pernicioſa in principibus quasi hæc disputatio in quadam Gregorij Naſſianſeni oratione, ubi dicitur: Nullam esse tam præparatam imbuendo veste ad colorem, neque tam idoneam ad odorem recipiendum, neque tam pestilentem halitum ullum in aère diffundi, cuius contagione animantes insciantur: quàm soleat celeriter principum virorum prauitate atque vitiis compleri vulgus, multo quidem citius, quàm è contrario virtute. Quæ eadem differuntur in tertio libro Ciceronis de Legibus, ubi & hoc dicitur: Peccata principum plus exëplo quàm peccato nocere. ἐπιστάτης verò inter alia significat præfectum aut præsidem generaliter. Ita ἐπιστάτης θύματος ἱερέυς est, Euripidί Achilles, sacerdos præfectus sacrificio, in Hecuba. Et ἐπιστάτην κολωνού Sophocles dixit, illius loci præsidem. & Aristoteles Politicorum quarto libro: πολλῶν ἐπιστάτων πολιτικὴ κοινωνία δέεται. Multis administrationi præfectis ciuili communitati opus est.

In imperio illo euertendo. 242. 2. συγκαταστρεφάμενων τὴν ἀρχήν. Assyriorum scilicet. Nam in ea euertenda ab hoc autore istis in libris Medi atque Persæ coniunguntur.

Vt essent quàm optimi. 242. II. τούτους ὅπως ὡς βέλτιστοι ἔσονταί. hæc sumus interpretati. Sed verior scriptura videtur veteris nostri libri ista: τούτους ὅπως ὡς βέλτιστοι ἔσονταί αὐτὸς ἐσκόπει, καὶ ἔχει τὸν τούτου τὴν ἐπιμέλ. id est: ij vt essent quàm optimi ipse videre, neque curam illorum mandare aliis.

Qui in acie coniungerentur, assistendo & subsequendo.

do. 242. 14. παραστάτας καὶ ἐπιστάτας. *Suprà libro tertio, & paulo aliter ista nomina sumus interpretati, & de significatione eorum aliquid diximus. atque haud scio an sermo Latinus illa singulis verbis non interpretetur.*

Ad fructus regni. 242. 35. ἀρόσοδοι, *sunt fructus qui alicui de redduntur. Regni igitur seu publici gubernationis erunt hac vectigalia, quo nomine paulo antè sumus interpretando vsq.*

Participes rerum communium. 243. 21. κοινῶνας. *Altera scriptura est κοινωνός, sed notatur illud nomen ut Xenophonteū. Significantur autem gubernationis in regno, & administrationis Rerū publicarū socij. Et postea: sed minus odiosè ἡτίον δὲ ἐχθρῶς, qua ita perscribuntur in nostro libro vetera.*

Si ipse illorum princeps. 244. 14. ἐπ' αὐτῶν ἀρχῶν αὐτῶν ἦν, εἰ αὐτὸς ἕωτ. *si ipse, qui princeps esset illorum. Et mox: κεκοσμημένος, quod mihi ἀτίκωτερον videtur. Et extant hac ita exarata in nostro libro vetera.*

Eo tempore quo felicitate præstaret. 244. 22. ἐπεὶ εὐδαιμονέστερος ἦν. *Quae est nostri libri veteris scriptura, vera nisi fallor.*

Utque hostiæ indies mactarentur Diis, quibus Magi præcep. 244. 24. καὶ θύειν αὐτῶν ἑκάστην ἡμέραν οἷς οἱ μάγροι θεοῖς εἰποιεν. *Hac συλληπτικῶς dicuntur minus κατὰλλήλως, repetendum enim est verbum κατεσάθισαι congruentur, κατεσάθη θύειν.*

Eam rationem ineundo. 244. 32. λογιζόμενος. *Elocutio concisa est, siue ab autore, siue à librario. Et est παραβολὴ elegans. Et paulo post: iuris viam ingrederentur. 245. 8. Interpretatè sumus scripturam veteris libri nostri: διὰ τοῦ διχάμῃ δ' ἐθέλειν πορεύεσθαι. Quod si cui magis arridet; πορίζεσθαι, hoc scilicet dicitur iustis rationibus aliquid acquirerent. Quarum autem virtutum laudem & utilitatem hanc celebrat autor, eas luculenta breuitate itidem ille coniunxit in tertio libro ἑλληνικῶν hac sententia verbis istis: ὅπερ γὰρ ἀνδρες θεοῦς μὲν σέβουσι, τὰ δὲ πολεμικὰ ἀσποῖεν, πύθασθαι δὲ μελετῶεν, πῶς ἐκ βίχης ἐν ταῦτα πάντα μετὰ ἐλπίαν δὸν ἀγαθῶν εἶναι. id est: Vbi diuinam numerum aliqui venerantur, & rem militarem exercent, & imperia legitimo student parere: ibi quo pacto non omnium bona spe sunt refertæ.*

Manifestè turpia fugerent. 245.32. τὰ ἐν φανεροῦ ἀσχηρὰ
 quæ palàm designarentur. & additur in vetere libro ἴσως. ut sen-
 tentia sit: Pariter abstinere turpibus utrosque, sed cōtinentes ideò
 ne turpitudine manifesta fiat, temperantes vero semper atque con-
 stanter illam fugere. Distinxit & Aristoteles τὴν ἀρετὴν, cuius
 pars temperantia est, καὶ τὴν ἐγκράτειαν.

Quietè & placidè cedentes potioribus verfar. 246. 3.
 εὐταξίας significationem Cicero ordinis atque etiam modestiæ esse
 ait. Traditur autem nūc quoque in Turcicis cætibus, has quasi re-
 liquias esse institutionis Persicæ: ut multa hominum milia sic unà
 versentur atque pergant, ut neque vociferationes, neque soni ulli
 indecori illorum exaudiantur. Et mox: Vitam ipsos agere ho-
 nestam atque laudabilem. ead.8. τῶ ὄντι εἰς ἄλλος ζῆν. sicut
 εἰς τὰ ἄλλα γράφειν.

Ad continentiam. 246.18. πρὸς ἐγκράτειαν. quæ extat in
 nostro libro vetere scriptura. Et mox: quibuscunque studiis.
 ead.25. Est autem μελέτη, de quacunque re diligens cogitatio, &
 usus exercitationisque frequentatio atque studium. Et paulo pòst:
 nondum agitata. ead.30. ἀγυμνάσις, quorum corpora agita-
 tionibus non essent exercitata.

Vestitum Medicum. 247.8. φορὴν μηδικὴν. de hoc nomine
 suprà quoque aliquid diximus. Fuisse sanè vestes istas longiores
 apparet, quales nunc etiam gestant Asiatici & Turcæ. Atque li-
 cet de calceis quoque suspicari, fuisse illos horum non dissimiles.

Vt eis grauitè & seuerè præesset. 247.24. καὶ μεμελέτη
 καὶ σεμνῶς προσέειπεν ἀντιῶν. Quæ scriptura veteris nostri libri est,
 eamque probantes sumus interpretati. σεμνῶς autem est grauitè
 & seuerè, vel etiam cum dignitate.

Ne fame debilitarentur. 247.34. ὧς μὴ βουλιμιῶν. βουλι-
 μιῶν interpretantur famem ingentem atque singularem dicitur
 & βούλιμος, quæ nihil aliud ait esse Galenus, quam λειποθυμίαν:
 & hinc verbum βουλιμιῶν, cum tali fame constictari, quo Xenop-
 phon usus est libro quarto De expeditione Cyri minoris. Inuadit
 hæc malum & homines & iumenta. Rhät archi in. v. 1. Quæstionum
 cōiuiualium definitio hæc est: βουλιμία πάθος ἐν τρομάχῳ διὰ σω-
 δρομὴν λιμοῦς λειποθυμίας πακοῦν id est: Bulimia morbus est in
 stomacho,

stomacho, quo fit, ut fame concurrente, animus aliquem relinquat. Habere autē perhibetur syllaba, βου, significationē magnitudinis.

Si quidem opera ipsorum uti vellet. 248. 14. ὅτι γὰρ χρησάμελλεν αὐτοῖς. quippe quorū opera usurus esset. De patris autem appellatione tributa Cyro à suis, mentio fit & ab Herodoto libro tertio, ubi dicitur: Persarum fuisse sermones: ὡς δαρείος μὲν ἦν καπιλος, καμβύσις δὲ δεσπότης, κύρος δὲ πατήρ.

Quam igitur viam ad amor. 248. 26. ὡς ἐπὶ τὸ φιλεῖσθαι δοκεῖ ἡμῖν ἐλθεῖν. Quomodo peruenisse eò illū existimem, ut amaretur.

Quacūque alia actione occup. 249. 15. ἐν αἷς πσι νοῦν παράξεσιν. In nostro tamen vetere libro est: ἐν ἀλλαις πσι παράξεσιν. Et mox: sicut pueris. ead. 20. Philelphus interpretatus est non παροῖ, sed χροῖ: sententia nequaquā aliena. in nostro autem libro vetere hoc loco aliquid deerat. Et mox: κλίβην, θύραν, ἀροτρον. spondā, ianuā, aratrum. ead. 33. sed in nostro vetere libro est: θύραν, ὕβνιν, ἀροτρον: ianuam, burim, aratrū. Neque additur τράπεζαν. Sententia autem affirmās, multas res, seu multa opera ab uno homine rectè atque praeclarè effici elaborarique non posse, Socratica est celebrata à Platone & Aristotele, & posita supra libro secundo.

Qui in minimè longo opere mor. eum cogi ut quàm præclariss. 250. 9. τοῦτον καὶ ἀριστα διναγχεῖσθαι τοῦτο ποιεῖν. Vocat autem Xenophon βραχύτατον ἔργον, opus expeditum, & brevis tractationis, nimirum simplex atque solum. Quò editū verò est: τοῦτον καὶ ἀριστα διναγχεῖσθαι; & nos sumus interpretati: pro eo in nostro libro vetere hac legitur: τοῦτ' αὖ, vel τοῦτω, vel τοῦτων. (nam hic litura quaedam cernitur) ἀριστα δινεγχεῖσθαι. id est: id ipsum quā optimè eum exequi. Vel, hoc efficiēdo illū excellere: vel in istis facile eum prestare ceteris. Cū mihi quidem, in hac scriptura: τοῦτω ἀριστα: maximè probetur. quamvis τοῦτ' αὖ: id est, κατὰ τοῦτο, sententiā habeat eandem. Et paulo antè: Tunicas modò concidendo. ead. 7. χιτῶνας μόνον σιωτέμενων: id est vestem concidendo ad tunicas conficiendas.

Satis est vnum aliquod probat. exhib. 250. 18. ἀρκεῖ ἓαν ἐν εἶδος εὐδαιμουῦ παράσχη, satis habetur si is unum panificij genus, quod magni fiat, exhibuerit. Et mox: admodum excellen-

ter elaborare. cad. 19. πολὺ διαφερόντως ἐξεργάσατο. Ita enim exarata sunt hac in nostro vetere libro.

Cuius nam verò munera. 250. 31. τὰ πίνος δὲ δῶρα. Quā scripturam veteris nostri libri non indignam quā indicaretur duximus.

Oculi & aures. 251. 7. ὀφθαλμοὶ καὶ ὄτια. Non fuisse quasi functiones istas, certorum munerum in aula Medorum atque Persarum, ab hoc autore disputatur, id quod ab aliis traditum scilicet esset. Sic epim introducitur ab Aristophane eius persona, qui oculus esset regis Persarum. & Herodotus, puerum Cyrum, qui pastoris filius esse crederetur, quem ceteri pueri ludentes regem creassent, constituisse scripsit, inter alios veluti regni ministros, etiam oculum Regis. Aristoteles libro tertio πολιτικῶν, pedum ac manuum apud reges meminit: quod & proverbium pertinet: Longas regibus esse manus. Quod autem editum est, & nos canuertimus: εἶδε τις οἶετο. Et mox: ἔκ ὀρθῶς οἶετο. pro eo in nostro libro vetera legitur: εἶδε τις ἔωρτο. Et, ἔκ ὀρθῶς οἶοντο, numero tantum mutato, non diuersa sententia.

Rex cunctos audit qui affir. 251. 20. πάντος βασιλεὺς ἀκούει. Sed in nostro vetere libro est, πάντως, id est, rex omnino seu prorsus audit.

Dictum quoddam eius memor. 252. 2. καὶ λόγος δὲ αὐτοῦ τοῦ ἀπομνημονεύετο. hinc ἀπομνημονεύματα, memorabilia dicta, & dicta alterius mandata memoria, aut prodita. Est autem huius dicti sententia Homericā. Homerus enim reges appellat ποιμένας λαῶν. De iis verò, quae αἰτιολογία complectitur, disputationes sunt Socraticae in primo libro Rerumpublicarum Platonis. & sententia eadem extat in VII. ἡρώων νομομαχείων.

Et pastorem enim. 352. 14. τόντε γὰρ νομέα χρῆνοι ἀρα ἔφην. Et mox: quæ esset beata ouium vita. cad. 5. ἡ δὲ τροβάτων ἐδάμωια. Nimirum ut benè pascantur oves, & diligenter custodiantur, & ita fructum reddant lactis atque lanae.

Documentum hoc ded. præclar. 252. 10. ἐπίδειγμα ἐπίδειξι. id est, demonstrando demonstrasse. Figura sermonis antiquae linguae Atticae. Sunt autem ἐπίδειξιαι, quae sic differuntur, ut iis ostentatio ingenij contiscatur. Nos documentum nomine vertimus. sicut

sicut potuimus. atque est hæc χρεία μικτή: id est Cyro tribuitur, & facti & dicti doctrina, inprobans sordes & auaritiam, & commendans munificam liberalitatem, non solum ut honestam, sed tanquam utilem quoque. Et est Martialis elegans versiculus:

Quas dederis solas semper habebis opes.

Pecunia mihi opus esse. 252. 20. ὅτι δέομαι χρυσίῳ. Vel: opus mox fore: ὅτι ὀροσδέησομαι, quod extat in nostro vetere etiam libro. Sumus autē χρυσίῳ, interpretati generali nomine pecunia, cum proprie illo significetur aurū, cuius precium est eximium.

Iis mecor amicorum meorū egest. 253. 24. πῶς εἰδέλαις τῶν φίλων ἐξακοῦμαι, facio ut necessaria suppetant egeribus amicis meis. Sed in nostro vetere libro planè perscriptū extat: ἐξακοῦμαι ut hoc dicatur: sarcio egestatem amicorum meorum. Verbo hoc vititur Plato in Menone: τὰ ἰμάτια ἐξακοῦμενοι, qui vestes sarcitū.

Nihil non impendere. 254. 11. τῷ τελεῖν ἐφίλειν, quæ est & nostri libri veteris scriptura, & significare, inter alia, τὸ τελεῖν, impensas sumtuum: id est, τὸ δαπανεῖν, non est obscurum.

De medio vnus alterum sublat. 255. 3. ἐκποδῶν ἐβούλοκτο ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον γυν' ἄσαι. remotum ab altero impeditus malebat aliter potius, &c. De hoc autē quæri posse alicui fortasse videatur, an & honestum & utile factu sit. Non est autem dissimile dictum Melanthij, siue serio siue ioca prolatum, quod retulit Plutarchus in libro de audiendis Poëtis: fulciri statim civitatis Atheniensis discordia dissidiōque oratorum. Ita enim distrahi mala, ne quasi in vnum parietem incumbendo illum deprimant. Sed relinquitur sanè hoc in medio ad exquirendum. Cum quidem bonorū concordia atque mutuus amor ad cōseruandam Rerūpublicarum priuatarūque prosperam fortunam, & ad euerēdam malorum, plurimum momenti habeat. Quæ sanè ab hoc autore laudatur de eunuchis propter dissidentiam, & de armis ademptis, & dissidio inter proceres, ea notantur in v. libro Politicorum Aristotelis tamquam Tyrannica.

Grauitas atque dignitas. 255. 9. ἡ σεμνότης. Grauitas, dignitas, splendor, amplitudo. Quod nomē etiam supra est notatum. Et paulo post: Alia ratione geri res. ead. 21. ἀλλή, sicut τῆδε ἰδέα, ποιῆς ἐπιρρηματικῶς. Et paulo antè: in lucos exēptos. Diis.

ead. 16. εἰς τὰ τε μὲν τὰ τοῖς θεοῖς ἐξηρημένα. τε μὲν, *exempta loca* atque tradita alicui honoris & amplitudinis nomine atque merito, sunt Homero. Posteriores ita appellarunt consecrata Diis loca: qui Latinis sunt luci sacri, in quibus ara alicui numini extructa essent. Est autem in his præclara doctrina gubernationis speciosa prosperæque & firmæ ac stabilis: De sententia atque consilio communi procerum, & quorum opera principes utuntur, omnia institui ac geri. cum nihil odiosius nocentiùsque sit, arrogantia atque pertinacia, quam Græci ἰδιογνωμοσύνην καὶ ἰσχρογνωμοσύνην vocant: contra verò deliberationibus communibus, & humanitatis commendatio, & negotiorū fructuosa explicatio cōtineatur.

Coloris obscurioris. 255. 29. ὀφρύνων. fortasse fuscas liceat has vestes appellare. πορφύρις certè est, ἑοδῆς scilicet purpurea vestis, à purpura. φοινικίς ἀπὸ τῶν φοινίκων. ὀφρύνω verò & χερύκων. sunt vestimenta coloris declinantis ad nigrum. ὀφρύνων Plato Timæo, quasi combusta purpure colore esse ait. χερύκων autem, vel ἀπὸ τῶν χερύων (nam & χερυοβαφῆς dixere) vel undecunque factū, & ipsum coloris viridis obscurioris ac nigrantis significationem videtur habere.

Pheraulam illum plebeium. 256. 3. τῶν δημοτῶν. id est, τῶν δημοτικῶν. Et libro secundo fit mentio Pheraula, ut plebey hominis, & ipse paulo post introducitur suæ talis conditionis index. Is igitur δημότης, & nunc τῶν δημοτῶν est. Quemadmodum Sophocles Aiace: ἀνδρα δημότην, aliquem ex plebe, dixit. Cum δημόται ἢ quoque sint, qui Latine vocantur populares, eiusdem nimirum populi, quæ pars fuit Athenis tribus, id est φυλῆς.

Duo ista amricula. 256. 25. τῶδε δύο χέσα. Pollux ait, τὸν χέσαι ἰσπικὸν εἶναι χιτῶνα, id est tunicam equestrem.

Aliter me ministro vl. 256. 30. ἑτέρω χρήσι μοι διακόνω. In nostro vetere libro talis est hoc loco scriptura: εἰσαυθῆς ὅταν διακόνῳ εἶ ᾧ χρήσι μοι διακόνω. Quæ nimirum interrogatio fuerit, negans ministrum illum se iterum habiturum esse, proditorem deliberationis istius. sed valdè vereor, ut ista scriptura vera sit. atque non carere hunc locum mendo videtur ἀχρησταλλογότης quoque indicare.

Translatis manibus per amictus. 257. 6. διηριώτες τὰς χεῖ

χειρῶν διὰ τῶν κανθῶν. *Candis fuisse amictum Persicum non est ignotum. illud autem translatis manibus factum ex Græco, διηκρότες τὰς χεῖρας. utrum est exertis, an implicatis? Libro quidem secundo ἐλληνικῶν, id est rerum gestarum à Græcis, scribitur: Cyrum minorem interfecisse duos regia stirpis iuuenes, quod obuiam sibi facti, non seruassent intra coren manus, id quod facere soleant coram rege tantum. Core autē est, inquit ibi Xenophon, manu quiddam longius, in qua manum aliquis continens, facere nihil prorsus possit.*

Stabāt Persæ à dextra parte viæ. 257. 8. ἑτασαι δὲ πέρσαι μὲν ἐκ δεξιᾶς. *Collocantur nunc Persæ ad dextram, ceteri ad sinistrā, contraria ratione illi, quàm in conuiuio seruasse Cyrum posse à narratur.*

Quibus Magi docuerāt, longè enim Per. 257. 12. *Scripturam nostri veteris codicis arbitrati veram, sumus interpretati hęc: καὶ οἷς ἄλλοις θεῶν οἱ μᾶζοι ἐξηγουῦτο. πολὺ γὰρ ὄιονται πέρ-*

Ignem gestantes in foco ingentem. 257. 20. Coluisse Persas, sicut Chaldaeos, venerando ignem quasi preditum diuino numine, à multis traditur. & existimatur in nomine Oromadi inesse significatio ignis. Fabula autē bella à Suida refertur, quam ascribere conuersam in sermonem Latinum, visum est. Chaldaeos aliquando ferunt dignitatem extollentes numinis sui, id est ignis, hunc circumtulisse ubique, comparando illum cum aliarum prouinciarum Diis, & qui superior esset, eum ab omnibus statuendo Deum esse. Erant in aliis prouinciis consecrati Dij, aerei, argentei, lignei, lapidei, aut huiusmodi alij. Quæ materia faciliè ab igne conficiebatur. Itaque necessario penes ignem erat ubique victoria. Hoc cum audiisset Camopi in Ægypto sacerdos, tale quiddā astutè est commētus. Solent in Ægypto auales testacei fieri, cum continuatis tenuibus foraminibus, per quæ colando destillās aqua turbida, purissima redditur: Ex his aqualibus vno accepto, foramina illius cera obturauit, & variis ipsum coloribus depinxit, & completum aqua, proposuit tanquam Deum, veteris simulacri capite abscisso, quod perhiberetur fuisse gubernatoris Menelai, & cum isto suo simulacro accuratè concinnato. Affuere deinde Chaldaei. accensus fuit Ignis, & liquebatur cera, qua fuerant foramina obturata. Su-

dante autem aquali, & per foramina aquam emittente, ignis extinguebatur. Atque ita astutia sacerdotis istius, Chaldaeorum vi-
tor declaratus fuit Canopus, & de cetero honore divino cultus.

Caligis coloris lutei. 257. 24. ἀναξυρίδης ὑσθνοβαφεῖς. Lu-
teum autem vel etiam rubescentem colorem significari Græco vo-
cabulo arbitror. Quem & Constantinopolitæ imperatores, ut in-
signe Maiestatis, in calceamentis retinuisse perhibentur. ἀναξυρί-
δης autem fuere integumenta crurum, quæ fæminalia quidam vo-
carunt, & Gallico nomine Bracas.

Agmine quadrato, centenis vbiq̄ue ordinib. 258. 7. μύ-
ριοι εἰς ἑκάτον πανταχῆ τεταγμένοι. Nos agmen hoc quadrati
appellatione volumus indicare. Nam centies centum conficiunt
numerum illum τῶν μυρίων, id est decies mille.

Refertē ad me. 258. 28. εἰσαγγέλλετε ἑμὲ. In nostro
tamen libro vetere est: προσάγετε ἑμὲ, ἵνα κοινῆ βουλευόμενοι
διὰ ἑσπέρων ἀποταξῶμεν αὐτοῖς.

Parum elegantibus moribus. 258. 33. σολοκότερος ἄνθρω-
πος τὸν τρόπον. Est autē multo fædior σολοισκισμὸς, id est rustici-
tas atque prauitas, vitæ ac morum, quàm orationis. Nihil autem
refert, siue Daipharnes, siue Datines iste appelletur. Est autem no-
tatio ista vulgaris leuitatis arrogantium ac superborum.

Is verò, qui posterior hoc vocat, fuerat, prior est ad-
uect. 259. 3. Ea quæ essent exarata in nostro vetere libro, sumus
interpretati, ista serie verborum: ὁ δὲ ἕτερος κληθεὶς αὐτοῦ ἑσπέρ-
ος αὐτῷ προσήλασε. καὶ ὁ κύριος ἵστωπον αὐτῷ ἔδωκε τῶν παρεπομέ-
νων. atque hanc scripturam veram esse iudico.

Maçtatos rotos combuff. 259. 9. De combufftis autem vi-
ctimis dissentis narratio Herodoti.

Inter Medos victor fuit Artabassus. 259. 17. Hoc nomen
ita perscriptum legitur in nostro vetere libro. & verum est, cum
presertim paulo antè Artabata vt Persæ mentio facta sit.

Quamuis oculos claudas. 259. 28. καὶ κεκλιμῶν. Et μοχ-
Quælo inquit Sacas, monstrato planè, nam sum istam, in-
quit, sublat. ead. 29. Scripturam & hoc loco nostri veteris libri,
quod mihi inprimis probaretur, interpretatus sum, istam: ὁ σάκας
ἔφη, δεῖξόν μοι, ὡς βαλῶ γε ταύτη τῆ βῶλα, ἔφη ἀνελόμενος.

Quæ

Quæ nunciaret cuidam mandato Cyri. 259. 33. παραχρῆ-
 λῶ πινι τακτικὸν ὑπὸ κύρου. *Habet autem, Τακτικὸν, significationem*
mandati pertinentis ad ordinem & instructionem. & extat ista
scriptura in nostro libro vetere. Fuit autem hoc in disciplina quo-
que Laconica, non conuerti in itinere seu via.

Vbi illum egoalui vicissim. 261. 10. ἀντέτρεφον. *Sed in*
nostro libro vetere est: ἦν τρέφων. Vbi is ego eram, qui illum alerem,
quoad vixit. Quæ periphrasis in Græco sermone vsitata est.

Quando autem ipsi erant soli. 263. 31. ὅποτε δὲ αὐτοὶ εἶεν.
Quæ est veteris nostri libri scriptura, nisi admodum fallor, vera.
Quin autem, αὐτὸς eadem quoque significationem habeat, quam
μόνος, Græcæ linguæ studiosum fugit neminem.

Cùm largius bibissent interrogans. 265. 1. ἐπεὶ ὑπέπι-
 νον, ἐπήρετο. *Et in sexto libro ἑλληνικῶν: ἐν δὲ τῇ μεσημβρίᾳ ὑποπι-*
νόντων, καὶ τὸν οἶνον παροξύνει αὐτοὺς ἐλέγετο. Cùmque in meri-
die biberent plusculū, ferebatur vinum quoque nōnihil illos insti-
gasse. Itaque veram esse opinor scripturam libro eiusdem historiae
quinto: οἱ μέντοι τῶν θηβαίων ἰσώεις ἐώκεσαν ὑποπεπωκόσι που
ἐν μεσημβρίᾳ: Sanè Thebanorum equites similes quodam modo erāt
plus potis in meridie. In Lyfide item Platonis: ὑποπεπωκότες ἐν
τοῖς ἑρμῶσι, malim quàm ὑποπεπωκότες, etsi non ignoro ὑπο-
πίπτειν etiam dici aliquos ἐν τοῖς πότοις. Sum autem valdè ad-
miratus interpretationem Marsilianam loci illius. Cùm ἑρμῶα
nihil aliud ibi quàm festa Mercurialia sint. Paulo antè verò:
Ac laborem quoque suscipere rogando, vt eo præ. 264.
24. ἀλλ' ἔργον ἔχει δεόμενον τούτῃ κοινωνεῖν τοὺς παρόντας. Ope-
ram dare rogando vt communiter eo præf. uter. In nostro tamen
libro est articulus positus antè δεόμενον, & scriptura hæc: ἀλλ' ἔρ-
γον εἶχει τὸν δεόμεν. id est operam dare, vt ex præsentibus, quicūque
desideraret, is eo uteretur, quasi esset, τῶν παρόντων. quæ ἀχρησταλλη-
λότης non est inusitata in Græco sermone,

Difficilius inueniri eum, qui res fec. 266. 17. χαλεπώτε-
 ρὸν εἶναι εὐρεῖν ἀνδρα τὰ γὰρ χαλῶς φέροντα, ἢ τὰ κεκῆ. *Gnome*
est celebrans moderationem, vt rem difficilem: γινώσκει γὰρ χαλε-
πὸν μέτρον, ὅτ' ἐσθλά παρῆ, secundum Theognidem.

Regi, inquit, quæso frigidè ridic. 267. 12. ψυχρῶ δ' ἂν πρὸς

τῶν θεῶν βασιλεῖ. *obtestationem sumus verbo simplici interpreta-
ti.* ψυχρὰ αὐτὴ à Græcis, & à Latinis frigida in iocis dicitur, leuia
atque futilia. *Et mox: fortunatum esse iud. ead. 16.* ζηλῶ. *id est
admiror, felicem duco. Vt Euripides Iphigenia in Aulide.* ζηλῶ
σε γέρον. Ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδων βίον ἐξέπερας ἀγνώως ἀκλεῖς.
τοὺς δ' ἐν πιμαῖς ἦπλον ζηλῶ. *Et mox: proinde quantum, inquit,
impend. ead. 18.* ἔπειτα ἔκ' ἂν ὀρίοιοι γε παμπόλλου. *Nunquid
vero plurimi emeris? Quæ scriptura in nostro vetere libro extat.*

Vt exploraret superior quisque ductor. 268. 24. Sub
myriarcho enim scilicet fuere Chiliarchi. *Sub his centuriones, sub-
que his ipsis alij, donec ad præfectos senis ac quinis militibus deue-
niretur.* δοκιμάζειν αὐτὴν ἔχει σημασίαν ἰσχυροῦς ἀποδοῦναι
*ita approbandi. Et paulo post: Non est iste mos Cyri, ut pec-
cong. qui dant. ead. 33.* οὐχ ὁ κύρου τροπος τοῖστος, ὁἷος χρημα-
τίσθαι. *Quæ est vera scriptura, & in nostro vetere libro planè
extat.*

Nationes militantes accur. coll. dilig. 270. 30. τὴν τῶν
στρατιωτικῶν φυλῶν εὐδημοσύνην. *id. est militarium tribuum.* Nos
autem scripturam veteris libri nostri sumus interpretati φύλων,
*de diuersis nationibus in exercitu Cyri. Recta autem atque præcla-
ra collocationis ac dispositionis laus, & vituperatio praua atque
mala, Hesiodæa est, εὐδημοσύνη γὰρ ἀρίστη*

ἡν τοῖς ἀνθρώποις, κακοδημοσύνη δὲ κακίστη.

Impressionem in illa castra facient. 271. 33. ἔστι ἐπιφο-
το. *Quod perscriptum cernitur in nostro vetere libro. Esse autem
ἐπιφοτοῦ ἀγγεῖον ἀγγεῖον, seu adoriri, & quod Latine dicitur impressio-
nem facere, constat.*

Ex sententia patris & matris mex. 272. 31. σὺν τῇ τοῦ πα-
τρός γνῶμη καὶ τῇ τῆς μητρός. *Honestissima est hæc oratio. Non
enim ius, atque fas est matrimonia contrahi vel aduersantibus
vel ignorantibus parentibus. Itaque à compluribus laudata est re-
sponso Hermiones de coniugio suo expetito ab Oreste apud Euri-
pidem in Andromacha:*

Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν ἐμὸς πατήρ.

Μέρμηρα ἔξει, καὶ οὐκ ἐμὸν κρίνειν τόδε.

Conuiuandum. 273. 2. ἐστὶν ἄσθαι. *conuiuia instruenda, vel
ad*

ad epulandum. Et mox in Cambysis oratione. Tūque mi fili Cyre. ead. 10. καὶ σὺ ὦ παῖ κῦρε. secundum scripturam nostri libri veteris. Et postea: maxima bona conting. ead. 30. vel summa. τὰ μέγιστα. De pactis autem iuratis Persarum atque regis mentio, ad Lacedaemoniorum simile iusiurandum pertinet commemoratum in narratione huius auctoris de Laconica Republica.

Aduersarios oppositos. 274. 29. ἀντιπάλους, sed in nostro vetere libro est ἀντίπαλα, in neutro genere generaliter. Et postea in oratione Cyri: Habeant apud vos etiam seff. quemadmodum apud me honorati præ cæteris. 276. 18. Nostri libri veteris scripturam sumus ut simplicem & ideo, nisi fallor, veriorē, interpretati: ἔστων δὲ παρ' ὑμῶν καὶ ἕδρα, ὡς περ παρ' ἡμοῖς φορεπυημένοις. De seffionis autē isto præcipuo honore supra dictū est.

Confici iter istud citiùs gruū volatu. 278. 5. De Persicis istis nunciis narrationem Herodoti in sermonem Latinum conuersam, placuit hoc loco ascribere, Nunciorum istorum tanta est velocitas, ut nihil quod mortalem habeat originem celerius peruenire aliquò possit. Eaque res, inuento Persarum, talis est. Aiūt enim, quàm multorum dierum iter aliquod sit totum, tam multos equos ac viros collocatos esse distantes vnus diei itinere: Quos non nix, non imber, non aestus, non nox arcet à propositi cursus quàm citissima confectio. atque primus cursor accepta mandata tradit secundo, secundus tertio, & inde tradita alteri illa transeūt, sicut apud Græcos faces perferuntur celebritate Vulcanaliorum. Istud equorum curriculum Persæ appellant Angarcium.

Quo exercitu educto. 278. 13. ὄρμα δὲ ταύτην τὴν στρατείαν ἔχων. Et mox: extra Syriam. ead. 14. ὅσα σὺρίαν ἐκβάντι οἰκῆ. Ista enim scriptura in nostro vetere libro extat utrobique. Herodotus autē narrat, mortuo Cyro fuisse occupatum Ægyptum à Cambyse.

Senectutem meam nunquam sensi imbecill. 280. 8. τοῦ μὲν γῆρας ἐδεδώκωτε ἡδόμεν τῆς ἡμῶν νεότητος ἀδυνάτερον γινόμενον. Hac verbis Ciceronis, quibus illa retulit in Catonē maiore, rectissime nos interpretari putauimus. Vbi & alia quedam ex hac Cyri oratione conuersa in sermonem Latinum leguntur.

Parantur autem hi neutiqum per violēt. 281. 24. Sen-

rentia præclarissima hæc est, & experiendo, quàm potentissimam doctrinam esse constat, confirmata à Cicerone elegante breuitate exposita in secundo libro de Officiis: Malus enim custos diuturnitatis metus, contrâque beneuolentia fidelis est vel ad perpetuitatē.

Cuinam enim alteri tantum decus adiung. 282. 3. πίνι γὰρ ἄλλω ἀδελφὸς μέγας ὢν ἔπω χαλὸν ὡς ἀδελφῶ. *Quæ est nostri veteris libri scriptura. Et aliquantò post: Ita tantummodo, ò Cambyles. ead. 16. μόνον τοι ὦ κς μβύση. Compellatio autem vicissim fratrum istorum confusè exponitur.*

Si igitur ita sese ista habent. 283. 8. *Coniecturæ de animorū immortalitate Socraticæ ab hoc autore probabiliter, à Platone argutius disseruntur. Etsi verò omnes homines suspiciantur, & sperat aliquid de sua post hanc in terris vitâ, conditione: nihil tamē quod firmum atque certum sit, concludere ac statuere potest humana ratio & intelligentia. Indicatúrque dubitatio duplici illa sumptione, vel δηλημάτω ποροτάσει, quæ & in Apologia ponitur Socraticis Platonica: ὅτι δυοῖν θατερόν ἐστὶ τὸ τεθνάσκειν ἢ ὄιον μηδὲν εἶναι, μηδὲ αἴσθησιν ἔχειν μηδεμίαν μηδενὸς τὸν τεθνεῶτα, ἢ, κατὰ τὰ λεγόμενα, μεταβαλήσῃς τυγχάνει δυοῖα, καὶ μετοίκησις τῆς ψυχῆς τοῦ τόπου τοῦ ἐνθάδε εἰς ἄλλον τόπον. Quæ ut ad hoc asserendum: Nihil in morte mali esse existimandum, valeant, sententiam tamen immortalitatis animorum permutatione ista labefactent, necesse est. Quapropter doctrina ac veritas huius rei & aliarū similium superantium captum humanum, alibi querenda, & in alia schola, id quod sæpè est à nobis dictum, perdiscenda est.*

Vniuersarum rerum ordo confer. exquis. 283. 14. οἱ καὶ τὴν τῶν ὅλων τάξιν βιώχουσι ἀκριβῆ καὶ ἀκήρατον, καὶ ἀναμάρτητον, καὶ ὑπὸ κἀλλοῦ καὶ μεγέτους, ἀδήγητον. *In nostro tamen libro vetere talis extat hoc loco scriptura, quam diximus dignam esse indicio nostro: οἱ καὶ τὴν ὅλων τήδε τάξιν συγγρατοῦσι ἀκριβῆ καὶ ἀγήρατον, καὶ ἀναμάρτητον, καὶ ὑπὸ τάχους καὶ μεγέτους ἀδήγητον. Id est: Qui vniuersarum rerum ordinem potestate sua conseruant expertem detrimenti atque senectæ, & nusquam aberrantem, cuiusque celeritas ac magnitudo enarrari nequeat. Puto tamen κἀλλοῦ esse verius, quod Cicero quoque ἐπιπέμων ista interpretando videtur expressisse, in Catone maiore, his verbis: Vos*

tamen

tamen Deos verentes, qui hanc omnem pulcritudinem tuentur & regunt.

Ne quis deinde mortal. meum corpus intueatur. 284.

13. μηδεις ἐτ' ἀθρώπων τ' ἄ μὸν σῶμα ἰδέτω. Mos erat olim, ut corpora mortuorum lauarentur, & ita obuoluta sepelirentur. Id quod Socrates de se fieri non vult in Phadone Platonico, & anticipat lauacrum viuus. Cognoui autem narratione fide dignorum hominum, laudatissimum imperatorem Maximinianum Friderici filium, & ipsum vetuisse corpus suum, ubi mortem obiisset, nudum aspici: siue verecūdia honestissimo sensu, siue aliā sanē ob causam.

Et filii eius inter se diffidere. 284. 36. εὐθὺς μὲν αὐτοῦ οἱ παῖδες ἐξασιόσασα. Esse narrationes de Cyro Herodoti & aliorum diuersas, neque concordantes cum Xenophonteis antea diximus. Atque Herodotus à Massagetis interfectum esse Cyrum scripsit, cūm quidem dicat, diuersa de ipsius morte perhiberi. Ex Ctesia autem refertur: In praelio aduersus Derbicas ab Indo quoquam in auxiliariis copiis hostium, iaculo ictū in coxam Cyri, relatumque in castra viuum, & ex eo vulnere deinde mortuum fuisse, relicto successore Cambyse, & tributis fratri huius Tanyoxarca satrapiis Bactriorum, Chorasmiorum, Parthiorum, Carmaniorum liberis. Ex eodem memoratur nomen matris fratrum istorum Amytis (cūm apud Herodotum nomen matris Cambysis sit Cassandane.) & Tanyoxarcam à Cambyse fuisse interfectum potu sanguinis taurini. Herodotus vero Thalia: fratrem germanum, uno patre & vna matre Cambysis nominat Smerdin, interfectum Cambysis iussu somnio territi. Vbi & de sororibus cōiugibus ipsius, & vnius morte, bellæ atque festiue narrationes extant.

Multò nunc sunt deteriores. 285, 15. πολὺ δὲ καὶ τὰδε χεῖρονες καὶ εἰσι. Quæ & in nostra vetere extat libro scriptura. πορχίδας, calices sumus interpretati. Nam quoddam hoc genus calicum esse ait Athenæus apud Xenophontem, libro x i. Quos tamen supra πορχέουξ dixit libro v. ex iis ibi urceos fecimus.

Vbi specimen dando, bonam exist. parent. 287. 2. ὅπου ἂν ἀποφωγόμενοι εὐδοκίμοιεν. Vbi clari virtute fierent, & essent in laude: Vel, ubi præclaris facinoribus eminent, & inuenirent laudem. Et deinde: Prius pueri audientes iusta iudicia

iudicari, discere iustit. cred. ead. 4. *Studivimus conuerti in Latina elegãter repetita Græca: ἀκούοντες ἐκεῖ ὡροῦσθαι τὰς δίχας δικαίως διαζομένους ἐδόκουν μωθάνειν διχαρότητα.* De delicata autem vita atque voluptaria Persarum, & proposito premio inuentori nouæ voluptatis, autore Xerxe, secundum Ciceronem, alibi quoque à nobis quædam dicta sunt. Pro δαπίδων quidem, quod in editis plerisque libris extat, in aliis est Τεπήτων. Quod nomen aliquoties Homerus usurpauit. τάπησι τε πορφύρεοισι. Iliados ἰ. οὐλῶν τε ταπήτων. Iliad. ω'. Placet autem Grammaticis esse τάπιδας quasi πάτητας, κατὰ μετὰ θεσιν, quod substrati calcantur. δαπίδας vero, quod sternantur ἐν δαπέδω, id est supra pauimentum. Vocarunt autem ἀμφητάπητας, densioris textus utrinque, id est ἀμφιμάλλους. Et contra, φιλοδαπίδας leuioris. Plauto sunt tapetia in Pseudolo. Maro dixit: pictisque tapetis, & pulchrosque tapetas, & tapetibus altis. Vt Latini trifariam usurparunt nomen istud. nimirum, tapete, tapes & tapetum.

EX HERODOTI LIBRO PRIMO DE INSTITVTIS ET MORIBUS Persarum.

PERSAS cognoui institutis & moribus uti talibus. Simulacra & fana & aras consecrare mos illis non est. atque iis, qui faciunt, stulticie crimen inferunt. Quia sicut ego arbitror, non putant Deos habere faciem humanam quemadmodum Græci. At illorum institutum est, rem diuinam facere Ioui ascensis altissimis montibus: Orbem cali vniuersum appellantes Ionem. Victimas etiam cadunt Soli & luna & terra & igni & aquæ & ventis. Atque istis solis cadunt victimas ab antiquo. Cedere autem præterea victimas didicerunt Vrania ab Assyriis & Arabiis. Vocant autem Assyrii Venerem Mylitta, Arabij Alitta, Persæ vero Mitram. Sacrificia autem quæ istis Diis fiant constituta sunt Persis hoc modo. Non extruunt

extruunt aras, non accendunt ignem sacrificaturi, non libatione utuntur, non tibia, nō corona, non mola. Sed ubi Deorum istorum cuique rem diuinam facere aliis vult, adducta pecude in locum purum, coronatam gestans mirto Tiaram, Deum illū inuocat. Sibi quidem ipsi soli bona peculiari præcatione orare non licet: At cunctis hic Persis, ut bona eueniant, precatur: & Regi. Nam inter Persas vniuersos, & ipse scilicet vnus est. Postquam verò, dissecta in partes hostia, coxerit carnes, substrato tenerrimo cespite, inprimis trifolij, supra eum imponit carnes omnes: Quas ubi ita disposuerit, adest Magus quispian, & accinit Theogoniam, quam scilicet illi istum accentum esse aiunt. Absque enim Mago, non est fas rem diuinam ab ipsis fieri. Post breuis autem temporis moram, is qui sacrificauit, aufert cernes, & iis utitur arbitrio suo. Diē maximè venerari illis mos est, quo vnusquisque natus fuit. Quo copiosiores epulas æquum esse censent proponi, quàm in ceteris. Atque eo fortunati istius gentis, bouem & equum & camelum & asinum proponunt assos totos in fornacibus: pauperes verò ex eis, exiles oues proponunt. Ex frugibus modico, ex ceteris, quæ adiungi solent, copioso cibo neque præclaro utuntur. Et ideo Persæ aiunt. Græcos sic vesci, ut desinant esurientes, quòd de mensa horū nihil memorabile tollatur. Si quid enim tolleretur, non fuisse illos cæsuros comedendo. Vino maximè dediti sunt. Neque licet vomere, neque mingere coram alio. Ista sanè ad hunc seruātur modum. Ebrj autem de præcipuis rebus consultare consueuerunt. Quòdque consultatibus tunc placuerit, id postero die dominus adium sobriis proponit, in quibus fuere dum consultarent. Quod si sobriis etiam placeat, ita deinde eo utuntur. Sin displiceat, illud relinquunt. Si verò sobriorum fuerit prior consultatio, de iis recognoscendo ebrj decernunt. In viis dum obuiam sibi fiunt, ita cognosci aliquis possit an pares illi sibi occurrentes sint. Pro eo enim ut vnus alterum salutet, osculantur. Si tamen paulo inferior alter fuerit, osculatur genas illius. Sin multò alter humilior genere fuerit, abiiciēs se ad pedes alterius, humili illum gestu veneratur. Præ omnibus, iis honorem habent, secundum quidem sese qui maximè vicina loca incolunt, & deinde qui minus remota, & ita ratione procedendo cæteros honorant. Minimæ autē honore eos ducūt dignos, qui longif-

simè distantia loca incolunt, quòd statuunt sese esse homines per omnia longè præstantissimos: ceteros verò virtutem, ea ratione, quam diximus, attingere: qui verò longissimè distantia loca incolunt, eos esse deterrimos. Dum fuit quidem Medorum imperium, inter ipsas gentes quoque principatus fuit, ita ut vniuersæ essent subiectæ Medorum potestati, ac quàmproxima loca incolentes, & horum deinde finitimi, rursúmque istorum qui ad ipsos admodum pertinerent. Quam rationem in habendo honorem & Persæ seruant: processit enim gens ista & imperio & procuratione. Externa instituta maximè omnium Persæ admittunt. Et vestitum enim Medicum, statuentes suo esse pulcriorè, gestant, & usurpant in bellis Ægyptias loricas, & voluptatum variarum incunditati percõctando studèt. Etiam à Græcis amorum delicias didicerunt. Atque ducunt singuli complures legitimas uxores, sed multo plures habent penes se concubinas. strenui autem viri laus post virtutem in præliis, ea celebratur, si quis multos liberos procreet. Quique plurimos procreauerit, ei Rex munera singulis annis mittit. Robur verò in copia opinione sua collocant. Pueros instituunt ordientes à quinquennio, tria tantum docentes: Equitare, sagittas de arcu emittere, & vera loqui. Antequam autè natus annos habeat quinque, non venit in conspectum patris, sed educatur apud mulieres. Id hanc ob causam fit, ut si, qui ita nutritur, forè moriatur, nullam tristitiæ molestiã afferat patri. Sanè istud institutum laudo. laudo hoc etiam: Quòd ob vnã culpam neque ipse Rex interficiat vllum, neque ex aliis Persis suum famulum quiscquam propter vnã culpam atrociter affligat. Sed ratiocinando si inuenit plura maioræque esse delicta quàm obsequij opera, ita demum iracundiæ indulget. Aiunt autem, quod nemo vnquam occiderit patrem suum aut matrem suam. Verùm quacunque ista facinora facta iã sint omnibus modis necesse esse, si res perquiratur, patratores aut subditicios aut adulterio genitos inueniri. Nõ enim probabile esse, ei qui reuera parens sit, mortem à suo nato offerri. Quicquid apud ipsos facere non licet, id ne dicere quidem licet. Institutis autem illorum turpissimum est Mendacium, & secundo loco obligatum esse debito. Idque cum ob alias multas causas, tum quòd debitorem necesse esse dicant, aliquando etiam mentiri.

tiri. Quicumque Persicæ nationis lepra aut alba scabie infectus est, is urbem non ingreditur, neque Persis ceteris consuescit. Atque perhibent, contigisse ea ob peccatum aliquod, quo Sol offensus fuerit. Externum autem isto malo correptum, multi ex tota regione eiciunt, itémque columbas albas, idem crimen inferentes. In fluvium neque sputa neque urinam deiciunt, neque eo manus lavant, neque aliud quicquam faciunt, sed fluuios omnium maxime veneratur. Accidit ut aliud etiam quiddam apud Persas hoc fiat, quod ipsos Persas fugit, non tamen nos quoque. Nomina, quæ eis sunt similia corporibus & magnificentia, cuncta finem habet litteram eadem, quam Dorienses San, Iones Sigmá appellant. In hac littera inquirendo invenire Persarum nomina, haud quidem hæc, illa verò non, sed pariter omnia. Hæc cum sciam de eis verè affirmare possum. Ista autem quasi occultè & nequaquam planè memorantur, de mortuis: Quod non prius sepeliatur Persæ alicuius cadaver, quàm laceratum fuerit ab aui aut cane. Magos enim certò scio hoc facere, faciunt enim manifestò. Persæ sanè cadaver oblitum cera, condunt humo. Magi verò longè separantur tam ab aliis hominibus, quàm sacerdotibus in Ægypto. Hi enim eo puri sunt, ut nihil occidant anima præditum, nisi in sacrificiis. At Magi propriis manibus occidunt cuncta, præter canem & hominem. Et est ista magna apud ipsos contentio, occidendo pariter formicas & angues & ceteras serpentes volucrésque animantes. De quo instituto res ita sese sanè habeat, quemadmodum initio constituta est. Hactenus Herodotus. Adiungere his & alia quædam visum est, discrepantia illa quidem & ab Xenophontis & ab aliorum narrationibus, sed non habitura, quemadmodum arbitrò, inutilem aut iniucundam lectionem: & historia fidem, quo ad quidem illa, ad nostram cognitionem momenti aliquid habet, nequaquam violantia, ac potius confirmantia.

DE REGIBVS PERSARVM
EX ALCIBIADIS PRIORE
Platonis.

PERSARVM Rex ne suspicatur quidē ullus, Regem ex altero quā se nasci posse. Itaque non est alia coniugis Regiæ custodia, quā metus. Vbi maximus natus, ad quem Imperium pertinet, filius in lucem prodierit: primū festum diem agunt in regno cuncti, deinde in posterum eodem diē Regis natales sacrificando & feriando celebrat Asia tota. Nos verō quando gignimur, ne vicini quidem, secundum Comicum, planē resciscunt. Post hac euntritur puer, haud ille sanē à nutrice muliere parui precij, sed ab iis Eunuchis, qui inter Regi familiares præstantissimi habentur. Quib. mādatur, vt cum in alius curam diligētiamque adhibeant, tum vt natus quā pulcherrimus sit, omnibus artibus efficiant, fingendo dirigendoque pueri mēbra. Quæ agentes illi in magno sunt honore. Pueri cum septem annos habuerint, tunc ad equos & rei equestris magistros accedunt, & incipiunt ad fores adesse. Quatuordecim autem annos illis habentibus, accipiunt puerum nominati ab ipsis Regij pedagogi. Hi sunt ex Persis, de quib. existimatio est, esse ætate sua præstantissimos, quatuor: Sapientissimus, iustissimus, temperantissimus, fortissimus. Quorum vnus Magorum disciplinam docet Zoroastre Ormasdi filij. Est autem hic cultus Deorum. Docet & Regis officia. Iustissimus verō veracem esse docet per totam vitam: Temperantissimus, ne qua voluptatum omnium inferior sit, vt ad libertatem assuescat, & esse reuera Rex, imperans primū suis affectibus, non seruiēs. At fortissimus is est, qui perficiat vt sit metus atque formidinis expers, tanquam seruum illū futurum, si pertimuerit. Et post pauca: Quod si vis iam intueri diuitias, & delicias, & vestitus, & implicatos amictus, & vnguentorum profusiones, & famulorum asseclarūque multitudinem, & cateram vitam delicatam atque mollem Persarum, pudeat te profecto tui sentiētem. quanto interuallo ab illis relinquaris. Et inferius: Lacedæmoniorum diuitiæ, si ad Græcas conferantur, magnæ, si ad Persicas & Persarum Regis, nihil sunt. Nam audiui ego quendam fide dignum aliquando.

do, ex iis qui ad Regem peruenerant, commemorantem: Transiisse regionem admodum spaciosam & bonam, propemodum unius diei itinere, quam uocarent incolæ Regiæ coniugis cingulum. Eſſeque alteram, que uocaretur Velum. Itemque alia multa atque præclara loca exemta ad mundum Regiæ coniugis, habentia nomina ſingula, ab aliquo mundi genere. HAEC ita ibi à Socrate dicuntur colloquente cum Alcibiade. In tertio autem legum differuntur talia quædam, ex poſitione collata in perſonam Athenienſis, qui nõ nominatur, & Clinia Cretenſis. Athenienſis: Perſæ quando vitam ſub Cyri imperio egerunt mediam interiectam magis inter ſeruitutem & libertatem, primùm fuere liberi ipſi, deinde aliorum domini multorum. Imperium enim eorũ, quod eſſet liberale imperiando poteſtati ſue ſubiectis, & ad æqualitatem illud adducendo, ita maior erat caritas inter ductores ac milites, qui præbebāt ſe ſe paratis animis ad pericula adeunda. Iam ſi quis prudens erat inter eos, & conſulendi in medium facultate præditus, cùm Rex ipſe eſſet ab omni inuidia alienus, libertatẽque dicendi concederet, & conſulẽdi facultate præditos honoraret: communem inque medio poſitam prudentiæ facultatem exhibebat, cunctãque tunc illis attribuebat liberaliter ac amanter, & mente ſententiãque communi. Clinia, Sanè ea que narras, ita tunc uidentur eueniſſe. Athen. Quo pacto igitur res Cambyſe imperium tenente perditæ, & à Dario ferè conſeruata fuerint, uultis ne ut tanquam uaticinantes commentemur? C L. Affert id ſcilicet conſiderationem ad id quo contendimus. Athen. Mea igitur uaticinatio eſt de Cyro: Fuiſſe eum cæteris in rebus Ducem exercitus ſeu imperatorem uirtute præſtantem & amantem patriæ, ueram, autẽ rectãque illi inſtitutionem prorsus non contigiſſe, neque animũ ad curam rei ipſum familiaris quicquam attendiſſe. C L. Quomodo uero iſtud dicimus? Videtur cùm à prima ætate ipſe in expeditionibus bellicis verſaretur perpetuò, tradidiſſe filios mulieribus educãdos. At hæc ſic illos educere, ut qui à pueris ſtatim felices beatique extitiſſent, neque ulla re, hæc in parte, deficeretur: & prohibere, ne quis, tanquã prorsus felicibus ipſis ulla in re aduerſaretur: ac cogere, ut cuncti laudarent, quicquid illi dicerent atque facerent: ita tales quosdam educauerunt. C L. Bellam ſcilicet educationem commemorauisti.

Athen. Planè quidè muliebrem, Regiarum mulierum, quæ paulo antè diuites essent facta, educantiū liberos in absentia virorum, qui negotiosi essent in bellis gerendis & multis aduendis periculis. C L. est consentaneum. *Athen.* At Pater horum tunc caulas atque oves, & greges virorum aliorumque multorum parare, ignorans interim, nō institui illos, quib. hæc traditurus esset, patria arte (cū Persæ essent pastores, soboles asperæ regionis) dura illa atque satis idonea ad efficiendū pastores admodum valentes, & qui possent foris excubare ac vigilare, & si quando militia opus esset, militare. Neque animaduertit institui disciplina corrupta, in ista, quæ felicitas perhibebatur, Medica, à mulieribus atque Eunuchis, filios suos. Vnde extiterunt ij, quos existere par erat in omni licentia educatione educatos. Potiti igitur illi imperio, cū mortem Cyrus obiisset, referti deliciis atque licentia, primū vnus alterum, iniquo animo equalitatē ferens, interemit. Deinde ipse furiosus in ebrietate & prauitate educationis, amisit imperium, Medis eripientibus, & illo tunc, qui memoratur, Eunuchō, qui contempsisset stultitiam Cambysis. C L. Sanè ista narrantur. Atque ita ferme gesta videntur esse. *Ath.* Atqui rursus ad Persas imperium peruenisse, restituentibus Dario & septem illis narratur scilicet. C L. Quidni? *Ath.* Videamus itaque ductum orationis sequentes. Darius enim filius Regis non fuit, neque disciplina delicata educatus: cum peruenisset autem ad imperium, & hoc septimus ipse obtinisset, distribuit illud in septem partes diuisum, quarum nunc etiam parua somnia quadam reliqua sunt. Et legibus latis colī illas voluit, equalitatem quandam introducens, & tributum, quod Persis comparauerat Cyrus, lege deuinciens, caritatem atque societatem concilians Persis omnibus: pecuniis & donis multitudinem Persarum adiungendo. Exercitus itaque cum beneuolentia non pauciores ipsi regiones acquisiuit, iis quas Cyrus reliquerat. Post Dariū vero, disciplina regia atque delicata rursus institutus Xerxes: O Daries, dicere iustissimum fortasse sit, qui Cyri malo non fuisti edoctus, educaſti que Xerxen in iisdem moribus, quib. Cambysen Cyrus: ille igitur ut disciplinarum earundem soboles, consimilia facta fecit iis, quæ perpeſsus fuerat Cambyses. Atque ex eo prope modum tanto tempore, apud Persas Rex hæctenus magnus

magnus reuera nullus fuit, nisi nomine quidem. Cuius rei causa non est in fortuna, mea sententia, sed praua vita, quam excellenter diuitū atque Tyrannorum filij plerūque degunt. Nusquam enim de tali educatione, puer, vir, senex euadere praestans virtute possit.

IOSEPHVS LIBRO PRIMO

DE ANTIQVITATE IV-
deorum ex Berosso.

NABVCHODONOSORVS, postquam mænia, de quib. dictum est, inchoarat, incidit in morbum, & vitam cum morte commutauit, cum rex fuisset annis XLIII. Potitūque est regno ipsius filius Euilmara- duchus. Hic quod gubernatio eius esset impia atque scelerata, à viro sororis suæ Neriglissorooro interficitur cum regnasset annis duobus. Hoc interfecto successor fuit in regno, insidiatus illi Neriglissoroorus annis quatuor: Cuius filius Laborosarchodus, regno potitur ille quidem atate puerili mensibus IX. quod autem significationem daret multiplicem ingenij prauī, per insidias ab amicis probrosa morte est interētus. Quo extincto socij insidiarū illarum cōuenerunt, & regnum contulerunt Nabonnedo, vni ex illa factione Babylonio. Hoc regnante mænia ad fluuium vrbis Babyloniorum exornata sunt opere cocti lateris atque bituminis Huius regnum cum in anno septimo versaretur, Cyrus iam ex Perside egressus cum magnis copiis, tota Asia subacta, contendit in regionem Babyloniam. Nabonnedus cognita impressione Cyri, cum suis copiis illi occurrit, & commisso prælio victus, cumque paucis fuga elapsus, in vrbe Borsipenorum sese inclusit. Cyrus vero capta Babylone, constituit mænia extra urbem diruere, quod ita magis negotiosa & minus expugnata facilis vrbs videretur, & ita exercitum Borsipum duxit, vt obsidione Nabonnedo potiretur. Nabonnedus autem sustinere obsidionem noluit, & hanc deditione sua anteuertit. Erga quem humanum sese Cyrus præbuit, tra-

diditque extra Babyloniam ab legato colendam Carmaniam. Atque in illa regione Nabonnedus reliquum tempus vixit, ibidemque obiit mortem. Hactenus à Iosepho Berosi narratio refertur, quam & ipsum Iosephum secutum esse mirari liceat, cum in Danieli Prophetà libro putetur dici ultimum Regem Assyriorum fuisse filium Mabuchodonosoris. Nisi illum forte, qui Danielo Baltassar est, non ultimum regem Assyriorum, sed Niglissarum Berosi, perhibendum esse videatur.

EX ARRIANI LIBRO SEXTO,
DE CYRI MAIORIS SEPULCRO.

VENIT tunc in regionem Pasargadarum Atrobates quoque Sàtrapa Mediae, adducens Baryaxem natione Medum, quod gestando erectam cidarim, perhibuisset sese regem Persarum atque Medorum, simulque cum ipso participes seditionis ac defectionis: quos quidem Alexander interfecit. Cum dolorem afferret ei impietatis scelus, reperto sepulcro Cyri Cambyfis filij effosso, ac spoliato, quemadmodum Aristobulus ait, fuisse enim apud Pasargadas in hortis ibi regis, Cyri illius sepulcrum, & circum hoc constitum lucum variarum arborum, aqua irriguum, densa herba in illo prato crescente. Ipsum sepulcrum inferiore parte sui egregio lapide extructum, figura quadrata: superius imposta adicula lapidea tecta, cum fenestra, qua introiretur angusta, adeo ut vix vir vnus non magna statura ingredi valde laboriosè posset. In hac adicula positum labrum aureum, ubi sepultum esset corpus Cyri. Propterque labrum illud spondam seu lectulum cum pedibus aureis affabre excusis, iniecta tapeti Babylonij operis, & stragulis Persicæ vestis purpurea, additisque & iis, quas Candys Persæ vocant, & tunicis aliis Babylonie elaborationis, nec non crurum integumentis, quas Anaxyridas appellant, Medicis, & stolis hyacintini, aliisque purpurei, aliis huius illiusve coloris, referente scilicet Aristobulo. Inere ibidem torques

ques etiam, & Acinaca, & in aures operis concinati auro ac gemmis. Apposita mensa. In medio autem lectuli illius seu sponda positum labrum, continens corpus Cyri. Intra septum, quâ ascendere tur ad sepulcrum, fuisse adiculam parvam extruētam Magis sepulcri custodibus, filiis succedētib; in custodia patribus, ab Cābyse vsq; Cyri filio. His dabatur ovis singulis diebus à Rege, & farina vinique certa mensura, & vnoquoque mense equus, qui immolaretur Cyro. Insigne fuit sepulcrum scriptura litterarū Persicarum, huius sententia: **HEVSTV** Homo: ego Cyrus sum Cambysis filius, qui imperium Persicum cōstitui, & regnator fui Asia. Ne igitur mihi istud monumentum inuideas. Alexander verò, cui curâ esset accedere ad Cyri sepulcrum Persis in potestatem redactis, reperit cætera inde ablata, præter labrum illud & lectulum. Corpus etiam Cyri violarant, operculo labri remoto, & deiecerant cadaver. Ipsumque labrum conati fuerant efficere leuioris molis, vt facilius ita posset ferri, quadam amputantes, quadam defringētes. Quæ res cum minùs succederet, ita relicto labro discesserant. Atque ait Aristobolus: sibi ipsi mandatum esse ab Alexandro, vt de integro sepulcrum illud exornaret. Itaque quicquid corporis adhuc reliquum integrumque esset, id sese in labrū reposuisse, & operculum imposuisse, & mutilata violataque refecisse, ipsumque lectulū fasciis intendisse, & cætera ad ornatū proposita ad numerum similia pristinis reposuisse. Fenestram autem abscondisse partim lapidib; obstruendo, partim luto oblinendo: lutoque signum Regium impressisse. Alexander verò comprehensos Magos custodes sepulcri torsit. At hi in tormentis neque ex suis neque ex aliis indicarunt quenquam, neque aliter vllò pacto comprehensum est, facti istius ipsos esse conscios. Et ideo sunt ab Alexandro dimissi liberi.



XENOPHONTIS VECTI-
GALIA SEV DE FRV.
CTIBVS.



Ego in statuendo hoc persevero: Quales principes sint, tales existere Respublicas. Quod verò ex iis quidam, penes quos principatus esset Athenis, dicerent: Sese nihilo minus quàm alterum mortalium quenquam, iusti cognitionem habere, sed eo, vt minus iusti essent erga ciuitates; adigi se perhibuerunt paupertate multitudinis: Ideo considerationem in manus sumsi: possètne ciuibus ex ipsorum solo id quod iustissimum esset, victus suppetere. Hoc si fieret, simul ita paupertati illorum succursum, & suspiciones aliorum Græcorum amotas esse statuens. Atque mihi considerati ea, quæ in mentem venerant, hoc quidem statim apparuit: Hoc solum id esse, quod plurimos fructus possit reddere. Vt autem cognoscatur principio verè istud à me dici, regionis seu terræ Atticæ naturam enarrabo. Quod sanè anni tēpore in hac quàm placidissima sint, testantur ea ipsa, quæ ibi nascuntur. Itaque quæ multis alijs in locis ne frōdescere quidem possunt, ea hīc ferunt fructus. Vt autem solum, sic ad regionē mare pertinens omnium est fertilissimum. Quin etiam, quæ suis temporibus bona diuinitus exhibentur, ea cuncta hīc & prima proueniunt, & vltima desinunt. Neque solum regio ista potior est iis, quæ singulis annis vigent atque senescūt, sed habet bona quoque perennia in quibus natura est saxi, illiusque magna copia: ad pulcerrimorum fanorum altariumque, & simulacrorum pulcetti

cerrima opera. indigētque eo multi tā Græci quàm barbari. Solum eiusmodi est, quod fatu fructū non ferat, sed fodiendo multò plures alat, quàm si frumentum ferret. Atque subesse huic argentum diuino, quodam fato euidens est. Cùm enim multæ vicinæ vrbes incolantur terra ac mari, in nullam harum vel paruula vena telluris argentiferæ, peruenit. Neque etiam rationis expers opinio alicuius sit: habitari urbem istam in medio ferme Græciæ; immo totius orbis terrarum. Quanto enim longiùs aliqui ab hac distent, tanto magis grauibus ac molestis frigoribus & caloribus occurrunt. Quicumque sanè voluerint ab vnis Græciæ finibus ad alteros peruenire, ij cuncti tanquam circuli vmbilicum præternauigant aut prætereunt Athenas. Ac quamvis non circumfluat aquis, tamen haud secus atque insula, quibuscunque ventis & appor- rat quæ desiderat, & quæ vult ablegat, duplici enim mari alluitur. Cùmque sit terra continens, multa quoque fora admittit terra. Præterea multis ciuitatibus accollæ barbari negotia facessunt. Atheniēses autem eos habent vicinos, qui ipsi quoque longissimè à barbaris distant. Horū sanè omnium causam dari ab ipsa regione statuo. Quid verò si accedat ad ipsius naturæ bona incolarum quoque primùm cura? Qui mihi quidem præclarissimus fructus videtur: cùm ipsi quærentes sibi victum, & ciuitates multis commodis augentes, non accipiunt mercedem, sed pendunt incolarum quoddam tributum. Cura autem illorum hæc, meo iudicio, suffecerit: Si demantur ea, quæ cùm nihil vtilitatis afferant ciuitati, infamiam incolis videntur inurere. Si item dematur societas militiæ legionariæ incolarum cum ciuibus. Magnum enim periculum est ipsum certamen. Magnum est hoc quoque, à liberis & domibus abscedere. Quin ipsa ciuitas quoque ex hoc aliquid commoditatis perceptura sit, si ciues ipsi secum militando coniungantur, magis quàm si in ordinibus vnà cum ipsis sint Lydi & Phryges & Syrii, & alij vndique aduenæ barbari. Magna enim incolarum ex his

pars est. Ad hoc bonum, liberari istos societate ordinum in exercitu, etiam ornamentum accesserit ciuitati: si existimentur Athenienses plus sibi confidere committendis præliis, quam alienigenis. Mea quoque fert opinio, si comunicemus cum incolis quæ comunicari honestum est, cum alia, tum rem equestrem, simul hoc nos consecuturos, ut illos magis beneuolos habeamus, simul speciem ciuitatis potētioris maiorisque exhibituros esse. Iam quia multa ædium spatia deserta sunt intra moenia & vacuæ areæ, si publicè cōcedatur, ut ædificia extructa possideāt, quicūque hoc petentes digni esse videantur. Hanc etiam ob causam arbitror fore, ut plures atque præstantiores appetant habitationis Atheniensis usum. Quod si magistratus constituitur custos quidam incolarum, sicut custos pupillorum est, & præmium iis propositum sit, quorum opera quàm plurimi incolæ extiterint: & eo ipso beneuolētia incolarum augetur, & est verissimile, omnes nullius alterius ciuitatis compotes cum appetituros incolarum Atheniensium communitatem, tum vectigalia aucturos esse. Nunc deinde dicam, quàm sit ad fora atque mercaturas iucundissima ac quæstuosissima ista ciuitas. Primùm enim nauis præclarissimos atque tutissimos habet receptus, siquidem ibi appulso iucundè licet tempestatis causā acquiescere. Iam verò in cæteris ciuitatibus aliquibus onera oneribus commutare necesse est (quòd numo foris illæ inuili utantur) Athenis autem cum plurima exportare cōceditur, quibus est hominibus opus, tum si onera commutare nolint, qui argentum exportant, ij præclaras exportant merces. Vbicunque enim hoc vendant, lucri aliquid ultra sortem faciunt. Quod si ædili, id est mercaturæ magistratui præmia quoque aliquis proponat, quæ accipiat si quàm iustissimè & celerrimè controuersias dirimat, ne qui nauigando discedere uolent, hoc facere prohibeantur: hanc quoque ob causam plures libentiùs mercaturam facturi sint. Honestum & bonum erit hoc quoque: honore prioris loci afficere mercato

catores & naucleros, & interdum hospites inuitate eos, qui memorabilibus nauigiis atque mercibus ciuitati prodesse videantur. Huiusmodi enim honores si illis habeantur, non emolumentum solum, sed honoris quoque gratia ad amicos festinaturi sunt. Quò plures quidem incolæ & aduenæ fuerint, eò nimirum plura & apportabuntur & exportabuntur, & ablegabuntur & venibunt, & mercedibus acquiruntur, & integros fructus afferent. Ad hæc sanè vectigalium incrementa nullis sumptibus impensis, sed humanitate decretorum & diligētia opus est. Qui autem alij fructus euenire posse mihi videntur, eos adiumenta intelligo desideraturos esse. Non tamen mala in spe sum, quin ad hos libenter ciues cōtributuri sint: animo versans quàm multum contribuere ciuitas quando Arcadibus auxilia misit ductore Lysistrato, quàm multa item Hegesilao. Scio & triremes ablegasse nos, effectas illas quoque magno impendio. Quorum alterius euentus inexploratus est melior ne an deterior existat: de altero perspicuum est, nihil recepturos esse eorum, quæ aliqui contribuere, neque fore participes eius quod contributum est. Nemo autem tam honestas facultates parauerit vllas, quàm si ad has aliquid adiumenti impendendo allatum sit. Qui sanè decem minas contribuere, ei acquiritur propemodū nauticum fœnus, quinta parte amplius accipienti diebus singulis tres obolos, id est dimidium denarij. Qui verò quinque minas, ei euenit plus quàm tertia parte amplius. Maxima autem Atheniensem pars plura accipient toto anno quàm quantum contribuere. Qui enim minam antè impēderit, is propè duarum fructum habiturus est, idque in vrbe, qui fructus in rebus humanis existimantur esse tutissimi maximèque diuturni. Atque ego in ea sum opinione, si hoc nomine perscriptum tum iri cōstet beneficis ad omnē posteritatem, complures externos aliquid contribuere esse: nec non ciuitates totas illius perscriptionis appetitu. Reges etiam aliquos & Tyrannos & Satrapas spero futurum vt

desiderium capiat participandi gratiam istam. Postquam
 verò adiuventum contigerit: honestum tunc & bonum
 fuerit diuersoria ædificari alia adhuc ad portus similiter
 & mercatoribus in emtioni venditionique opportunis
 locis, itémque publica diuersoria aduētantibus. Quòd si
 forensibus quoque habitationes ac tabernæ parētur tam
 in Piræo quàm vrbe, simul ornamento hoc ciuitati, simul
 futurum sit, vt multum inde fructus percipiatur. Profutu-
 rû esse istud quoque mihi videtur: experiri an possimus,
 quemadmodum habet ciuitas triremes publicas, ita one-
 rarias quoque naues publicas parare, & eas mercede elo-
 care acceptis sponsoribus, sicut cætera publica. id enim si
 effici posse videatur, multum fructus inde liceat percipe-
 re. Meralla certè argenti, si exerceantur debita ratione,
 perquam multum statuo pecuniarum ex iis, absque etiam
 aliis fructibus accessurum esse. Atque volo ignorantibus
 quanta vis ac facultas illorum sit, enarrare. Hac enim co-
 gnita, quo pacto vti ipsis oporteat, melius consultaueritis.
 Sanè esse operû labores antiquos, nemini est obscurum.
 Neque enim quisquam vel conatur indicare, ex quo tē-
 pore in manus res sumta sit. Cùm autem ab antiquo adedò
 fodiatur & egeratur terra seu arena argentifera, conside-
 rate quãta pars sint accruui eiectione vltro nascentium subar-
 genteorum collium. Quin etiam argenti feracem locum
 haud fieri contrahendò minorem, sed amplius semper
 extendi, perspicuum est. Atque quo tempore plurimi in
 his homines versati sunt, nulli vnquam operis copia de-
 fuit, ac opera semper hæc facientes superarunt. Nunc quo-
 que ex iis qui habent mancipia in metallis, nemo mul-
 titudinem minuit, sed adiungit prioribus alios quàm po-
 test plurimos. Etenim quando pauci fodiunt ac quærunt,
 pauca etiam, vt opinor, pecuniæ inueniuntur, quando ve-
 rò multi, multiplex item argenti arena apparet. Itaque in
 solo hoc omnium, quæ mihi nota sunt, opere, nemo quis-
 quã inuidet augentibus apparatus. Præterea, qui agros
 possidēt, ij dicere possint omnes, quàm multa iuga fundò
 suffi

sufficiant & quàm multæ operæ. Quòd si quis amplius, quàm satis est, ingerat, detrimentum hoc putant. In argentifodinæ verò operibus omnes desiderare sese operas affirmât. Non accidit autem idem, quod in copia eorum qui excusores vocântur. quando enim vilia opera illorum sunt, officinæ istæ euertûtur, similiterque & ferrariorum. Itémque vbi multum frumenti & vini creuerit, in fructuû vilitate, agriculturæ solent esse inutiles, itaque tunc multi posthabita terræ cultura, ad mercaturas & cauponæ quæstus, & scenerationes conuertuntur. Arena verò argentifera, quo copiosior apparet, quòque plus argenti conficitur, eo plures ad istud opus accedunt. Et supellectilè enim vbi satis amplam aliquis parauit domi suæ, nõ admodum emendo illam augere solent: Argenti autem tam multum nemo parauit vnquam, vt non desideraret quod adiceret. Immo cum obtigit ingens aliquibus copia, eo quod abundat defosso, nihilo minus voluptatem capiunt, quàm si illo vterentur. Atque fortunato ciuitatum statu vehementer etiam homines argentum requirunt. Viri enim in præclara arma, & strenuos equos, in domos & extructiones magnificas sumtus impendere volunt. At mulieres vertuntur ad vestes preciosas & mundum aureum. Ipsæ ciuitates, cum morbi infesti sunt, aut frugum in sterilitate est penuria, aut bellis maximè solo inculto, pecunia indigêt tam ad res necessarias quàm ad auxilia. Quod si quis dicat: non minus vtilitatis esse in auro quàm argento: equidem non refragor. Id tamen noui, ipsum aurum in perspicua copia minus in precio esse, & fieri vt magis preciosum sit argentû. Hæc ideo explicui, vt confidenter quàm plurimos ad argentifodinas adducamus, nec non in his confidenter apparatus operam demus, quod neque arena argentifera defectura, neque in nullo precio argentum futurum sit vnquam. Idque ipsa ciuitas priùs me videtur mihi perspexisse. Facit enim operis in metallis potestatem volentibus externis, æqualibus pensionibus. Vt autem de victu magis planè verba faciã, nunc

commemorabo, quo pacto apparatus argentifodinæ, maximè profuturæ sint ciuitati. Atque de iis, quæ ego dicturus sum, non postulo ut me aliquis admiretur, tanquam inuentorem rei inuentu difficilis. Partim enim omnes ea quæ sum dicturus nunc ad eò cernimus, præterita autem pariter liceat audiendo cognoscere. Id verò admiratione admodum dignū fuerit, ciuitatem nostram sentientem multos priuatos ex sese diuitiis auctos, non esse eos imitatam. Iam pridem enim nos quibus hoc curæ fuit, audiimus: Niciam Nicirati filium aliquando habuisse in merallis homines mille, quos hic elocauit Sofiæ Thraci, ut pensitaret singulis diebus obolum immunem, pro singulis. Numerum autem illum ipse integrum semper præstabat. Habuit & Hipponicus mancipia sexcenta, eodem modo elocata, quæ afferebant vnoquoque die integram minam, Philemonidi autem sua trecēta minæ dimidium: aliis verò, mea quidem opinione, sicut facultates tulerūt. Quid verò opus est commemoratis antiquis? cū hoc ad eò tempore multi ita homines sint in argentifodinis elocati. Atque hæc si, quemadmodum narro, perficiatur, in hoc tātū noui aliquid futurum sit: Si, ut priuati comparatis mancipiis perennem fructum acquisuerunt, sic ciuitas publicè mancipia paret, quoad singulis Atheniensibus trium vsus contingat. An autem ea dicantur, quæ fieri possint, qui volet singulatim considerando diiudicet. Nunquid autem perspicuum est, facilius posse precia hominum à Republica quàm priuatis parari? Cōsilio omnino publico magis est in promptu & præconium curare faciendum de mancipiis adducendis, & emere adducta. Postquam autē emta illa fuerint, quid est cur non cōducere à Republica aliquis ea, quàm à priuato malit, eadem habiturus cōditione: Cōducunt & lucos, & fana, & ædes, & vectigalia à ciuitate. Ut autem emtæ res saluæ sint, licet sponsores à conducentibus accipiatur, sicut ab emtoribus vectigalium. Quin etiam fraudare facilius est emtori vectigalis, quàm cōductori mancipiorum. Nam quo pacto

paçto deprehendere aliquis possit argentum publicum exportantem, cùm sit huic simile priuatum? Mancipia verò signo publico consignata, & constituta pœna siue exportetur siue vendantur, quomodo cœlari ab aliquo possint? Quocirca hætenus quidem fieri posse videatur, vt in ciuitate istud hominum genus sit, & partum conseruetur. Quod si etiam hoc alicui in mentem venit: Si multæ sint operæ, vereri vt multi item existant conductores, is ob istam cogitationem bonum animû habeat. Nam & multi iam rebus paratis, publicas alias operas conducent: magna enim est facultatum rerûmque copia: & multi sunt, qui in ipsis operibus senescunt, & multi ex cæteris Atheniensibus simul atque externis, qui corpore & nolint & nequeant operis aliquid facere, cùm animi curam intendant, libenter ita necessarias res acquisuerint. Sanè si primum mancipia congregentur mille ducenta, verisimile est fore, vt in ciuitate de ipso fructu, annis quinque aut sex, non pauciora existât sexies mille. Ex hoc numero, si obulum immunem seu integrum singula indies afferant, erunt fructus annui talêta sexaginta. Hinc si in alia mancipia impendantur viginti talenta, licet reliquis quadraginta vtatur ciuitas ad quicquid opus fuerit. Quod si expletus numerus fuerit ad decem milia, erunt tunc fructus talenta centum. Admitti autem his multo etiam plura, testes mihi esse poterunt, qui meminere, quanta classis mancipiorum inuenta sit ante negocia Decelica. Testatur & hoc: Quod, cùm toto tempore præterito innumeri mortales opus fecerint in argentifodinis, nihil interest hodierno die inter has, & eas de quibus maiores nostri fecere mentionē. Et quæ modò fiunt, ea cuncta testatur: Nunquam plura ibi futura esse mancipia, atque argentifodinæ requirunt. Fodientes enim neque altitudinis terminum, neque cuniculum inueniunt. Nihilo etiam minus nouum opus facere nûc licet, quàm priûs. Non igitur dicere, qui sciat, vllus possit, vtrum in partibus concisis an non concisis maior sit argentiferæ arenæ copia. Cur

igitur, inquit aliquis, non hoc etiam tempore sicut antea, multi nouum opus faciunt? Quia sint metallici iam pauperiores, & apparatus recentes. Et periculosa est noui operis tentatio. Nam qui boni operis exercitationem inuenit, is diues euadit. Qui non inuenit, omnes huic impensis sumtus pereunt. Hoc itaque periculum hæc ætas non admodum sanè adire vult. Ego tamen me existimo habere, quid cõsiliij dem de hoc etiam, vt quàm tutissimè nouũ opus fiat. Sunt enim nimirũ Atheniensiu tribus x. Si iam ciuitas tribuat singulis totidem mancipia, atque illæ cõsociata fortuna opus nouum faciant, ita vnus inuentũ utilitatem exhibiturũ sit vniuersis. Sin duæ, tres, quatuor, aut dimidium illarum aliquid inueniant, maiorem utilitatem scilicet opera attulerint. Frustrari autem euentũ omnes, non habet vllum præteriti temporis exemplum. Atque isto modo liceat priuatos quoque consociando fortunã, ita tutius periclitari. Neque sanè metuendum est, ne vel Respublica isto apparatu offendat priuatos, vel priuati Rempublicam. Sed quemadmodũ socij quò plures conuenerint, eò firmiores seipsos efficiunt, ita in argentifodinis quoque, quò plures opus fecerint, eò plus bohi inuenient ac ferent. Exposui quo pacto ducam ciuitatis apparatus tantum victus conficere posse è publico, quantum satis sit Atheniensibus cunctis. Quod si qui ratiocinando, multis vndique ad omnia hæc adiumentis opus fore, non posse satis magnam pecuniæ summam contribui arbitratur: ne hoc quidem pacto illi tristi animo sunt. Non enim sic res sese habet, vt nisi simul ista omnia efficiantur, nihil in eis utilitatis insit. Immo quantumcunque ædificatum domorum aut nauium, mancipiorumque emtum fuerit, id statim in aliqua utilitate versabitur. Quin etiam ita magis conducit quoque particulatim agi, quàm cuncta simul. Nam confertæ etiam ædificando extructiones sumtibus illæ quidem, sed nõ bonitate itidem exuperat particulatim elaboratas. Mancipia verò si quæramus vndique quàm plurima, emtionis deteriorũ cum
pre

precio maiore imponetur necessitas. Pro facultatibus autem rem exequendo, consideratione bona administrata iterum experiri liceat, & abstinere ab iis in quibus peccatum fuerit. Iam si cuncta simul efficiantur, ita nos oportebit copiam acquirere vniuersam. Sin alia exequamur statim, alia in futurum differamus, ij fructus, qui in medio sunt, necessaria ipsi comparauerint. Quod autem maxime omnibus pertimescendum esse videatur, ne, si nimis multa mancipia sint penes ciuitatem, ipsa opera supprimantur: etiam hoc metu liberari liceat: si non plures homines, quam ipsa opera postulāt, singulis annis applicuerimus. Mihi sanè ita videtur, vt facillimè sic optimè ista agere. Si verò censetis, propter tributa pensitata bello isto, nihil quicquam posse contribui. At vos, quantum vectigalia ante factam pacem, reddebant, eo administrate ciuitatem anno proximo, quæ autem amplius illa reddent, propterea quòd iam pax sit, & quòd cura suscepta incolarum atque mercatorum, cùmque pluribus hominibus conuenientibus, plura importentur & exportentur, & quia fora ad portum erūt maiora: iis perceptis sic vos parate, vt quàm plurimi fructus eueniant. Iam si qui verentur, ne inanis iste apparatus sit, bello fortè commoto: veniat vobis in mentem: Si ista efficiantur, magis esse bellum pertimescendum inferentibus, quàm ciuitati. Quæ nam res enim ad bellum vtilior, quàm homines? Hi verò ad multas naues Reipublicæ explendas suffecerint. Multi quoque Reipublicæ pedites, graues esse hostibus possint, si quis illorum curam suscipiat. Mea etiã ratio fert, quamuis bellum oriatur, fieri tamen posse, vt ne relinquantur quidem argentifodinæ. Est enim scilicet apud metalla munitio in Anaphlysto ad meridiem. Est & ad septentrionem in Thoryco. Hæ inter se distant circiter octo m. pass. Si igitur in harum medio extruatur tertium castellum, in maximè arduo saltus loco, ita coierint opera in vnam ex vniuersis munitioem, & motus bellici sensus si capiatur, breue spacium habiturus sit vnusquisque ad

tutum receptum. Quòd si hostium magna multitudo adueniat, hi scilicet frumenta, vinum, pecudes foris reper-
 tas abstulerint : argentea verò potiti arena, quemnam ea
 vsum habitura alium sit, quàm lapides? Quam etiam ho-
 stes in metalla impressionem facturi esse videãtur? Distat
 enim à metallis vrbs Megara multò longiùs passuum mi-
 libus L X I I. Distat & secúndum hanc proxima vrbs The-
 bæ multò longiùs L X X V. Sique illinc ad argentifodinas
 aliquando proficiscantur, vrbem ipsam prætereant, oportet.
 Quod si pauci fuerint, credibile est perimi ipsos posse
 & ab equitibus, & à Peripolis. Magnis quidẽ viribus pro-
 cedere desertis suæ terræ locis, graue eis fuerit : cùm vrbs
 Atheniensium ipsorum vrbibus propinquior futura sit,
 quàm ipsi, qui ad Metalla accesserint. Sed aduenerint fa-
 nè. Quo pacto verò permanserint, non suppetentibus re-
 bus necessariis? pabulãdo certè eas si velint acquirere co-
 piarum parte aliqua, tam exeuntes ipsi atque petentes,
 quàm ea de quibus contendetur, in periculum venerint:
 Sin exeant atque petant vniuersi, ita fiet, vt ipsi obsideri
 magis quàm obsidere videantur. Itaque illa, quæ de man-
 cipiis contribuẽtur, non solùm victum ciuitatis auxerint,
 sed cùm multitudo hominũ ad metalla cõgregetur, itẽm-
 que de fori ibidem incremento, nec non circum argenti-
 fodinas extructis ædificiis, & de fornacibus, aliisq̃ cun-
 ctis, multi reddentur fructus. Ipsa quoque vrbs ab isto ap-
 paratu valde abundabit multitudine hominum. Et fundi
 qui possidebũtur illis in locis, nihilo minoris fient, quàm
 qui vicini sunt vrbi. Atque iis, quæ commemoravi pera-
 ctis, affirmo ego nõ modò pecuniis copiosiore fore ci-
 uitatem, sed ad faciendum quoque imperata obcœdiẽtio-
 rem, & studiosiorem ordinis, & ad bella magis meliùsque
 paratam. Nam qui sese exercere iussi fuerint, multò in
 exercitationibus futuri sunt diligentiores, si victus suppe-
 ditet, magis certè quàm in exercitatione decursionis cũ
 facibus. Et quibus custodiæ in castellis mandatæ erunt,
 & qui cœtras gestare & obire regionem debebunt, omnia
 scili

scilicet ægerint attentius in singulis rebus, si victus præbeatur. Quòd si euidēs videtur esse, ad hoc vt omnes fructus ciuitatis reddātur, opus esse pace: Nunquid par fuerit etiam cōstitui quosdam pacis custodes? Creatus enim magistratus iste efficiet, vt omnes mortales libentius frequentiusque in nostram urbem venire velint. Si quorum autem ea est sententia: ciuitatem in perpetua pace impotentiorē & in minùs bona existimatione minùsque nobilem in terra Græcia futuram, etiam istorum meo iudicio, dissentanea est consideratio. felicissimæ enim nimirum perhibentur ex ciuitates, quæ quàm lōgissimo tempore in pace permanferint. Athenarum autem ea est natura, vt omnium maximè ciuitatum in pace illæ crescant. Nam dum quies huic ciuitati contingit, quibusnam aliis non opus est huius adiumento? vt à naucleris & mercatoribus ordiamur. Nonne & frumento abundantes, & quibus tam copia est vini quàm suauitas? Quid verò oleo, quid pecore abundantes, quid animi calliditate & pecuniis negotiandi facultate præditi? Addantur his opifices, Sophistæ, Philosophi, Poëtæ, & horum tractantes opera, & qui desiderio tenentur spectatu auditūque dignorum sacrorum ac ceremoniarum. Iam quibus multis celeriter venditis aut emtis opus est, nunquid harum Athenis magis quàm alibi compotes futuri sint? Contra ista si dicit nemo, Sed sunt, qui principatum ciuitati volentes recuperare, bello hunc potius quàm pace obtineri posse ducunt: considerent isti primùm res Medicas: vtrum tunc vim faciendo, an conferendis beneficiis in Græcos, id consecuti simus, vt principatum haberemus classis itémque quæsturam publicæ pecuniæ Græcorum. Postea cùm præsidēdo ciuitas nimis sæua videretur, & imperio spoliaretur, nunquid eo etiam tempore abstinendo iniuriis, denuo ab insularis ipsorum spōte classi fuimus præfecti? Iam benefaciendo Thebanis, principatum tenuerunt, ipsis tribuentibus, Athenienses. Quin etiam Lacedæmonij non vi à nobis coacti, sed beneficiis affecti, permisere

Atheniensibus: constitueret de principatu, quod ipsi vel-
 lent. Nunc vero rebus in Græcia sic perturbatis, casus ita
 ferre mihi videtur, ut ciuitas rursus suos facere Græcos
 possit. Experiri enim licet, an bella inter aliquas ciuitates
 orta dirimere concedatur, itemque in his dissidentes re-
 conciliare. Si etiam manifestum fiat, vobis curæ esse, ut
 templum Delphicum sui iuris arbitriique sit, quemad-
 modum prius fuit, fugientibus belli societatem, ac per
 Græciam legatos dimittentibus, equidem non esse mi-
 randum opinor, si Græcos cunctos assumatis ad hoc sen-
 tentia, iureiurando, belli societate cōiunctos, qui relictum
 à Phocensibus templum illud occupare conati fuerunt.
 Quod si cura etiam diligentiae vestrae, ut terrâ marique
 pax sit, manifesta fiat: omnes profecto, quemadmodum
 ego quidem opinor, vota facient, ut post suas quorumque
 patrias, maximè sint Athenæ saluæ atque incolumes. Si
 quis autem adhuc bellum esse ad pecunias pace quaestuo-
 sius statuit: equidem quomodo res melius diiudicari possit
 nescio, quàm si quis consideret præteritorum in ciuitate
 euentus. Inueniet enim ille, olim in pace magnam admo-
 dum pecuniarum copiam in ciuitatem illatam esse, & in
 bello eandem absumentas penitus. Considerando item ani-
 maduerter, hoc etiam tempore, propter bellum complu-
 res fructus defecisse, & redditos in multa atque varia pe-
 nitus absumentos esse. Pace autem maritima facta, & fru-
 ctus auctos, & his vtendi arbitrio ipsarum ciuibus copiam
 datam esse. Quod si quis me interroget: Tunc cum eo
 etiam pacem seruandam ais? qui vim & iniuriam afferat
 ciuitati. Haud equidem dixerò. Sed hoc potius perhibeo:
 multò citiùs de talibus supplicium sumturos nos, si eos
 præstemus, qui vim & iniuriam faciant nemini. Ira enim
 aduersarij nullum habituri sint belli socium. Quapropter, si
 quidem eorum, quæ commemorata sunt, nihil est, quod
 aut effici nequeat, aut difficile sit, & ista si agantur, amici-
 tiam nostram Græci magis appetituri sint, nosque magis
 in tuto magisque in laude futuri, itemque victus copia
 euen

euētura populo, liberis etiam diuitibus ab onere impendiorum in bella: Nosque in multiplice abundantia magnificētius, quàm modò festos dies celebrare poterimus, & templa reficere, & mœnia atque naualia instaurare: sacerdotibusque, & publico consilio, & magistratibus, & equitibus, patriæ iura restituere. Hæc, inquam, ad istum modum cùm sese habeant: cur indignum putetur, eis quàm primum manus admouere? vt nostra adhuc ætate secura felicitate vtentem ciuitatem aspiciamus. Sanè hæc agi vobis si placeat: suaferim ego, vt missis aliquibus tam Dodonā quàm Delphos, sciscitemini. ex Diis: Satiusne sit atque melius, ita rem ciuitatis apparari, cùm in præsentia, tum in posterum. Atque hæc illis approbantibus, sciscitari præterea censuerim tunc oportere: Quorum Deorum auxilio impetrato, ista quàm præclarissimè & optimè peregerimus. Et de quibus Diis responsum fuerit, iis sacrificiâdo placatis, ita rem ordiri. Quæ enim propitio numine diuino agentur, eas actiones ad potiorem melioremque exitum semper ciuitati euasuras esse, veri est simile.

NOTATA QVÆDAM, ET INTERPRETATIONIS ALI-
cubi explicatæ causæ.

PRIMA prou. & vlt. des. 392. 26. *ἡφοικαίλατα & ἡφούλατα. Quæ nascuntur, & crescunt quasi matutino anni tempore, & veluti serotino intercidunt.*
Fodiendo. 393. 3. *ὀρυσομένην. Sive ita argentifodi-
na rātum indicantur, sive etiam cultura τοῦ οὐδάωτεν, quæ alia
est quàm arationis.*
Circuli vmbil. 393. 13. *κύκλου τόπον. Vocarunt enim τόπον
insertum dignum reditura iis quæ tornantur. Et Theognis.*

τόρου καὶ τὰ θύμης καὶ γνάμονος ἀνδρα γέωρον
 ἐυχύτερον χρὴ μιν, κύνε, Φυλασσέμεται.

Quid verò si acc. 393. 22. εἶδ' ἑσπὸς τοῖς αὐτοφ. Si integra
 & emendata huius loci scriptura est, figura & hac erit Attice
 ἑλλείψως, siue τοῦ ἀναποδοῦτου σχήματος. μέτοικοι autem, quos
 interpretamur incolas, externi erant qui Athenas commigra-
 rant, ubi non illi quidem ciues, sed tamen pro ciuibus erant, cer-
 tis quibusdam conditionibus.

Ipsum certamen. 393. 31. Cùm quid esset ἀπὸν, quod in edi-
 tis libris extat, non possem decernere, ausus fui suspicari fortasse
 ἀπὸν posse reponi qua tamen ipsa suspicio nescio quomodo minus
 mihi arridet.

Adiumenta. 395. 22. ἀφορμὴ ὀμνίω id est, quo ut actio aut
 res aliqua procedat instruimur, ut quasi preparatio quadam ista
 sit. Nos adiumenti nomine iam utendum duximus.

Nauticū fœnus. 395. 24. ναυτικὸν σχεδὸν ἐπίπεμpton. Non
 dubium mihi est, quin de fœnore hæ accipienda sint. Nominatur
 autem fœnus ἐχέιον in Demosthenis oratione in Phormionē, quod
 esset ἑφοκτον. ut maritimum seu nauticum ἐπίπεμpton fuisse ma-
 ius appareat. Non habet autem istud tributum minarum x. pre-
 cisè τὸ ἐπίπεμpton, cùm quinque minarum tributum superet
 τὸ ἐπίτριτον: desuntque illic drachmæ 80. hic supersunt 55. fuisse
 autem μισθὸν διχρετικὸν, Athenis triobolum, id est dimidium de-
 narij seu drachmæ, notum est.

Excusores. 397. 5. χαλκίωπικὴν excusoriam Fabius est inter-
 pretatus, ut χαλκιστύποι & χαλκῆς excusores perhiberi possint:
 ἀξία autem, quæ parvi precij id est vilia essent, Attici vocant.
 Aristoph. οὐπῶποτ' ἀφύας εἶδον ἀξιοτέρας: Et Lucianus: σκάρους
 παμμεγέθεις ἀξίου ὠνούμενοι.

Æqualib. pensionib. 397. 33. ἕω ἰσοτελεία. Significat no-
 men etiam iuris æqualitatem, ut ἑλληνικῶν. B. καὶ εἰ ξῆνοι εἶεν ἰσοτέ-
 λειαι ἴσταται.

Sua trecenta minæ dim. 398. 16. Φιλμμονίδη δὲ τριακόσια
 ἡμίμοια. Vt enim illa sexcēta integram minam, sic dimidium il-
 lorum hæ trecenta attingere scilicet dimidium, id est ἡμίμοια.

Conductores. 399. 8. μισθῶσαι est elocare, μισθῶσαι δὲ
 conduce

conducere. Sicut πορίζειν præbere, πορίζεσθαι parare

Classis μάκ. 399. 25. ὅσοντο τέλος εὕρισκε τῶν ἀνδρ. αὐτῆ δη-
λοῦσι ἢ πόλις. Vel, quantum vectigalis partum sit ex mancipiis.

Neque sanè meruendum est. 400. 17. μηδένοι τοῦτο φο-
βεῖσθαι. ἐλλειπτικῶς, ut desit δέ. nisi aliquis malit, φοβείσθαι.

Sed non bonitate itè. 400. 34. quasi scriberetur: ἔχ' ἄλλιον,
ita sumus hunc locū interpretati. Et mox: iterū experiri liceat.

401. 3. manifestariū est mendū in libris vulgatis. Nos ὠνοίμεθα
aut ποιοίμεθα, non abhorreere aliquem à veritate scripturæ autoris
putauimus, cum quidem argutissimè coniecisse videatur Henricus
Stephanus, de verbo μιμοίμεθα.

Supprimātur. 401. 9. ὑπεργεμισθῆ. nimia copia oneretur. Vt
quādo complendo superatur mensura. Et mox: ante factam pa-
cē. ead. 15. πρὸ τῆς εἰρήνης. Vel, ante memoratam contributionem.
πρὸ τῆς εἰρημένης, scilicet εἰσφορᾶς.

Veneiat vobis in mentem. 401. 23. ἐννοήσατε. Vt enim in
suasoria oratione sunt hoc in libro compellationes frequentes.

Anaphlysto. 401. 31. ἀνάφυτος δῆμος τῆς ἀντιόχιδος φυ-
λῆς, ἔ' ἰόρυκος τῆς ἀχαμαντίδος. Duo populi duarum tribuum
Athenis, Antiochidis ἔ' Acamantidis.

A peripolis. 402. 11. Græcū nomen retinuimus, quòd quomo-
do Latine rem peculiarè Attica ciuitatis interpretaremur, nō ve-
niret mihi in mentem. Erāt autem περίπολοι adolescētes, qui pri-
mūm armis sūntis iubeantur regionem Atticam custodia gratia
obire. Vfus est in Auibus nomine Aristophanes quoque: Et verbo
mox autor, περιπολεῖν, id est obire seu circumire. Erant autē etiam
publicè φοροῦντες, in locis munitis, sicut Chærea in Piræo, de quibus
ἔ' ipsis paulo post mentio fit.

Decursionis cum facib. 402. 34. ἐν ταῖς λαμπράσι γυμνα-
σιάρχουμένοι. Huius in Ceramico sit mētio in Ranis Aristophanis.
Appellaruntque hunc ἀγῶνα λαμπαδούχων, tradente in cursu uno
facem alteri.

Dissentanea. 403. 10. Quod in vulgatis libris extat, nihil
est. Nos commentū quiddam sumus, quasi scriberetur, παρὰ μέ-
λος, fortasse παρὰ μέλος ipsum quoque, sed nihil aliud excogitare
potuimus.

Sacrorum ac ceremoniarū. 403. 23. ἱερῶν ἢ ὄσιων. *Omnino sunt iera sacra seu sacrificia. oĩa autē quæ ad pietatis & religionis cultum pertinet, in quibus ceremonia à Latinis appellata eminet.*

Quæsturā publicæ pec. 403. 30. *Græc. ἐλλήνοταμίαις. Hic primū magistratus Athenis cōstitutus fuit post bellum Medicū, quemadmodum scripsit Thucydides libro primo.*

XENOPHONTIS LIBEL- LVS DE RE EQVESTRI.



VIA, cū ita acciderit longo vt tempore in re equestri versaremur, aliquē vsum nos illius habere existimamus: visum est adoleſcētibus amicis nostris rationē exponere, quam secutos illos optimos equites euasuros esse arbitramur. Extant quidem Simonis quoque de re equestriſ cripta, à quo etiā æneus equus Athenis in Eleusinio positus est, & in basi cælata opera & facta ipsius. Cuius cum sententia quòd quibusdam in rebus nostram fortè conuenire animaduertissemus, non ideo omittere neque inducere hac in parte scripturam voluimus, ac potius eo studiosius persecuti sumus: quòd speraremus maiorem fidē inuentura ea esse, quæ tradidisset similiter & ille rei equestriſ peritus habitus. Si qua verò hic prætermisit, nos explicare conabimur. Ac primū ostēdemus, quid contra venditorum fraudes sit obseruandum. Nam equi nondum domiti corpus modò diligenter explorandum est, quòd animi haud satis claras significationes dare solet equus, qui nondum conscenditur. Sed in corpore prima erit pedum consideratio. Vt enim, quamuis bene superioribus sui partibus ædificata domus, si non subiecta sint conuenientia fundamenta, nulli vsui fuerit, ita & bella

& bellator equus nulli vsui fuerit, si maximè omnibus aliis dotibus, cum malis tamen pedibus, abundet, talis enim nullis suis dotibus uti possit. In explorandis igitur pedibus primùm vngula consideranda. Spissa enim ad pedum bonitatem longè differt à tenui. Deinde cognoscendum vtrum vngulæ sint arduæ, an tam priore parte quàm posteriore depressæ siue humiles. Nam arduæ supra altiùs à solo testudinem, quam vocant, latam habent, at depressæ sic gradiuntur, pedis ut molliores & duriores partes æquabiliter fulciant incessum, ut fit in hominibus quoque, quorum crura distorta sunt, qui valgi vocantur. Rectè etiam Simon scripsit sonitu deprehendi pedum bonitatem. Non secus enim ardua vngula quàm cymbalum resonat. Ac nos hinc orsi, nunc deinde ad reliquas partes superiores corporis veniamus. Ossa quæ sunt supra vngulam infra talos, qua parte, ut in caninis pedibus calculus subest, *κωίπιδας* dixere, neque erunt procera, ut caprarum. cum enim succussatione equitem affligunt, tum ipsa facilè crura huiusmodi inflammantur, neque verò depressa, sic enim deglubi isti & exulcerari calli solent, seu per glebas siue per lapides agatur equus. Crurum ossa sint spissa. Hæc enim sunt corporis totius stabilimentà, sed spissitudo non erit venarum neque carniùm, nam hoc pacto cum per aspera agitur equus impleri hæc sanguine necesse est, & existere nodos, inflarique crura, & cutè rescindi, qua laxata sæpe commissuræ discedunt, & equus claudicat. Genua si pullus lubrico flexu moueat ingrediens, coniecturam ex hoc facere possis in equitatione crura similiter lubricum motum habitura esse, lubricitas enim in flectendis genibus & procedente tempore maior, & meritò fit maximè. Nam in hac minus & offendit equus & laborat, quàm in rigiditate. Femur sub armis si crassum sit, habet, ut in virili corpore non solùm robur sed etiam venustatem. Pectus autem amplum idoneum est & ad formam & ad robur, & ad longiores gressus, vbi non implicentur crura. Iam de pectore non oriatur ceruix tā-

quam hirci prona, sed eminentes pertineat ad verticem ut gallinacci, curuetur autem inflexu. At caput osseum sit cum paruis maxillis, ita collum fuerit ante equitem, oculi aurem spectabunt ante pedes. Atque huiusmodi equus minimè violentus in summa animositate esse poterit. Violentiam enim usurpant equi non inflectentes collum & caput, sed extendentes. Considerandum & hoc, utrum buccæ sint teneræ an asperæ, an verò inæquales. Nam imparitas harum facit plerumque duri & contumacis ut oris equi reddantur. Extantes oculi vigilantiores putandi, quam profundi. Horum etiam prospectus longius penetraverit. Nares patulæ multò quam conniuentes, & apertiores vias habent animæ, & faciunt videri equum terribiliorem. Nam & irascens equus equo, & inter agitandum ferociens, diducere vehementius nares consuevit. Ipse vertex si fuerit grandior, aures verò minutæ, magis ita caput equinum videbitur. Spina dorsi supra arcos paulo elatior, præbet oportunius sedile equiti, & arci ac reliquum corpus firmiter compinguntur, si illa duplex fuerit. Tum etiam & eques residebit mollius, & forma delectabilior erit. Latera demissiora supraque aluū turgidiuscula, & residendi melius, & maioris roboris, & melioris de pastu succi commoditatem ferè habent. Lumbi quò erunt latiores & minus prolixi, hoc facilius attollet priores pedes equus, & posterioribus subsequetur: ita etiam ilia esse minima videbuntur, quæ vastitate sua partim deformant, partim etiam debilitant & grauant equos. Coxas esse & latas & carnosas oportet, ut consentaneæ sint cum pectore & lateribus. Soliditas membrorum omnium, ea verò cum ad cursum celeriore, tum acriorè equum reddit. Femina quidem sub cauda si latioris interualli linea distinxerit, hoc pacto, quia crura posteriora spaciosius attrahentur, ideo & successio ac equitatio erit terribilior & firmior, & quam aliter essent, meliora omnia. Hoc de homine potest intelligi. Nam sublaturi aliquid de terra, in eodiuaricatis, non compressis eruribus annuntur. Testi-

culi equini grandes esse non debent, sed in pullo hoc notari non potest. De posteriorum pedum talis seu tibiis, de quæ iis, quos *κνήμια* vocari diximus, & de ungulis, eadē quæ de prioribus pedibus tradita sunt, perhibemus. Nunc scribam, quid secutus in æstimanda magnitudine futura minimè decipiariis. Nam pullus cuius à primo statim ortu altiores tibiæ fuerint, is maximus futurus est. Omnium enim quadrupedum tibiæ processu temporis minimè crescunt altitudine, secundum has verò consentiēte magnitudine corpus reliquum augetur. Atque hæc in pullis eligendis qui obseruare voluerint, eos adepturos puto optimis pedibus & robore ac carne bona, tum verò pulcritudine, magnitudine præditos equos: sin augetes aliqui mutati fuerint, nos tamen audacter in electionibus ea, quæ præcepimus, sequemur. Multò enim certè plures laudabiles de turpibus, quàm de huiusmodi turpes extiterunt. Nunc deinceps de educendis pullis præcipiendum duximus. Ac in urbibus quidem equestris ordo constitui solet eorum, qui & satis opulenti sint, & in reipub. parte nequaquam postrema versentur. Longè autem satiùs, cum adolescenti corporis & virium suarum & equitationum curam suscipere, aut perito iam equitandi sese exercere, quàm occupari in pullis domandis, tum senioribus familiam, amicos, reipub. in pace & bello complecti studio & respectu suo, quàm educendis pullis operam dare. Quare ille equester, ut mea fert de pullis educendis ratio, tradet pullum suum domitori, sic tamen, ut non secus, ac si filium magistro erudiendum traderet, conscribat quomodo instructum reddi velit. Hinc enim quasi indicem accipiet domitor eorū, quibus pullum, si mercedem auferre voluerit, instituendum sibi esse sciat. Prouidebitur autem, ut accipiat domitor pullum placidum & mansuetum, patientem atque amantem hominum, quæ pleraque domi à curatoribus illorum efficiuntur, qui norint, cum famem atque sitim, tum iracundiam pulli ad silentia & solitudines relegare, contra verò cibum & po-

tum & depulsiões offēnsarum per homines procurare. His enim custoditis non solum diligē à pullis homines, sed requiri etiā necesse est. Contrectādæ etiā eā partes corporis, quas maximè tangi equus gaudet. Hæ sunt densissimæ pilis, & à quibus molestā depellere ipse nequit. Iubeatur & curator pullum cum traducere per turbam, tum varias ad species & voces admouere. Ex his, si quid fortè illum perculerit, ostendere oportebit placando non sæuendo, terribile non esse. De pullorum igitur institutione hætenus præcipere imperitioribus satis futurū statui. Post hæc subiiciemus ea, quæ tenere debeat, si quis equum qui iam ascēditur & agitatur, parare cogitat, ne circumueniatur à venditore. Ac primū ætas ignoranda non est. Cui enim dens, qui ætatem notat, Græci γυῖμανα vocant, excidit, is neque delectat spe, neque reuendibilis est. Sed perspecta ætate, Tum videbimus & lupos quo pacto ore, & verticale lorum, quo pacto ad aures admittat. Hæc minimè erunt obscura, si coram emtore & applicatum frenum & detractum fuerit, Mox animaduertendum, quo pacto suscipiat dorso ascensorem. Multi enim equi refutant ea, quæ laborem sibi allatura esse intelligunt. Obseruabitur & hoc, vtrū cum equite non recuset ab aliis equis digredi, Aut, si fortè propè asint, an ad hos sese efferre soleat. Reperiuntur etiā, qui de mala educatione ex equitationibus recurrunt ad domesticos secessus. Duri quidem oris equos prodit non solum equitatio illa quasi catenata quæ πένδι dicitur, sed euidentius etiā mutata subito equitatio. Nam plerique nolunt excurrere, nisi ita flexus conueniat, vt improbius maxilla domum & ad reditum conuertatur. Neque fugere nos par fuerit, an etiā instigatus ad celeritatem equus citò sustineri & libenter reuerti soleat. Prodest etiā hoc scire vtrū extimulatus quoque obtemperet equus. Nam inutilis profectò & famulus & exercitus immorigerus, at equus immorigerus non est inutilis tantummodo, sed sæpenumero proditoris vicem obtinet. Quoniā verò pro-

posui.

posuimus bellatoris equi comparationem, faciendum periculum omnium, quæ in bello obiici cōsuevere. Quæ sunt, fossam transilire, superare vallum, in collem erumpere, de collo desilire. Tentabimus & in cliuos fursum, & per decliua & in obliquum agitare equum. Ex his enim omnibus deprehenditur & animi fortitudo & corporis sanitas. Non tamē, si quis fortè in his minus placeat, ideo repudiari debet. Multi enim quia inexercitati sint, non quia parum valeant, in illis deficiunt. Quos si quis instituat, & assuefaciat atque exerceat, iā & ipsi hæc præstiterint, siquidem sani & non ignaui fuerint. suspecti igitur prætereantur. Qui enim formidolosi sunt, non sinunt à se malum dari hostibus, quin etiam equitem sæpe frustrati in maximas difficultates coniiciunt. Sæuitiam etiam equi nouisse debemus, si qua illius vel erga homines, vel alios equos, itémque num implacabilis sit. Omnia enim hæc dominis aduersantur. Recusationes autem frenationum & ascensionum, & si qua alia renuat equus, multò meliùs comperiet, qui post defatigationem iterum illa experiri voluërit, quæ ante equitationem fecerat. Sanè qui post exhaustum laborem non recusant laborare, certum documentum hi dant præclari animi. Atque vt dicam breuiter: Equus cum bonis pedibus, mansuetus, satísque velox, qui laborare & possit neque nolit, inprimis quidem obsecūdans: is scilicet & minimè tristitiæ & maximè salutis autor in bello equiti futurus est. Verùm quibus aut propter ignauiam crebra agitatione, aut propter animositatem blandimentis multis atque cura opus est, ij primùm equitis manibus assiduum negocium faciunt, deinde in periculis animum perturbant. Cùm verò probatum equum emerit aliquis domúmque deduxerit, eo loci stabulum ædificatú habere expedit, vt quàm frequētissimè ob oculos domini equus versetur. Ipsius equi veluti conclauē ita construi optimum, vt non magis pabulum de præsepi, quàm cibus domini de penu furto subduci possit. Qui quidem in hoc negligens est, is seipsum, vt:

ego opinor, negligit. Manifestum enim est in periculis equum corpus domini accipere tãquam depositum. Neque ille locus ideo solùm communiẽdus est, ne furto pabulum diminuatur: sed quia etiam, si fortè non absumatur aut dissipetur ab equo, ita cognoscitur. Quod ubi fuerit deprehensum intelligi potest, vel curatione indigere corpus propter humoris abundantiam, aut quiete defessa membra, vel surrepere crithiasin, aut alium quempiam morbum. Sũt autem initidò omnia mala similiter in equo, vt in homine sanabiliora, quàm cùm induruẽre atque in iis aliquid peccatum est. Sed quemadmodum in equis, valetudinis causa, cibi & exercitiorum diligens habenda est ratio, ita & pedes confirmandi sunt. Stabula quidem humida & læuia etiam præclaras vngulas corrumpunt. Illa igitur defluxum habebunt, ne humida sint. læuitas autem emendabitur defossis lapidibus, quorum inter se magnitudo sit vngulis par. Nam inter standum quoque talia stabula pedes equorum consolidant. Post hæc curator equum educet, ubi destingat. Resoluetur autem de præsepi post matutinum pabulum equus, vt sit vespertinum illi iucundius. Exteriores quidem parte sui stabulum ita rectissimè se habebit, & pedes equi ampliabit, si rotunda saxa palmari magnitudine, pondere libræ, quàm multa, quatuor aut quinque plaustra vehere possint, effusè deiciantur, & ferro includantur, ne à se discedant: ac super hæc inductus equus quasi in lapidosa via singulis diebus aliquantisper gradiatur. Nam siue destingatur seu exagitetur, vt vngulis illum non secus, quàm si vadat necesse est. Etiam testudinem pedis hoc modo effusi lapides solidant. Vti verò firmitatis vngularum, sic teneritatis oris ratio habenda. Eadem autẽ res & hominis carnem & equorum ora molliunt. Mihi etiam hoc videtur equestris viti esse officium, docere curatorem, quomodo equum tractari oporteat. Primùm igitur debet scire, nunquam esse lori eius, quo ad præsepe alligatur equus, astringendum nodum, ea parte capitis, in qua verticale freni applicatur.

Cùm

Cùm enim crebrò ad præsepe caput equus moueat, nisi fuerit circa aures verticale liberum, sæpenumero vlceris causa existit, his igitur exulceratis & desstructioni & frenationi equus refragabitur. Vtile etiam imperari curatori, vt cotidie stercus equinum & stramenta in vnum locum exportet. Hoc enim facto & ipse minus laborabit, & equo consullet. Sciet etiam curator accommodare equo capistrum, quoties vel ad desstructionem, vel volutabrum educere volet. Denique quocunque sine freno ducendus erit, capistrum induetur. Nam hoc respirationem nõ impedit, & moribus tamen obstat, atque subitas inuasiones equorum coërcet. Alligari equum à capite deorsum rectum est. Quicquid enim os illius offendit declinare solet elato capite equus. Id cùm facit ita alligatus magis laxantur, quàm dirumpuntur vincula. In desstringendo ordiemur à capite & iuba. Nam frustra inferiora nitentur expurgare, si superiora immunda fuerint. Atque ita deinceps per totum corpus, cunctis iis, quæ ad expurgandos equos comparata sunt, vtentur, ad pilos erigendos, & expellendum puluerem secundum pilorum situm. Sed curator spinæ pilos ne quo attingito, nisi manu, qua illos premit & mulceat sequens situm eorum, quo enati sunt, sic enim quasi sedili in equo minimè nocuerit. Caput aqua eluito. Nam cùm osseum sit, si ferro aut ligno perstringat, molestiam equo obiecerit. Iubam verticalem & ipsam eluere debet. Prolixitates enim horum pilorum non prohibent aspicere equum, ac repellunt ea ab oculis, quæ molestiam equis afferrent. Deos quoque immortales verisimile fit hos pilos esse equis largitos longarum aurium loco, quas ad defensionem oculorum contulere asinis & mulis. Deinde incrementa caudæ & colli pilis procurabuntur, quo longius pertingere cauda & molesta sibi repellere, quoque plenius adminiculum ascensor habere possit. Contulere autem diu venustatis quoque gratia equis colli & verticis iugas, itemque caudam. Cuius hoc est argumentum, quod gregales equæ non facile sustinent congressum asinorum.

dum coma adest. Itaque omnes ij, quibus asinos his ad-
 mouere cura est, comam equarum detondēt. Crura lau-
 ri nobis non placet. Nam cum nullam habeat vtilitatem,
 damnosa interim est vngulis cotidiana humectatio. Mi-
 nùs etiam sæpe inferiùs aluum repurgari oportet, quòd
 & imprimis hoc sit molestum equo, & quò fuerit illa pars
 mundior, eò plura quæ molestiam exhibeant equo ipsa
 colligat. Præterea quamuis in hoc elabores, vix eduxeris
 equum, & mox similis est iis futurus, quos expurgauerit
 nemo. Quapropter hæc omittentur. Crura autem mani-
 bus destringi satis fuerit. Hoc demonstrabimus quemad-
 modum cum minimo aliquis discrimine suo, & equi præ-
 cipuo commodo facturum esse videatur. Nam si quis de-
 tergere velit tali situ, vt oculos habeat versos in eam par-
 tem, in quam spectat equus, in periculo versabitur ne in
 faciem sibi equi cum genu tum vngula incutiatur. Sin cõ-
 tra equum propter crus exterius iuxta scapulam procū-
 bens defricauerit, neque ipse affligi, & sic cauum pedis, id
 est, testudinē vngula explicata, repurgare poterit. Atque
 similiter & posteriora crura repurgantur. Hoc memine-
 rit equi curator, & hæc & alia quibus opus, factis, nequa-
 quam ita fieri debere, vt vel contra faciem vel contra cau-
 dam equi accedatur, ideo quòd equus, si vim facere co-
 netur, vtraque illarum partium sui hominis vires vincit.
 Ad latera verò adiens maximè & sibi cauerit, & equum
 prolixè tractare poterit. Cum produci equum oportebit,
 sic duci illum, vt sequatur, hac de caussa improbatur no-
 bis, quòd hoc pacto ductor sibi minimè prospicere, equus
 autem omnia patrare possit, quæ voluerit. Neque ita pla-
 cet duci, vt longo loro alligatum sibi illum succedere du-
 ctor asuefaciat, propterea quòd equus in vtruncunque
 latus obuertere queat improbitatem suam, & conuertere
 se ad ductorem suum. Iam plures si vnà ducantur hoc mo-
 do equi, quomodo abstineant mutuis iniuriis? A latere ve-
 rò duci asuefactus equus neque homines neque alios
 equos facile læserit, & rectissimè præparatus fuerit ad a-
 scenden

scendendum, si quando hoc celeriter fieri oportuerit. Ut autem rectè etiã infrenetur equus, accedito curator primùm ad læuum latus illius, deinde habenas ob caput in summis armis deponat, verticale autem attolēs in dextra teneat ac lupos sinistra admoueat, quos si equus admiserit, applicanda scilicet erunt freni lora. Sin equus os non aperiat, tenēs frenum propinquum dentibus, maximum digitum manus inserito maxillis, quo facto plerique os pandunt. Sed ne sic quidem si frenum receperit equus, tum labrum ille vrgeat ante dentem qui caninus appellatur, ac paucissimi, cùm hoc fit, noñ admittunt frenum. Præcipiatur & hoc curatori, primùm, ne vnquam habenis attrahat equum, ita enim durum os redditur. Deinde vt à buccis conueniente spacio distet frenum. Nam cùm illas premit, callum solet obducere. ita sensus retunditur. Cùm autem longiùs dependet vsque ad summum os, potestas tum fit equo, si frenum momorderit, minùs parendi domino. In his acrem esse curatorem nõ minùs quàm vlla in alia re elaborare conuenit. Tãtum enim momenti in hoc est situm, libenter vt equus frenum admittat, vt si quis omnino reiiciat, is nulli vsui esse censendus sit. Quod si curator non solùm cùm ad laborem equus, sed etiam cùm ad pabulũ ducetur, & de agitatione domum reduceretur, frenum illi induerit, nimirum iam vltro appetet statim vbi hoc offerri sibi viderit. Bonum & hoc tenere curatorem imponēdi in equum sessoris Persicum morem, vt cùm ipse dominus in morbo & senectã habeat à quo in equum facillè imponatur, tum alteri, cui gratificari voluerit, copiam illius facere possit. Ne autem iracundè tractetur equus, vtilissima est doctrina atque institutio in re equestri. Nam ira nihil prouidet. Itaque ea designat plerunque, quorum pœnitentia necessariò est comes. Equus si quid fortè suspicatus accedere aliquopiam nolet, demonstrandum illi, quod ea, quæ auerfetur fugienda non sint, hoc quidem planè equo animoso: sin erit timidior, contrectabimus id, quod ei horribile apparet, & le-

niter eodem ipsum adducemus. Qui verò verberibus adigunt, plus timoris incutiunt equis. Nam quia tum malè multantur, huius etiam ea, quæ suspicione sua refugiunt, causam dare arbitrantur. Postquam curator ad fessorem adduxerit equum, ita illum scire submittere, ut facilis sit ascensio, haud reprehendimus: ipsi tamen equiti hoc agendum esse censemus, etiam nemine subministrante, ut possit inscendere. Sæpe enim alienus equus obiicitur, & idem minister sæpenumero diuersis inseruit. Vbi verò equum ascendendum acceperit eques, nunc deinceps prescribemus, quid facere ille debeat, ut maximè tam sibi, quàm equo in re equestri consulat. Primum de freni parte inferiore, seu etiam de annulo bullæve huius religatum lorum ductorium, *πυταγωγὸς* vno verbo Græcis est, aptè sinistra manu prehendet, ea laxitate, ut neque si insurgens pilisq; auribus vicinis inhærens, neque si de hasta saltu ascensurus est, conuellat equum. Dextra capiet habenas depositas in summis armis vnà cum iuba, ne scilicet vlllo pacto conuellat habenis os equi. Postquam se alleuarit ad ascensionem, tum igitur sinistra quidem librato corpus, dextra verò intensa subleuet ipse sese. Huiusmodi inscensio etiam à tergo omnem deformitatis aspectum excluderet. Ascendet autem crure incuruato, neque genu dorso equi impinget, sed in latus dextrum tibiam traiciet: vbi verò iam circumactum pedem applicuerit, tum deinde & natibus confidat supra equum. Quod si fortè eques sinistra manu ducet equum, cum gestet dextra hastam, equidè censeo utile esse vsum ille sibi ut paret, etiam à dextro latere ascendendi. Neque vlla alia ad hoc scientia opus, quàm quæ dextra paulò antè exequatur, ea ut sinistra agat, & contrà, quæ sinistra ut tum dextra. Hæc ideo laudatur à nobis ascendendi ratio. Nam simul ac ascenderit eques, paratus mox est ad omnia, si quod fortè ingruat subitum certamè hostibus irruentibus. Verùm vbi iam confederit, siue super nudum equum seu etiam in ephippio, non laudatur quasi curulis quædam sessio,

fessio, sed vt cruribus diuaticatis maximè rectum corpus sit. Sic enim & feminibus firmiùs adhæserit equo, ac erectus validiùs & coniecero iaculum, & ictum, si res poscat, intulerit ab equo. Hoc etiam studendum, tibix vnà cum pedibus, vt remissæ sub genibus dependeant. In rigiditate enim si crus aliquopiam impegerit, non abfuturum sit periculum ne frāgatur, fluxa verò tibia facilè cesserit offendentibus, neque femur tamen demutauerit. Curabit & hoc eques, vt truncus quoque, id est ea corporis pars, quæ est supra coxas, quasi ad fluxum quendam agilitatis composita sit. Hoc enim modo & efficacior fuerit, & minus si quis detrahare aut impellere conetur, subsultarit. Cùm iam confederit, vt tum consistat placidè equus institutus esse debet, dum attrahat eques, siquid fortè oportet, & habenas coæquet, & hastam adaptet: tum deinde brachium læuum lateri apponito. Qui habitus equitis est elegantissimus, & robur manui addit. Habenz laudantur æquales, non fragiles neque lubricæ neque crassæ, etiam hasta illa manu, si opus sit, comprehendere vt queat. Signo dato vt equus progrediatur, fiat hoc initio pedetētim, ita minimè turbabitur. Habenz, si flexibilior fuerit equus, attolluntor manibus paulò altiùs, sin caput protendet, premuntor, sic enim forma reddetur venustissima. Post hæc si suo proprio gressu perget, absque minima molestia corpus quasi lentescet, & laxabitur, & equus libentissimè ad cursuram conuertetur atque incitabitur. Hic cùm opinio sit, à læua parte initium facere pulcrius esse. Ita hinc potissimum incipietur, si gressum post ascensionem dextrum mouente equo, tunc signum detur ad cursuram, ita enim ille sublaturus læuum, ab eo principium fecerit cursus: cūnque ad sinistram cōuertetur, sic etiam flexuram incipiet. Fit enim vt equus si cōuertatur in dextram, dextris etiam partibus procedat, in sinistram verò læuis. Agitationem autem in primis probamus eam, quæ πένδι appellatur, quoniam ambas buccas ad conuersionem auefacit. Est & hoc bonum agitationem ipsam mutare, vt equi

buccæ in vtrisque exæquentur. Nos etiam extensorem illam catenam agitationis, gyratæ præferimus. Nam in hac libentiùs & conuerti se equus satur iam procurfionis, & simul ad directum cursum, simul ad flexus asuefieri patietur. Sed in flexibus sistendi equi sunt. neque enim facile est, neque periculo caret equum cõcitatum statim circum agere, præsertim in salebris aut loco lubrico. Si equum sistere non placuerit, tum quàm minimè poterit tam se eques, quàm equum frenis obliquabit: sin aliter fecerit, sciat leuissima de causa fieri posse, vt vnà cum equo corruat. Verùm ybi iam post flexum directè prospiciet equus, ibi ad celeritatem instigandus erit. Nam obscurum non est, in præliis quoque flexus vsurpari, cùm insequendi hostem, tum se recipiendi gratia. quare expedit ad celeritatem post flexum asuefacere equos. Iam verò posteaquam fatis esse exercitij videbitur, profuerit tum & post quietem repentè incitare equum, cùm auersum ab aliis equis, tum ad illos conuersum, itémque de celeritate statim reprimere: nec non consistere eum pati, & mox flectere ac incitare. Non enim dubium, quin venturum tempus sit, quo ambobus illis opus fuerit. Cùm descendendum erit, cauebitur ne hoc fiat vel inter equos, vel in hominũ cœtu, vel extra agitationis spacia, sed quo in loco defatigari cogitur; eo scilicet in loco & requies equo contingat. Quoniam autè accidit, vt interdum equo currendum sit per loca decliua, & montana atque deuexa, alicubi etiam transilire, alicunde exilire, aliquò desilire equum vt oporteat, ideo ad illa prorsus omnia cùm se eques, tũ equum instituet ac asuefaciet, hoc enim pacto alter alteri & salutis & vsui fuerit. Quod si quis eadem iterum commemorare nos arbitratur, qui antè dicta repetamus, is intelligat non esse in his, vt ita appellem, biloquium. Suprà enim in emtione præcepimus de periculo faciendo, vtrum hæc facere equus sciret: nunc dicimus, quod suum quisque equum illa docere debeat, & quæ in eo ipso sequenda sint perscribimus. Qui igitur nactus est equum omnino imparitum

peritum saltuum, is vacuum illum prehensio loro ductorio transgressus fossam prior attrahito ad saltum. Quod ille si renitatur, à tergo aliquis flagrum aut virgam summis viribus incutiat: ita transiliet non solum illud spaciū, sed longius etiam, quàm debuisset, & in posterum nō expectabit verbera, sed vbi senserit modò ponè accedere aliquem, statim saliet. Cùm vacuum asuefeceris, ita etiam agitabis in scēsum, primùm quidem trans minores fossas, mox etiam latiores. In conatu autem saliendo subdcs calcaria, itidēque & cùm subilire & cùm desilire volueris, calcaria subdito. Toto enim corpore in omnibus his anitens equus, faciet illa ita, magis vt cùm ipse, tum eques in tuto sint, quàm si posteriore parte sui quasi deficeret, vel in transiliendo, vel in erumpendo, vel in desiliendo. Ad decliua primùm leuiore in solo equos asuefieri conuenit. Ita tandem asuefacti libentiùs per decliua, quàm recto cursu ferentur. Nam quod quidam verentur, ne si per decliua incitentur equi, armos rumpant, neminem debet terrere, qui cognouerit & Persas & vniuersos Odryssas cursu per decliua certantes, nihilò minùs habere sanos equos, quàm Græcos. Neque omitemus perscribere, quem se ad hæc omnia scssor præbere debeat. Ad primum enim ille equi impetum proclinator, ita minimè equus tergiuerfabitur, aut eques succutietur, statimque reprimēs equum, resupinator, ita minimè ipse iactabitur. In traiectu fossæ, & cliui ascensu, non fuerit incongruum iubam tenere, ne simul & loco & freno grauetur equus. Sin per decliue agetur, & resupinator eques, & equum sustineto freno, ne præceps vterque feratur. præterea danda opera, vt aliis atque aliis in locis, itēque modò longæ modò breues equitationes vt fiant. Minus enim hæc odiosa equis sunt, quàm si semper iisdem locis, & eodem modo agerentur. Sed quia & diuersa per loca equitem incitato cursu ruentem continere equum, & ex equo armis commodè vti posse decet: sicubi idonea regio & ferarum copia fuerit, non reprehenditur exercita-

tio venationum. Sed vbi hæc desiderantur, vtile exercitium & hoc, Si duo equites ex conuento inter se per diuersa loca fugiant ac persequantur, ita vt fugiens auersam hastam teneat, persequens verò rotundatis iaculis & similis modi hasta instet, & de spacio, quod iaculo satis, iaculum in illum coniiciat, deque eo, quod hastæ satis sit, hasta feriat. In conflictibus prodest attractum aduersarium de repente protrudere. hæc enim ratio prosternendi. Sed & hoc rectè fit, equum contra attrahentem instigare, hoc enim pacto is, quem alius diripere conatur, illum citius deiecerit, quàm ipse deciderit. Iam si accidat, vt collatis castris cum hostibus, alteri alteros quidem vsque ad hostium stationes insequantur, refugiant autem inde vsque ad suas: hinc igitur scire atque meminisse proderit, cum hostes fugiant & inter suos aliquis insequatur, tum vt conuerso equo præcipitem in cursum imprimis suorum vrgat hostes, & laudari & periculo carere. Vbi verò ad ipsos ventum fuerit, ibi vt in potestate equum habeat. Nam hoc pacto, id quod res docet, maximis damnis hostes quisque suos affecerit, ipse ab illis cum minimè lædi possit. Ac dii quidem hoc concessere hominibus alios vt doceant oratione, quo facto opus sit: at equum oratione quidem instruxerit nemo: sin cum ille sese ex animi tui sententia gesserit, vicissim ei gratificere; in detrectantem verò imperium animaduertas, facile didicerit, facere quæ debeat, ea facere ad arbitrium tuum. Atque hoc quidem dicitur paucis verbis, sed tota in re equestri præstari oportet. Nam & frena libentiùs admittet is, cui post frenationem bene aliquid feceris, & transilier, & exultabit, inque aliis omnibus obsequetur, si postquam fecerit imperata, sperabit quietem. Atque hætenus quidem ea exposuimus, quibus obseruatis non facile decipiatur, neque pulli neque equi emtor: itémque in vsu nõ corrumpatur equus: tum si producendus ille sit, ita vt producat, ne desit quicquam, quo in bello opus equiti esse videatur. Nunc verò tempus, vt opinor, fuerit demonstrare, si cui fortè obla

oblatus sit ferocior aut ignauior iusto equus, quo pacto utroque rectè uti queat. Primùm igitur sciendum, ferociam in equo similem esse iracundiæ hominum. Ut igitur non iritantur, quibus nihil neque dicitur neque fit, quo offendantur, ira & ferociorem equum minimè commouerit is, qui non læserit. Quapropter statim in ascendèdo prouidendum, ne ascensor molestus sit equo: cùm autem in equo confessum fuerit, acquiescèdum plusculum temporis, vel quandiu licuerit, atque ita agendus equus quàm blandissimo imperio. Ac mox lentissimis à gradibus initio factò ad celeritatem adigetur. Inter quæ vix sentiet ille incitationem. Imperio autem repentino equus ferocior, itidem ut homo, perturbatur animo, siue quid tum aspexit subitò, seu audiuit, seu etiam patitur. Quare hoc non ignorabimus, repentina omnia in equis perturbationes efficere. Verùm si incitatum ad celeritatem continere ferociorem in cursu voluëris, non attrahes repentè, sed placidè adduces frenum, ut inuites, non cogas ad consistendum. Placantur etiam equi longioribus spaciis magis, quàm si crebrò conuertantur, atque lenta diu mites & placidos præstant, neque ferociam equorum suscitant. Quod si quis sperat, si diu & celeriter agitet equum, fore defatigatū deinde māsuetiorem, is diuersum sentit atque accidere cōsuevit. Nam hæc inter, feroces magis violentiam vsurpare, inque ira, quemadmodū homines iracundi, sæpe & se & sessorem indignis modis tractare solent. Proinde ad celeritatem summam equos feroces non faciliè incitabimus, nequaquam autem adigemus ad alios equos. Nam ferme improbissimi quique ferocissimi sunt. His aptiores freni quoque leues quàm asperi. Si quando tamen asperos indiderimus, laxando ut leues videantur efficiemus. Prodest etiam, ut sessor asuefaciat sese ad talem in equo potissimum feroce collocationem, qua & ipse minimè cōmoueat, & nulla ferè alia parte equum contingat, quàm vbi sessionis firmæ causâ contingi illum necesse fuerit. Neque hoc ignorandum, præcipi *πυα πυα*

μῶν, id est, cū labris compressis acutior quidam sonus oris editur, tum igitur doceri sciendum, equos mitigari: *κλωγμῶν* verò, qui sonitus fuerit palati & gutturis, incitari. At si quis initio equo offerat gratiora cum clogmo, contraria autē cum poppyfimo, citò ille didicerit, poppyfimo iam incitari, mitigari verò clogmo. Atque similiter inter clamores ac tubas cauēdum, ne equo formido aliqua nostra appareat, néue illi hoc tempore turbulentum aliquid obiiiciatur. Sed quantum fieri poterit quietem tum conciliare equo studebimus, & si admittat ipse, aut res ferat, matutina vespertinaque pabula præbebimus. Hoc autem consilium præclarissimum fuerit, ne quis sibi equum valde ferocem ad bellum parare velit. Verūm de ignavis tantum scripsisse satis fuerit, in his omnia contraria exercenda, quā de ferocibus dicta sint. Iam si quādo lubeat idoneo bellis equo vti ad agitationē magnificam & speciosam, omnino ab eo, quod plerique faciunt in opinione præclaræ equitationis abstinendum, os vt frenis lace-remus, itēmq; calcaria vt subdamus & instigemus cādētes loris. Nam ita diuersa omnia accident ab iis, quæ expetuntur, Cū & figuram quandam arduam equi habentis arreptis, efficientes, qui debuerat prospicere eum occæcant, & calcaribus atque verberibus equum territant, vt non sine periculo perturbetur. Hæc autem sunt, quæ faciunt ij equi, quibus agitatio molesta est maximè, atque in turpitudine quidem, non cum honestate. Sed equus si didicerit agitari frenis laxioribus, & ceruicem attollere, eandēmq; à capite recuruare: ita facilè præstabit ea, quibus ipse potissimū delectatur & sibi placet. Hæc autem esse quæ diximus, vel hoc argumento intelligi poterit, quòd equus quoties festinat ad alios equos, sed ad equas imprimis: tum & attollit ceruicem quā altissimè, & caput maximè proclinat truce cum specie: tum crurū mollitudinem fert sublimem, & caudam sursum intēdit. Qui igitur ad talem formam composuerit equum, qualem ipse effingit quoties pulcerrimus videri cupit, is hoc

consc

cōsequetur, vt & de agitatione voluptatem equus capiat, & magnificus ac terribilis ac spectabilis sit. Quæ quidem qua ratione obtineri posse credamus, nunc deinceps conabimur exponere. Primùm igitur non pauciora frena duobus parabimus, quorum vnum leuius orbes habeat grandiores: alterum eisdem cum graues tum depressos. Echini autē, id est, clausuræ erunt acutiores, vt cum istud præhēderit, offensus equus asperitate mox dimittat: cum autem lenius illi inditum fuerit, tum gaudens huius quidem lenitate, alia nihilominus ad quæ asperiore freno instructus fuerat, sub leni quoque exequatur. Sin lenitate contempta in hoc penitus incumbere volet, cogent scilicet illum, hanc ob causam subiecti grandiores orbes, os pandere, atque ita amittere lupos. Poterit autem asperius variari cum implicatione quadam tum extensione. Cæterum cuiuscunque modi fuerint frena, sunt mollia omnia. Nam rigidum quauis parte sui præhensum retinet equus totum inter maxillas, perinde ac veru vbilibet præhendas totū sustuleris. Alterum verò non aliter quam catena ea parte tantummodo qua tenetur, non flectitur, aliæ pendent, quas elabentes dum captat equus, lupos interea amittit de maxillis. Hanc ob causam & inseruntur mediis axibus annuli, vt hos lingua atque dentibus prensans, omittat correptionem intra maxillas freni. Prescribemus autem, & quæ frena mollia, & quæ rigida sint, si quis hoc fortè ignoret. Molle enim est, cum axes commissuras habet leues atque latas. Itémque omnia quæ axibus accommodantur, cum sunt ampla & minus densa, mollius frenum existimandum. In quo verò omnes particulæ freni grauiter discurrunt atque colliduntur, illud frenum rigidum erit. Sed quaecunque contigerit frenum, cum hoc ista omnia, præstabit is qui voluerit formam equi efficere eam, quam supra diximus. Os igitur equi concutiendum, neque ita vehementer equus vt refugiat, neque ita placide, vt non persentiscat. Atque iam post concussionem vbi equus ceruicem attollet, statim freno indul-

gendum, itémque alia oportebit, id quod monere non cessamus, dum scitè obsecundarit, vicissim illi gratificari. Cúnque animaduersum fuerit delectari equum elatione cervicis & habenarum laxitate, tum cauebitur, ne quid illo tempore huic molestiæ obiiciatur, quasi ad laborem equum adigere velimus, sed blandimentis tum equo indulgebimus, vt speret quietem, ita enim magis prompto animo ad celeritatem agitationis deueniet. Iam verò celeritate etiam gaudere equos, satis argumenti est, quòd liberatus pedetentim nullus abit, sed aufugit. Hæc enim certè est voluptas equorũ, nisi fortè ad cursuram importuniùs fuerint incitati. Vnde quidem oportunitas abest, id iucundum esse nequit tam homini quàm equo. Sed cùm inter agitandum equus exultabit, scilicet edoctus iam priore agitatione fuit de flexibus ad celeritatem incitari. Quod cùm facere sciuerit, si quis tum illum adductis habenis retineat, & signum aliquod det concitationum, coërcitus hic frenis, imperio concitationis commouetur, & pectus effert, & iratus protollit crura altiùs, non mollia tamen hæc, quippe in offensionibus iam non magis mollibus cruribus vtùtur equi. Sic igitur exardescente equo, si frenis indulgeas, ibi præ gaudio, quod in laxitate se freno liberatum putet, exultante habitu, mollibùsque cruribus elatè sese inferet, planè repræsentans pulcritudinem qua componere se equi solent festinantes ad alios equos. Quique hoc cernunt, talem equum appellat, liberalem, & voluntarium, & equitorem, & ferocem, & superbum, simulque & iucundum & terribilem aspectu. Atque hæc quidè, iis qui talia fortè ambierint, hætenus nos perscripsisse satis esto. De equis autem ad pompam idoneis, quique sese erigere, & præclari videri soleant, si quis tales requirit, is sciat non cuiusuis equi hæc esse opera: sed eorum qui sint animis ingentibus, & validis corporibus præditi. Quod autem nonnulli arbitrantur, cum mollitudine crurum coniunctam esse erigendi facultatem, id verum non est. Sed lumbi (lumbos nunc appello

non.

non quàm caudam versus, sed quàm infra latera & coxas ad ilia tendunt.) Hi igitur quibus sunt molles & succincti atque robusti, ij poterunt spaciosè prioribus cruribus subiicere posteriora. Hoc cum acciderit, tum si quis freno concutiat os equi, fit vt posteriores in talos ille reflectatur atque sublidat; erigat autem superiores corporis partes, sic aspicientibus contra alnus & inguen vt appareat. Ibi igitur frenis indulgendum, vti equus, quod pulcerrimum est in hoc genere, faciat libens, itaque hoc spectantibus facere videatur. Ad hæc etiam aliqui erudiunt equos, quorum hi virga talos pulsant, illi baccillo iubent accurrere, qui coxas verberet. Nobis verò hæc videtur institutio optima, si, id quod semper dicimus, non omittatur vnquam, equo vt quies contingat, postquam volûtati agitatoris obtemperauerit. Quicquid enim necessitate facit equus, quemadmodum & Simon ait, neque scit facere, neque decet. Nô magis profectò, quàm si histrio ad actionem flagellis atque stimulis incitetur. Nam multò plura turpiter quàm laudabiliter designauerit, inter hæc tam equus quàm homo. proinde cõpositum vndique equum ad venustatem & splendorem maximum, signis quibusdam ad ostentationes excitabimus. Quod si post equitationem, & copiosum sudorem, nec non cum se scitè erexerit, statim sessore ac frenis releuetur equus: non dubitandum quin sua voluntate, postea ad erectiones peruenturus sit. Super huiusmodi iam quidem agitationi idoneis equis sedentes, & Dij pinguntur & Heroës. Hominésque in vsu horum decente, magnifici videntur. Vsque adeò verò equus qui sese erigit, vel pulcra, vel admirabilis, vel etiam expectanda res est, vt omnium oculos spectantium in se conuersos teneat, tam iuuenum quàm seniorũ. Nemo quippe est, qui vel discedat, vel defatigetur omni illo spectaculo præclaræ ostentationis. Verùm enim verò si fortè cõtingat, vt talis equi domino, aut turma, aut agmè ducendum sit, non par fuerit, hoc eum studere, solus vt ipse clarus, sed potius vt vniuersi sequentes cõspicui sint.

Si igitur præcesserit (eo habitu qui talium equorum imprimis prædicatur) aliquis erigens in soliditate corpus altissimè, & ipse scilicet progredietur lentius, & pedetentim alij equi sequentur, id quod aspectu præclarum esse nequit. Sin ductor equum excitatum agitârit, neque celerimè, neque segnissimè: atque ita vt sequêtes equi reddâtur ex hoc animosi ac truces maximè, & in labore minimè turpi forma appareant. Tum verò, & fremitus, & spiritus equorum consequetur, atque non ipse modò, sed vniuersus comitatus conspicuus erit. Quicûque sanè feliciter emerit equum, sicque illum eduxerit sufferre laborem vt valeat, sique vtatur hoc rectè, cùm in bellicis exercitationibus, tum in ostentanda equitatione, tum verò & in præliis certaminum, quid obsecrò huic obtulerit? quominus reddat preciosiorem equum quàm ad se peruenit: & quin probatos equos possideat, ac ipse equitationis gloriam obtineat, nisi diuina vis prohibuerit. Libet etiam perscribere quibus armis instructû esse oporteat eum, qui in equo periculum adire voluerit. Primum igitur moneo, vt talis induatur thorax siue lorica, quæ corpori accommodata sit: atque thoracem cõuenientem quidem hunc, corpus gestat, illum verò nimis laxum humeri soli sustinent: iam angustior, vinculum est non armatura. Quia verò ceruix vitalium partium & ipsa est, ideo censemus, de ipso thorace educendû ad hanc comparatum regmen. Hoc enim & equitem exornare, & si debito modo fabricatum sit, illius totam faciem, si videatur vsque ad nasum includere poterit. Galeam maximè laudamus Bœotij operis. Huiusmodi enim & quicquid extra thoracem de corpore eminet, rectissimè protegerit, nec impedierit prospectum. Ipse thorax ita esto elaboratus, ne vel sessioni vel reclinacioni obster. Ad inguent & verenda circûnque hæc, pinnæ applicentur tot & tales, quæ illas partes obtegant. Verùm cùm sinistra quoque manu afflicta, inutilis eques reddatur, ideo ad hanc muniendam repertam armaturam probamus, quam vocant

cant Manum. Ea enim cùm humerum quoque obducit, & lacertum ac cubitum, ipsòsque digitos, quibus habentur, tum extenditur & comprimitur, tum verò partem sub alis thorace minus defensam ipsa protegit. Dextram necesse est attolli siue iaculum conicere, siue plagam inferre eques voluerit. Ab hac igitur remouebitur quicquid in thorace impedire illam posset, & huius loco in nexibus applicatiles erunt pinnæ, quæ intēsa cum manu quasi excurrant, reductaque cùm illa rursus iungantur. Lacerto veluti ocrea quædā vt apponatur satius fuerit, quàm de armatura vt religetur. Quam partem sublata dextra nudat, eam iuxta thoracē munitæ studebimus, aut loreo aut æreo integumento, aliter maximè vitalem partem neglexerimus. Cæterùm læso equo cùm in discrimine summo versetur eques, armabitur & equus, frōtali, & pectorali, & lateralibus, quæ iam equiti femoralia futura sint. Inprimis verò ilia equi cōmunicentur, horum enim & letalia maximè vulnera, & ipsa tenerrima sunt. Poterunt autem cum ephippio muniti, quod ea parte sui, qua equo insternitur, ita consutum esse debebit, vt & firmius eques sedeat, nec ipsius equi veluti sedile vitietur. Aliorum quidem membrorum tam equi quàm equitis hæc armatura fuerit. At tibiæ ac pedes, propendebunt scilicet infra femoralia, communiri autem & ipsi ambo poterūt, si calcei fuerint facti de corio, quod soleis aptum habetur. Ita enim simul armatæ tibiæ, simul calceati pedes erunt. Atque hæc arma equestria sunt, quibus à corpore diis propiciis, propulsari vis omnis posse videatur: sed ad hanc hostibus inferendam, nostra sententiâ, melior erit machæra, quàm ensis, quòd de sublimi violentior sit plaga *κοπίδος*, quod genus est gladij ad ictus cæsim inferendos idonei, quàm ensis. Camacinæ hastæ, hoc est hastatæ periticæ loco, quæ & fragiles & graues, probatur nobis si gestentur cornæ, quæ vibratiles magis sunt. Nam alteram harum cōiicere simul peritus poterit, utique reliqua tam sursum quàm latera versus, atque etiam profus, simul hæc

sunt hastarum robustiores atque expeditiores. Iaculum autem eici lōgissimo spacio optimum putamus. Ita enim cū auertere, tum mutare telum tempus magis permittet. Breuiter quidem & hoc perscribemus, quæ iaculandi ratio præstantissima videatur. Si enim protensis sinistris partibus & reductis dextris de femore insurgens, paulisper prominentem cuspidem, emiserit eques, hoc pacto longissimo spacio, iaculum feretur, ictu cum vehementissimo atque etiam certissimo, si cuspis semper id spectet, quò contenditur, id est, quasi signum, Græcis *σχοπός* est. Atque hæc tradita à nobis præcepta, & ista doctrina præscripta, demonstratúsque vsus est equiti priuato. Quæ autem tenere atque exequi ductorem conueniat, alio libro expositum est.

XENOPHONTIS ORATORIS DE FORMA CIVITATIS LACEDÆMONIORUM.



MIHI verò cogitanti aliquando, Spartam minimè omniū populosam ciuitatem, cū fama tum potentia, in Græcia facile principem extitisse, mirum visum fuit, quonam pacto fieri hoc potuerit. Postquam verò consideravi studia Spartiatarum, mirari statim desij. Lycurgum sanè qui leges illis tulit, quibus obtemperantes beatam vitam vixerunt, & admiror maximè, & sapientissimum fuisse iudicò. Is enim alias imitatus ciuitates nullas, ac potius plurimis contrariam secutus rationem, ad maximam felicitatem euexit patriam suam. Statim enim ad sobolem

lem procreãdam, vt à primis ordiar, alij eas virgines quæ parituræ sint, & honestè educi videãtur, alunt pane quàm maximè conceditur modico, ac obsonio, quantum fieri potest, minutissimo, ita quidem, à vino vt aut prorsus abstinentes, aut hoc diluto vtentes degant. Ac quemadmodum magna pars opificum sedentaria est, ita & Græci alij virgines suas lanificio affixas esse volunt. Quid autem eas quæ sic educantur, magnificum parituræ esse sperandum? At Lycurgus sufficere ancillas ad vestiméta paranda, sobolis autem procreandæ curam ad liberas maximè pertinere ratus, primùm quidem instituit vt & muliebris sexus corpora exerceretur, haud secùs ac virilis. Deinde cursus ac roboris quemadmodum viris, ita fœminis quoque certamina proposuit, existimans robustis ambobus prolem etiam validiorẽ nasci. Verùm mulier cùm ad virum deducta fuerit, cernens alios primo tempore immodicè vti consuetudine vxorum suarum, his quoque contraria introduxit. Statuit enim pudendum esse siue quis ingrediens, seu quis egrediens conspiceretur. In qua quidem consuetudine, & esse cupiditatem mutuam maiorem inter coniuges: & si ita coniunctionem suffirentur, quàm si ad fatietatem vsque fruantur, validiores nasci fœtus necesse est. Præterea sublata licetia vxorem quo quisque vellet tempore ducẽdi, statuit vigentia maximè corpora nuptiis copulanda esse, existimans hoc quoque prodesse ad successus generationis. Si verò accidisset vt seni adolescentula data esset, animaduertens in hac ætate diligentissimè custodiri à viris mulieres, contra hoc etiam legem tulit. Potestatem enim fecit efficitis, cuiuscunque fortè viri corpus ac indolem admiratĩ essent, vt ad sobolem procreandam adducere illum ad se liceret. Iam si quis cum vxore viuere nollet, ac desiderio tamẽ præstantium liberorum teneretur, huic quoque lege lata concessit, quamcunque fœcundam & egregiam fœminam conspexisset, ex ea vt bonæ mariti gratia liberos susciperet, Atque huiusmodi multa ille permisit, nam & mulieres

binas domos tenere volunt, & viri fratres adiungere liberis suis, qui generis & potentiaë participes, de facultatibus nihil sibi vendicent. Ac de sobolis quidem procreatione hæc statuens contraria aliorum legibus, an perfecit ve eximia magnitudine & robore Spartani gigneretur, qui volet considerare poterit. Ego verò post generationis narrationem, diuersam etiam disciplinam deinceps explicabo. Alij igitur patres in Græcia qui putant se optimè instituere filios suos, vbi primùm pueri ea quæ dicuntur intelligere incipiunt, statim & pædagogos eis qui curent, præficiunt: & in ludum mittunt ad discendum literas, & Musicen & Palæstram. Ad hæc pedes quidem puerorum teneros conseruant calceamentis, corpora verò vestium varietate delicata reddunt, at cibi mēsuram, ventrem illis esse oportere existimant. Lycurgus verò, pædagogorum loco, qui singulatim pueris præficerentur, quique serui essent, vnum præfecit illis cum potestate, ex eorum numero de quibus summi magistratus creantur, cui & Pædonomo, nomen est. penes hunc esse voluit & conuocare pueros, & si quem cognouisset, malis artibus vacare, in eum grauitè animaduertere. Addidit huic valètes iuuenes cum loris, vt quoties res postularet, pœnæ administri præstò essent. Itaque illic magnus pudor, magna item obœdientia cernitur. Verùm pro eo quod alibi teneri pedes puerorum calciamentis seruantur, statuit illos nuditate corroborandos esse. Existimans de hac exercitatione, multò faciliùs & ardua ipsos loca ascensuros, & decliua descensuros. Itémque cum exilire tum erumpere, tum etiam excurrere expeditiùs esse calceis carenti, si pedes exercitatos habeat, quàm calceato. Vestium autè delicias ita correxit, vt statueret toto anno vna veste vti assuescendum, existimãs ita ad frigora & ad calores paratiores se redditurum esse. Cibo quidem in conuictu eo statuit vescendum maribus, qui neque repletos vnquam grauaret, & penuriam aliquam posse pati doceret: existimans hoc pacto institutos magis, si opus sit, expertes cibi

laborem perferre, ac, si imperatum fuerit, diutius cum pari cibo, durare posse, minisque obsonij, aliquid requisituros, aut cibum quicumque obtigisset recusaturos esse. Credidit & ad sanitatē & incrementa corporum, talem educationem, quæ hæc attenuaret, plus cōducere, quàm quæ dilataret, cibo. Ne tamen fame nimis fortè premerentur, absque negotio quidem accipere necessaria illis nō permisit, sed famem vt leuarent, furandi copiam dedit. Ac non inopia certè aliorum concessisse eum vt, artē victum quærerent, neminem fugere arbitror. Hoc autem manifestum est, quòd furacem & noctu vigilare, & interdium fallere atque insidiari, & speculatores comparare oporteat, siquidem capturum se aliquid speret. His omnibus igitur ad hunc modum instruxit pueros suos Lycurgus, cupiens, simul ad necessaria reperienda callidiores, simul ad bella gerenda strenuiores fieri. Dixit autem aliquis, qua igitur de causa, si expedire illis vt furarentur censuit, multis verberibus affecit deprehensos? Quia nimirum, & in aliis, quorumcunque præcepta inter homines sunt, puniri solent, si qui illa perperam exequuntur. Ita & Lacedæmonij deprehensos, puniunt vt parum scitos fures. Item cum laudentur legibus Lycurgi ij qui plurimum tritici rapuerint, iubentur hos tamen alij ad aram Orthiæ flagris cedere. In quo hoc voluit demonstrare, quòd diuturna voluptate post parui temporis dolores yti illis concederetur cum gloria. Id hinc etiam intelligi potest, quòd sicubi celeritate opus est, ignauus minimū utilitatis, molestiæque plurimum percipit. Ne autem absente aliquando pædonomo siue rectore, destituerentur pueri, vnicuique de ciuium numero, pueris quòd bonum iudicasset imperare, & in delinquentes animaduertere, permisit. Quo facto hoc est consecutus, vt multo essent pueri verecundiores. Nihil enim ita recuperentur neque pueri neque viri vt rectores. Vt autem si nemo forte præsens esset, adultus, ne sic quidem rectoris expertes pueri, essent, statuit de vnaquaque tribu, acerrimum marem, rectoris officio fungi.

debete. Itaque nullo vnquam tempore pueri illic absque rectore reperiuntur. Dicendum etiam aliquid mihi videtur de amoribus puerilibus, nam & hoc ad institutionem pertinet. Alij igitur Græci, vel vt Bœoti vir & puer coniuncti degunt, vel vt Elæi ætatis flore delectantur. Sunt & qui penitus amatorum colloquiis interdiciunt pueris. Lycurgus verò diuersa planè sententia, si quis ita esset vt deberet, & admiratus indolē in puero, anniteretur vt amicum sincerum haberet, horum cōsuetudine collaudata, pulcèrrimam institutionem hanc esse cōsūt. Sin aliquem corpore modò pueri capi apparet, turpissimum hoc esse voluit. quò perfecit, vt Lacedæmonie omnes inter se cōiuncti tam sanctè viuereht quàm patres eum filiis, & fratres tum fratribus solent. Hæc apud quosdam fide carere nihil miror, in multis enim ciuitatibus leges non coërcēt turpitudinem cupiditatum. Ac puërilis quidem educatio hæc est tam Lacedæmoniorum quàm aliorum Græcorum. De vtra verò hatum, cū magis mōrigeti, tum prudentiores, tum etiam abstinentiores, si opus sit, viri existant, qui volet & hæc exquirere poterit. Postquam verò de puëbili ætate ad adolescentiam iam peruenierint, tum alij finem habere & pædagogorum curam, & magistrorum doctrinam, neque vllōs amplius rectores iuuentutis permittæ potestati suæ esse volunt, at Lycurgi & in his alia fuit sententia. Cum enim cerneret hanc ætatem naturā esse animosissimam, & maxime procliuem ad iniurias, & vehemētissimis cupiditatibus vrgeri, plurimis illam oneravit laboribus, & plurimas occupationes ipsius excogitauit. Quibus addidit & hoc, si quis illa fugeret, vt à cunctis laudabilibus repelleretur. quò perfecit vt non modò publicorum munerum administratores, sed singulorum etiam curatores, in hoc incumberent, ne propter ignauiam contemti profus in ciuitate essent. Præterea verecundiam adolescentū animis valde miserere cupiens, cū in via manus statuit intra vestem continendas, tum tacite incedendum, tum etiam oculos nusquam circumferen

ferendos, sed quæ ante pedes essent, ea spectanda. Vnde iam cognosci potuit sexum virile moderatione quoque præstare muliebri. Nam illorum minùs vocem audias quàm si faxei, minus oculos conuertere possis, quàm si ænei essent, verecundiorésque dicas, quàm in thalamis virgines esse solcât. Vbi verò iam in Phiditium, hoc est ad communes epulas conuenerint, si vel ad interrogata respondentis vocem audire liceat, non nihil actum esse videatur. Ac puerilem quidem rem tali cura ille constituit. Puberibus autem multò plus studij impendit, existimans hos, si essent quales esse deberent, plurimum momenti ad felicitatem ciuitati allaturos. Animaduertens igitur eorum qui æmulatione quadam incitarentur, cùm choros eiusmodi esse vt audire omnes maximè, tum certamina gymnica talia, vt vniuersi spectare cuperent, existimauit si puberes cum puberibus commisisset, in cõtentione quadam virtutis, fore vt summam fortitudinis laudem assequerentur. quo pacto ergo illos commiserit, nũc exponam. Eligunt igitur Ephori ex eorum qui ad ætatis iam robur peruenerunt numero, tres viros, hi vocantur Hippagretæ, ac singuli centenos sibi asciscunt, reddentes rationem planè, qua de caussa alios præferant, alios repudient. Itaque illi qui non adipiscuntur hunc honorem, inimici fiunt tam iis à quibus ad obtinendum impediti, quàm iis qui prælati ipsis fuerunt. Atque obseruat vnus alterum, si quid fortè contra instituta honestatis delinquatur. Atque hæc contentio existit inter eos cùm Deo gratissima tum Reipublicæ maximè utilis. qua declaratur quid facere bonos oporteat, & separatim exercentur vtrique in eo vt virtute præstare, sique res postulet, opem singulatim patriæ ferre omnibus viribus possint. Necessè etiam est vt studeant integritati virium, nam in contentione ista depugnant vbicunque fortè congressi fuerint. Quicumque tamen interuenerit, is dirimendi rixam ius habet, quod si quis dirimenti non pareat, eum Pædonomus ad Ephoros abducit, qui grauitè ipsum multant. vò-

lunt enim hoc firmum esse, Nunquam plus posse iracundiam quam obtemperandi legibus voluntatem. Iam eos qui annos pubertatis exceſſerunt, de quibus summi magistratus deinde constituuntur, alij quidem Græci detracta cura virium, nihilo tamen minus militiæ addictos esse volunt. At Lycurgi legibus honestissimum habetur illa in ætate venationi operam dare, nisi reipub. negocia obſtēt, vt & hi possint non minus quam reliqua pubes bellicos labores sufferre. Quæ igitur legibus suis singulis ætatibus præscripsit Lycurgus, hæc fermè sunt quæ retulimus. Quem verò victum vniuersorum esse voluërit, nūc deinceps exponere conabor. Cùm igitur Lycurgus primùm Lacedæmoniis degentibus domi suæ, vt & alij Græci faciunt, animaduertisset ab huiusmodi consuetudine multa fieri improbè, in publicum conuictus produxit, minimè ita illos præfinita transgressuros esse existimans, cibum quoque constituit eum quo neque differti, neque inanes discederent. Multa autem & mirabilia parantur de venationis præda, at diuites interdum à se panem pro illis cōferunt, ita fit vt neque epulis vnquam careat, quandiu conuentus durat, neque sumtuosa sit, mensa illa. Atque etiam in potu non passus quenquam cogi vt plus quam necesse esset biberet, in quo & corpora & animos affligi sciret, permisit vnicuique vt tum biberet cùm sitiret. Itaratus potum & minimè noxium, & maximè iucū dum fore. In tali autem consuetudine, quomodo fieri possit, vt aliquis vel gulæ seruiens vel temulentia deditus, aut se aut rem familiarem perdat? Quin etiā cùm aliis in ciuitatibus plerunque æquales cū æqualibus degant, inter quos pudori non multum esse loci solet, Lycurgus hæc Sparta ita miscuit, vt illic iuuentus seniorū prudentia plurimùm erudiat. Etenim morem illi hunc habēt, vt in phiditiis commemorēt quicquid honestè ab aliquo factū in vrbe fuerit, vt illic minimè petulantia, minimè vinolètia, minimè turpitudine tam factorum quam dictorū innasci possit. Boni autem etiam hoc affert, quòd foris pascuntur, ambulare

bulare à cibo in repetendo domum, atque etiam cauere ne quem vinum lædat, cùm sciant de conuiuio sibi recedendum esse, itémque tenebris vti tanquam die, nō enim licet vlli cum face incedere ante vacationem militiæ. Cùm autem sciret Lycurgus quòd qui laboris aliquid ad cibum adiungerent, ij & corporibus & robore præstaret, in desidiofis autem tumor modò sine bono colore cum imbecillitate appareret, huius etiam rei curam nequaquã neglexit, sed considerans eum qui sua quoque sponte labores susciperet, præ se ferre soliditatem corporis, statuit vt in gymnasio maximus semper natu curaret, ne minores illi essent quàm deberent cibi respectu. in quo sanè mihi & ipso minimè deceptus videtur. Itaque non facillè repereris Spartiatis, neque meliore alios valetudine præditos, neque corporibus expeditioribus, simul enim & cruribus & manibus & ceruice exercentur. Placuit & in his illi contraria plurimis sententia. Nam in aliis ciuitatibus suos quisque liberos seruósque & facultates regit ipse, Lycurgus verò hoc volēs perficere, vt sine detrimento suo ciues mutuis commodis fruerētur, tulit vt quisque pariter tam alienos quàm suos liberos regeret: cùm quis autē sciat, illos esse patres puerorum quos iam regit ipse, necesse est vt ita regat quemadmodum suos regi vellet. Si quando verò puer verberibus affectus ab altero, indicet hoc patri suo, turpè habetur non alia verbera infligere insuper filio, vsque adè exploratum illis est, neminem alterius filio quicquam imponere pudendum. Tulit & hoc, vt quibus opus esset seruis, iis liceret vti etiam alienis, nec non canum venaticorum communitatem conflauit, itaque his indigentes inuitant alios ad venandum, vbi si cui ocium exeundi non est, libenter canes mittit, similiter & equis vtuntur. Si quis enim fortè propter morbum aut alia de causa vectura eget, aut si festinandum aliquò est, cùm equū viderit, sumit eum, & cùm vsus fuerit, diligenter restituit. Etiam hoc cōtrarium aliorum moribus instituit: Si qui enim in venatione nocte oppressi, necessaria

ad victum requirant, quæ ipsi minùs parauerint. ad hæc tulit, eos qui iam desierint venari, relinquere parata debere: eis verò, qui requirant, concessit resignatis illis capere quibus opus fuerit, & cætera rursus obsignata relinquere. Fit igitur vt in hac communicatione etiam tenuiores, omnium, quæ regio illa fert, participes sint ad vsum suum. Sunt & hæc instituta Lycurgi aliorum institutis contraria. Nam aliis in ciuitatibus quo vnusquisque modo potest rem facit, vnus agricultura, alter nauigationibus, tertius mercaturis, plerique opificiis aluntur. At Spartæ liberis Lycurgus quæstus interdixit omnes, statuitque vt ea sola sibi elaboranda existimarent, de quibus libertas ciuitatibus conciliari soleret. Quis autem illic diuitias affectet, vbi, cùm nihil in his ad præcipuum victum momèti reperiatur, cùnque simili ratione ab omnibus vita degēda sit, Lycurgus hoc perfecit, ne deliciarum gratia pecuniæ appeterētur. Quin etiam ne vestium quidem causa pecuniæ studendum, non enim preciosarum vestium, sed corporum elegātia illic ornātur. Sed ne ideo quidem congerenda pecunia est, vt sit quod in contubernales infumatur. nam fecit gloriosius esse si corporis laboribus sodales aliquis suos subleuaret, quàm si illorum causa sumtus faceret: cùm declarasset hoc animi, illud diuitiarū esse opus. Verùm per nefas rem quærere, etiam hac ratione vetuit. Primùm enim monetā constituit talem, vt si quis huius quātum decem modò Minis valeret, in domum intulisset, neque dominos neque seruos fallere posset, nam & spaciofo loco & plaustris vectura ad hoc opus fuerit. Aurum quidem ac argentum perquirunt, & sicubi repertum fuerit, possessor multatur. Quis ergo illic quæstui operam dare velit, vbi copia plus molestiæ allatura sit, quàm læticiæ vsus? Iam Spartanos omnium maximè & legibus & magistratibus esse obnoxios, neminem later. Ego verò ne aggressum quidem fuisse existimo Lycurgum huius tam præclari status foundationem, priusquam cōcordiam inter optimates stabilisset. Huius

rei hoc habeo argumentum, quòd aliis in ciuitatibus potentiores qui sunt, ne videri quidè̄m volunt metuere magistratus, atque hoc illiberale esse ducunt: Spartæ verò optimates & summittunt sese maximè magistratibus & superbiunt cùm hac humilitate, tum, si accersantur, non accedere obœdientes sed accurrere. existimant autem si ipsi primùm sine recusatione pareant, secuturos esse & alios, id quod & accidit. Ac verisimile fit eosdè̄ & Ephoriæ potentiam instituisse, cùm intelligerent maximum esse bonum obœdientiam, cùm in ciuitate tum exercitum etiam familia. Quo enim maior esset potestas magistratus illius, eò terribiliorem fore ad obœdiendum crediderunt. Sunt igitur Ephori ij penes quos est animaduertere in quoscũque visum ipsis fuerit, & mox quoque multam exigere. Penes eosdem est, & eos qui adhuc cum imperio sunt, cùm priuare potestate, tum in vincula cõiicere, tum etiam capitale illis iudicium constituere. Cùm autem tanta sit potentia horum, non patiuntur, vt in aliis ciuitatibus fit, imperia eos quibus obtigerunt, totius anni spacium obtinere arbitrio ipsorum, sed quemadmodum tyranni, & præfeti certaminibus gymnics, ita & hi eos quos in delicto quopiam depræhenderint, statim puniunt. Cùm autem Lycurgus alia multa præclare excogitârît, quibus ad legibus obtemperandum ciues mouerentur, hoc mihi luculentissimum videtur, quòd non prius commisit leges multitudinì, quàm profectus cum optimatibus Delphos, Deum cõsuluisset, an melius esset & vtilius futurum, si Spartani legibus à se latis obtemperarēt. Cũque responsum fuisset, modis omnibus esse melius, tum demum illas protulit, ratus non modò iam iniustum, sed etiam impium visum iri, si non obtemperaretur oraculo comprobatis legibus. Dignus autem est admiratione Lycurgus & in hoc, quòd perfecit in sua ciuitate esse optabilius honestè mori quàm turpiter viuere: nam qui cõsiderare voluerit, reperiet de huiusmodi pauciores cadere quàm ex iis qui formidine impulsà cedere maluè-

rint. Et si verum dicendum est, conseruatio longè diuturnior est virtutis quàm ignauit̃. Est enim virtus & faciliior & iucundior, & expeditior, & validior, neque dubium esse potest quin, & gloria virtutis potissimum comes sit. itaque in belli societate omnes sese studiosissimè cum fortibus coniungunt, Qua verò ratione vt hæc fierent effecerit, exponere & ipsum rectum fuerit. Ille igitur planè felicitatem fortibus, miseriam ignauis adiunxit. Nam cum aliis in ciuitatibus ignauis ita modò appellentur, vtantur autem eodem quo fortes foro, eodem confessu, iisdem gymnasiis, si voluerint: Lacedæmone, omnes pudeat si habendus sit contubernalis ignauus, siue in palæstra par. Sæpe etiam talis, cum qui pila ludant diuiduntur, exclusus diuisione relinquitur, itémque in choris in cõremitissima loca abigitur. Cogitur & in via & in confessibus aliis loco cedere, & iunioribus quoque assurgere, & virgines suas domi educare, & illis fortitudinis rationem reddere, neque licet huic vacuũ muliere larem esse pati, insuperque etiam multa persoluenda est, neque vncto atque nitido obuersari, neque imitari culpa vacantes tali conceditur, aut si faciat, vapulandum à præstatoribus. Quæ cum proposita sit ignauis ignominia, haud equidem miror potiore illic duci mortem tam infami & probrosa vita. Præclarè mihi & hoc videtur Lycurgus tulisse, vt ad senectutem vsque coleretur virtus. Ad finem enim vitæ attributo de Senatoribus iudicio, perfecit vt ne in senectate quidem laudis & honesti studium intermitteretur. Admiratione & hoc dignum, quòd fortiũ virorum senectuti prospexit, nam cum tulisset penes senes esse capitalia iudicia, senectutem magis expetendam robore iuuenili reddidit. Meritò autem in hoc certamine maximo omnium studio versantur, ac sunt quidem & gymnica præclara, verùm corporum: illud autem senatorum certamen, fortium animorum indicium præbet. Quò igitur præstator animus corpore est, eò & animorum certamina, corporum certaminibus pluris æstimanda. Hoc verò institutum

tum Lycurgi, quis neget vel maximè suspiciendum esse? Qui cum animaduerneret, quod alicubi cultores virtutis non valerent patrias suas reddere potentiores, ipse Spartæ omnes publicè ad virtutis vniuersæ cultum adegit. Quemadmodum igitur priuati priuatis præstâr, cultores virtutis neglectoribus: ita & Sparta omnibus ciuitatibus facillè præstat, quæ sola publicè laudi ac honestati studet. Nónne & hoc enim præclarum? quòd aliis ciuitatibus punientibus eum qui alterum iniuria affecerit: hic non leuiiores pœnas constituit in eos, quos appareret negligere curam præstantiæ. Existimauit enim, vt videtur, à plagariis & fraudatoribus & furibus, læsos tantummodò iniuria affici, at ab ignauis & nihili hominibus totas ciuitates prodi, vt meritò talibus grauissimas pœnas imposuisse videatur. Addidit & quandam necessitatem ingètem exercendi vniuersam ciuilem virtutem, iis enim qui legibus parerent pariter vniuersis communem ciuitatè esse, neque cuiquam obesse voluit, vel corporis imbecillitatem vel pecuniæ egestatem. Qui verò ignauiam sibi in exequendis legibus obstare pateretur, hunc docuit illic similem aliorum non magis habendum esse. Quòd verò antiquissimæ sint hæ leges, pater. Lycurgus enim Herculis posteritatem attingere perhibetur, cum autem ita sint antiqui, aliis tamen adhuc sanè vel maximè noui reperiuntur. Quandoquidem id quod maximè mirum est, cuncti illam vitam laudent, sed nulla ciuitas imitari velit. atque hæc communia bona sunt tam pacis quàm belli. Si quis verò cognoscere cupit præclarissima esse Lycurgi etiam rei bellicæ instituta, licet & hoc audire. Primùm igitur promulgãtur ab Ephoris anni ætatis qua militare necesse est, tam equitibus quàm peditibus, tum præstituitur & opificibus tempus. Itaque nulli in exercitu Lacedæmoniorum desiderãtur omnium, quorum opera in vrbibus homines vti consueuerunt. Præterea machinas bellicas cunctas quibus communiter opus esse exercitui possit, alias plaustro alias iumento subuehi imperatum est, ita

minimè ignorari potest si quid deest. Ad certamina autè armorum, talia excogitauit, Veste vti puniceæ coloris, & clipeo æreo, illam quidem existimans minimè muliebrè, hunc maximè bellicum esse: nam & facillimè nitescit, & sordibus imprimis repugnat. Permisit etiam post pubertatis ætatem comam nutriri, quòd arbitraretur ita visum iri suos ciues, cum grandiores, tum elegantiores, tum etiam terribiliores. Atque illos ita ordinatos distinxit in ordines sex, tam equitum quàm peditum. Singuli autem ciuium ordines habent bellicum rectorem vnum, centuriones quatuor, præfectos quinquaginta militibus, octo: eorum qui coniurati appellantur, ductores, xvi. De his ordinibus ex denunciatione interdum ad coniuratorum singulos cœtus, interdum ad tres, interdum ad sex, acies instruitur. Quòd autem multi credunt ordinum in præliis Laconicorum maximè implicatam rationè esse, aliud suspiciatur quàm quod res est. Sunt enim in acie Laconica ij qui primum locum tenent ductores, & singuli ordines omnia quibus repræsentatis opus est, continent. Hæc rationem ita facile est perdiscere, vt errare qui homines noscere sciat, nemo possit. Aliis enim vt ducât attributû, aliis vt sequatur mandatû est. Sed traductiones indicatur coniuratorû ductoris voce, tanquam præconis, fiuntque phalanges cum exiliores tum dēsiores, quorum quidem nihil omnium percipere difficile est. Verùm etiã perturbatos pariter cum quouis coniunctos dimicare, hanc rationè non perinde facile est perdiscere, non institutis legibus Lycurgi. Expeditissimè quoque à Lacedæmoniis fiunt ea quæ armatis militibus perquàm difficilia videtur, cum enim directum cornu ducitur, sequitur nimirû cœtus coniuratorû vltimus. Cunque ita aduersariorû forte phalanx se ostenderit, denunciatur ductori illorum, vt in fronte cum clipeis consistat, idque transsit per vniuersos, donec tota phalanx aduersa consistat. Sin ita instructis à tergo hostes sese ostēderint, explicantur singuli ordines, vt fortissimi quique semper in hostes conuertatur. Si ve-

rò ductor in læuum latus fortè deueniat, ne hoc quidem lædi se arbitrantur, sed sæpe etiam potiores esse. nam si qui ipsos cingere conentur, non incidant iam in patientia sed in armis vndique sepra. Vbi verò res tulerit vt in dextro potius latere ductor esse debeat, cõuerso agmine in cornu directum, explicant phalangem, donec in dextrum latus ductor, extremi verò in sinistrum transeant. Quòd si directis cornib. exercitu procedente, à dextra sese hostes ostenderint, nihil fit aliud, quàm quòd singulorum ordinum tanquam triremium frontes in hostes cõuertuntur. Atque ita traducitur extremus quoque ordo ad hastatos. Sin læuū latus hostes adorianur, neque hoc illi ferunt, sed repellunt hostes, aut directos ordines contra illos similiter obuertunt, quo pacto iam extremus ordo cum clipeatis constituitur. Exponam etiam qua ratione Lycurgus castrametandū esse censuerit, nam quòd anguli in quadrato essent nullius vsus, castra in orbem locauit, nisi fortè hæc mons tuta præstaret, aut à tergo muri flumēve muniret. Custodias autem voluit esse diurnas quidem spectantes contra arma, non enim hostium sed suorum causa illas constituit. Hostes autem obseruant equites ab iis locis vnde quam longissimè prospicere possunt, sed noctu si quis è phalange fortè excederet. Sciritarum custodias præmittere placuit. Nunc verò & ab externis quidam horum præsentis seruantur. Quod autem semper cum hastis obuersandum est, sciendum quod eadem de causa fit, qua serui ab armis repelluntur. Et qui ad res necessarias abeunt, non est mirandum, quod neque suos neque arma longiùs relinquūt, quàm sic, ne quis alteri molestus sit, nam hæc ideo faciunt, vt sint magis in tuto. Castra sanè sæpius mutant cum vt pluribus detrimentis hostes, tum vt maioribus commodis suos afficiant. Iubet etiam lex, vniuersi Lacedæmonij vt exercitationibus operam dent, quoad militia durat, ita & ipsi inter se magnificentiores, & aliis elegantiores videntur. Verùm neque ambulatio-

nem neque cursum esse breuiorē oportet, quā pro ordinum ratione ac permisso, ne quis longius ab armis absit. Post exercitationes ut affideant, primus rector bellicus proclamat: hic est quasi delectus quidam, deinde ut praedeant, mox ut exploratorem dimittant. Haec colloquia & quies ante vespertina gymnasia excipit, post quaena proclamatur, & ut celebratis diis quibus litatum fuerit, super arma requiescant. Non autem me tam multa scribere, quēquam mirari oportet, minimē enim à Lacedaemoniis negligi reperientur in re militari quaecunque accuratē elaborāda sunt. Narrabo & potentiam ac honorem regi in exercitu à Lycurgo attributū. Primū enim praesidij causa ciuitas alit, & regem, & eos qui apud regem sunt. Hic contubernales habet rectores bellicos, ut in perpetuo conuictu rectius consilia, si res postulet, conferre possint. Cum his versantur tres viri ex iis qui Pares vocantur, qui de necessariis omnibus illis prospiciunt, ne qua vnquam occupatione à cura rei bellicae abstrahantur. Repetam autem altius, quo pacto cum copiis in expeditionem rex proficiscatur. Primū igitur domi adhuc, re diuinā facit Ioui ductori, & adiunctis diis: quod si tum litatum fuerit, sumit ex ara ignem is qui ignifer dicitur, & praecedit ad terminos vsque regionis. Quò cum peruentum fuerit, iterum rem diuinam facit rex Ioui & Minervae, quibus ambobus diis placatis, ita transit terminos regionis, ac ignis quidem de his sacris praefertur inextinctus, hostiae autem omnis generis sequuntur. Semper autem sacrificans orditur rem crepusculo, praesumere studens benevolentiam numinis. Adesse verò sacrificio solent rectores bellici, ordinumque ductores, externarum copiarum duces, praefecti impedimentis, itēque aliarum ciuitatum ductores, quicumque voluerint. Assunt & duo Ephori, qui curiosè nihil agunt, nisi à rege adhibiti, sed quo se quisque pacto gerat attendunt, curantque ut modestè, quemadmodum decet, fiant omnia. Sacris peractis conuocat rex vniuersos, & quid faciendum sit demon

monstrat. quare qui illa cernat, is existimet aliorum quidem subitarium esse militiæ studium, Lacedæmonios verò solos re vera artifices esse belli. Cùm autē copias iam educit rex, siquidem nullus apparet aduersarius, nemo illum præcedit nisi Sciritæ, & exploratores equites. Si quãdo verò prælium esse futurum arbitrantur, rex agmine primi ordinis assumpto pergit obuensis hastis, donec in medio fuerit duorum ordinum & rectorum bellicorum rotidem. Quos autem sequi hos oporteat, maximus natu eorum qui ad publicum tabernaculum pertinet, definit. Hi sunt contubernales illi Parium, & vates & medici & exercitus rectores, & si qui sua sponte assunt. Ita nihil omnium quæ vsus poscit omitti solet, nihil enim non est præparatum. Præclare etiam hæc atque vtiliter ad certamina armorum Lycurgus excogitauit. Cùm enim iam capella inspectantibus hostibus cæditur, omnes tibicines qui assunt tibiis canere, neque quẽquam Lacedæmoniorum non coronatum esse oportet. Quin etiam prædicatur omnibus arma vt polita sint, licetque iuuenibus tonsis ac nitentibus & insignibus in aciem prodire, ac hortationes fiunt ad coniuratorum ductorem, nam per totum cœtum exaudiri illæ non possint à singulis, excepto ductore. Vt omnia autem ritè fiant, rectoris bellici curatio est. Quando autem locandi castra tempus esse videatur, id totum penes regem est, atque hoc etiam, vt vbi locari conueniat ipse demonstrat. Est & hoc regium officium legationes dimittere tam hostium quàm sociorum. Atque omnes qui negocij aliquid in exercitu habent, ad regem primùm deueniunt. Si quis igitur iudicij causa accesserit, ablegat eum rex ad iudices Græciæ, sin pecuniæ, ad quæstores, si verò prædam adducat, ad spoliolum distractores. Quæ cùm à rege ad hunc modum administrètur, nihil aliud ipsi quod agat belli tẽpore relinquitur, quàm vt deorum sit sacerdos, hominum ductor. Quod si quis me interroget, videantur ne mihi Lycurgi leges etiam nunc inuiolatæ seruari, non possim hoc, ita me Iuppiter

amet, audacter affirmare. Scio enim pridem Lacedæmonios frui mediocri in re mutua sui in patria consuetudine, quàm in præfecturis ciuitatum inter externas assentationes degenerare maluisse. Etiam hoc scio pridem veritos esse ne depræhenderentur aurum habere, nunc autem noui qui possessionem illius etiam ostentēt. Nec mihi obscurum est pridem externis Sparta interdictum fuisse, neque Lacedæmonios peregrinandi licentiam habuisse, ideo ne ciues in consuetudine externorum inertia ac improbitate complerentur. Iam verò non ignoro quosdam qui in præcipua existimatione sint, summo studio anniti vt perpetuò præfectos agant apud exteros. Fuit etiam tempus cùm huc incumbebant, vt principatu digni essent, nunc autem multo magis laborant vt imperium teneant. Quapropter Græci antehac ad Lacedæmonios veniebant vltro orantes vt aduersus autores iniuriarum ipsi duces esse vellent. Iam verò multi conuocantur ad prohibendum ne imperio rursus Lacedæmonij potiantur. Neque mirandum tamen est talia illos probra sustinere, cùm manifestum sit, neque Deo, neque Lycurgi cos legibus parere. Volo nunc narrare qua coniunctione Lycurgus regem & ciuitatem inter se deuinxerit, vnus enim hic principatus permanet in pristino statu suo, alias autē reipub. partes & labefactatas esse, & nunc quoque labefactati reperias. Tulit enim vt rex pro salute ciuium rem diuinam faceret in omnibus sacris publicis, quippe oriū-
 dus à Deo, item vt quoties ciuitas exercitum emitteret, ipse vt ductor illius esset. Addidit vt de victimis honoris aliquid causa acciperet, attribuit & agri eximij vicinarum ciuitatum tantum, vt neque necessariis vnquam indigeret, neque opulencia efferretur. Vt autem reges ab aliis seiuncta tabernacula haberent, publicum illis tabernaculum assignauit, & honore duplicis partis coenarum illos affecit, non vt bis tantum deuoraret, sed vt alteri honoris aliquid gratia tribuere possent. Concessit etiam vt vterque binos contubernales assumeret, qui quidem Py-
 thij

thij vocantur , permisit eisdem vt de omnium scropharum partu singulos porcos caperent , ne vnquam sacrificia regia impedirentur , si qua re cum diis communicata opus esset. Præterea ante domum aquas stagnum subministrat. Quòd autem huius rei vtilitas latè pateat , magis norunt expertes. Præterea vniuersi assurgunt regibus , præter Ephoros cum in sellis Ephoricis assederunt. Iusiurandum autem mutuuum singulis mēfibis datur: ab Ephoris quidem ciuitatis nomine , à rege verò proprio. Regisque iusiurandum est tale , Velle secundum leges ciuitatis regia potestate vti. Ciuitatis autē tale , Facturam vt incōcussa sit illi potestas regia , dum iusiurādum sanctè seruet. Atque hi honores in patria regi habentur viuo , non excedentes nimium conditionem vulgarem , non enim vult neque regibus addere animum tyrannicum , neque potestatem illorum odiosam ciuibis reddere , sed honoribus qui mortuo regi habentur . hoc nimirum indicant leges Lycurgi , Non hominum , sed heroum cultum se Lacedæmoniorum regibus tribuere.

VIdetur hac ab autore reipub. forma quasi opposita è contrario fuisse priori. Nam vt ibi docuit omnia ad virtutem tēdentia usurpata fuisse , ita futilium quorundam gubernationem nunc enarrat. Maximam enim constat fuisse Athenis vitæ licentiam , in qua improbos , qui semper sunt plurimi , regnare necesse est. Ideòque scripsit & hoc præclare Plato , Athenis bonos viros ad eximum modum bonos esse , quòd nullam habeat in illa ciuitate necessitudinem virtus. Et quidem Laco reuersus aliquando in patriam , cùm interrogaretur quales ipsi Athenæ visæ fuissent , vndique esse bonas & laudabiles respondit. Admirante autem altero , & amplius percontante , quid ita verò ? Quia enim inquit ille nihil vitio neque dedecori illic ducitur. Sed nunc Græca interpretemur.



XENOPHONTIS LI-
 BELLVS DE REPVB.
 ATHENIENSIVM.

* *



ERVM Atheniensium rempub. cùm illis huiusmodi forma maximè placuit, non laudo hanc ob causam. Nam cùm hæc maximè illis placere, & hoc placuit scilicet, futilibus hominibus melius esse quàm viris bonis. Hanc igitur ob causam non laudo, sed hac ipsis ratione probata quòd præclare & tueantur rempublicam, & ea gerant quæ ab aliis Græcis tanquam vitiosa reprehenduntur, id nunc ostendam. Primum igitur hoc dicam, Æquum esse plus illic posse pauperes atque vulgus, quàm nobiles ac diuites, ideo quia vulgus rem naualem expedit, & potentiam ciuitati conciliat. Déque hoc sunt gubernatores, significatores, præfecti quinquaginta remigibus, proratæ, ipsi etiam fabricatores nauium. Atque hi sunt qui magis potentiam ciuitatis augent, quàm alij ciues & nobiles & viri boni. Quæ cum ita se habeant, videtur æquum esse vt magistratus communes sint omnium, tam ij qui sorte quàm qui suffragiis conferuntur, itémque vt dicere liceat cuicumque ciuium libuerit. Præterea quicūque magistratus, siue summi seu infimi, salutem vel etiam periculum continent publicum, his secum communicatis nihil opus est vulgo, neque enim putant vel imperatorias vel equestrium præfecturarum sortes quicquam ad se pertinere. nam sentiūt vtilius esse sibi abstinere à talibus magistratibus & relinquere hos administrationi potentissimorum in ciuitate.

Quicumque

Quicumque verò magistratus mercedes habent & conducunt rei familiari, hos capeffere vulgus quærit. Præterea, quòd quidam mirantur per omnia plus tribui Athenis futilibus & pauperibus & popularibus, quàm viris bonis, eo ipso conseruari popularem administrationem manifestum est. Nam si pauperibus & popularibus & nihili hominibus bene sit, horúmque numerus crescat, augetur tum status popularis: si diuitibus & bonis viris bene sit, iam aduersarios sibi constituant hos illi alteri populares. Sunt autè vbique terrarú optimates aduersarij popularis administrationis. nam in optimatibus minimum est petulantia & iniustitia, maximúmque studium honestatis. In vulgo autem, viget incitia, temeritasque ac improbitas, quippe quos egestas ad turpia impellere soleat: multique propter penuriam neque liberaliter educari, neque bonis artibus institui possunt. Sed dixerit aliquis, non oportuisse cuius potestatem fieri dicendi & statuendi, sed probatissimis tantummodo & optimis quibusque. At illi profectò & hac in parte rectissimè sibi consuluerunt, copia data etiam futilibus dicendi. Si enim dicere ac statuere liceret tantummodo bonis viris, horum scilicet similibus bona omnia conciliarentur. Nunc verò cùm surgit ac dicit quicumque voluerit, homo aliquis plerunque improbus, quid cùm sibi, tum similibus sui expediat, facile inuenit. Quo verò inquiet aliquis, pacto, scire talis possit quid vel sibi vel aliis expediat? At ipsi hoc norunt, talis hominis incitiam & improbitatem, coniunctam cum beneuolentia, vtiliorem sibi esse quàm boni viri virtutem atque sapientiam coniunctam cum malciuolentia. Atque his moribus ciuitas vt optima sit fieri nequit, verùm status popularis non alia tamen ratione melius conseruari possit. nam vulgus non delectatur bene constituta republica, quippe in qua sibi esse seruiendum sciat, vult enim liberum esse, & ipsum imperium tenere. Status autem reipub. si sit malus, nihil curat, nam quod tu malum in Repub. esse existimas, hoc ipso & valet populus & liber est. Quod si requiris lau-

dabilem reipub. statũ, in hoc primũ reperies leges ferri à probatissimis, deinde animaduertere bonos viros in improbos, penesque hos esse consilia publica, neque admitti ad consultandum dicẽdũve aut concionandum homines furiosos. De quibus bonis celeriter vulgo seruitus præstò sit futura. Athenis etiam serui & incolæ oppidò sunt petulantes, neque illic pulsare fas est, neque seruus itinere tibi cedit. Id verò qua de caussa illo in loco vsurpetur exponam. Si fas esset Athenis seruum à libero pulsari, sæpe aliquis vel libertinum hominem vel inquilinum pulsaret ratus esse seruum, non enim veste illic meliore vulgus vititur, neque forma præstat incolis ac seruis. Si quis autem & hoc admiratur, quòd patiantur seruos delicatè & splendidè illic quosdam viuere, videre licet hoc quoque prudẽter fieri. Vbi enim nauticæ copiæ sunt, ibi mancipia ad quæstum seruire necesse est, vt accipientia afferre aliquid domino possint, itẽmq; hæc manu miti. Vbi autem serui sunt diuites, ibi non expedit à meo seruo te metui. Lacedæmone verò meus te seruus timeat. Si autem tuus seruus timet me, videtur suas mihi copias traditurus esse, ne quò sit in periculo. Hanc igitur ob rem factum à nobis est, vt æqualitas quædam esset inter liberos ac seruos, & incolas ac ciues. nam & in eolis ciuitati opus est, propter cùm artes plurimas tum nauales copias. Ideòque meritò & æqualitas quædam inter ciues ac incolas introducta fuit. Iam eos qui corpus exercet & Musicæ operam dant, vulgus illic euertit, existimans se hæc non decere, cùm posse non fieri intelligat, vt ipsi eis dediti sint. Verũ in principatu chori, in præfecturis gymnasiõrum ac triremium, sentiunt principatum quidem chori esse penes diuites, commoda verò in vulgus conferri. Itẽmq; diuites gymnasiis præesse ac triremibus, vulgus verò in gymnasiis & triremibus versari. Vult igitur pecuniam accipere vulgus, atq; ita canere, currere, saltare, nauigare, vt & ipsum habeat aliquid, & diuites reddantur tenuiores. Iam in iudiciis, non tã quid iustũ quàm quid expediat

pediat spectant. De sociis autem quod ad illos nauigantes & calumniis petere eos videntur & odisse, hoc sentiunt, fieri non posse quin subiecti oderint magistratus, quod si in ciuitatibus locupletes & potentes plus possint, non longo tempore duraturum imperium populi Atheniensis. Propterea diuitibus honorem omnem detrahunt & pecunias auferunt, & ipsos cum in exilium agunt tum interficiunt, futiles verò augent. Atheniensium autem boni viri bonos in sociis ciuitatibus conseruant, intelligunt enim expedire sibi, vt optimates semper in ciuitatibus conseruentur. Sed dixerit aliquis, in hoc potentiam Atheniensem consistere, si socij valeant pecunias afferre. At hoc melius plebeiis videtur, si facultates sociorum singuli ipsi possideant: socij autem tantum necessaria habeant ad victum & ad operas exequendas. Putant aliqui & hoc male statuisse populum Atheniensem, quod socios cogunt ad iudicia nauigare Athenas: at ipsi contra disputant quot commoda in hoc insint. Primum mercedem percipere iudicij toto anno, deinde quod residentibus domi nihil opus sit nauibus ablegatis ad sociarum ciuitatum administrationem. Ipsi etiam eos qui sunt populares conseruant in iudiciis, aduersarios pessundant, quod si illi domi quique suæ haberent iudicia, infesti nimirum Atheniensibus, eos pessundarent ciuium suorum, quos maximè studere Atheniensi populo animaduertissent. Ad hæc populus Atheniensem hoc lucri de iudiciis ad quæ socij venire coguntur percipit. Primum enim ciuitati plus accedit è ceteris in Piræo, deinde & singulis aliquid de mercedibus habitationum aut mancipiorum. Quin etiam præconibus emolumento est aduentus sociorum. Præterea si non venissent socij Athenas ad iudicia, soli essent apud eos in honore nauigantes ad ipsos, vt duces, præfecti trimibus, legati. Nunc verò vnusquisque de sociis cogitur blandiri vulgo, non ignarus sibi necesse esse proficisci Athenas ad fortunam iudicij, non alibi quam apud multitudinem periclitaturus, secundum leges Athenien-

sum. Cogiturque & supplex esse in iudiciis, & ingredientium præhæsare manus. quibus omnibus socij magis subiecti redduntur populo Atheniensi. Iam verò propter ea, quæ in longinquis regionibus possident, & qui cum imperio aliqui in loca longinqua mittendi sunt, tacite remigationem perdiscunt, cum ipsi tum famuli. Necessè enim est hominem crebrò nauigantem, remû in manus sumere tam ipsum quàm ministrum: itémque ediscere nomina rei nauticæ: fiunt & boni gubernatores in noticia nauigiorum & in nauigandi vsu. Excercent autem sese in gubernando alij nauigium paruum, alij onerariam nauem, atque hinc ad triremes transcunt. Multitudo autem statim vt nauim ingressa est ad agitandum est parata, quippe in tota vita ad hoc exercitata. Sed copiæ armatae quæ Athenis nequaquam bene instructæ videntur, ita se habet, vt hostibus se nunc inferiores nunc superiores esse existiment. Sociis verò superiores semper, qui & tributum solvunt & terrâ fortissimi sunt viri. Itaque existimant copias etiam armatis se præstare si superiores sint sociis. Præterea fortuna huiusmodi quædam illis conciliat, quòd cum subditis mediterraneis facilè sit de paruis oppidis in vnâ ciuitatem congregatos omnes vnâ in prælium prodire, non conceditur subditis maritimis qui insulani sunt, conflare societatem ciuitatum. Mari enim separantur, & his superiores maris imperium tenent. Quod si fieri posset vt insulani clàm in insula quapiam conuenirent, ibi illis fame pereundum esset. Ciuitates autem in terra sitæ & Atheniensibus subditæ, magnæ metu continentur, parua egestate retinentur. Nulla enim est ciuitas omnium, cui non opus sit importatis aliquibus aut exportatis. Hæc contingere iis nequeunt qui non parent imperium maris possidentibus, quibus quidem ipsis eadem facere conceditur quæ potentibus rerum terrâ, vt interdum vastare solum etiam superiorum se. Appellere enim licet naues eò vbi aut nulli aut pauci hostes sint, & si aduentent ho-

stes, conscendere naues & discedere. Inque hoc minus est difficultatis quàm in terrenis expeditionibus. Præterea qui imperium maris tenent, iis liberum est nauigando à sua ciuitate recedere quàm longè visum fuerit. Sed qui terrâ rerum potiuntur, iis à ciuitate sua multorum dierum itinere abire non licet, nam & tardæ profectioes sunt, & cibaria longi temporis ferre pedites difficile. Item pedites aut beneuolentium loca transire, aut vincere pugnando necesse est. Nauigantes verò vbi fuerint superiores se, in illam terram exire necesse non est, sed possunt præteruehi eò vsque vbi aut beneuolentes sint, aut hostes se inferiores. Ad hæc frugum penuriam qui terrestri potentia præstant ferunt grauius, qui maris leuiter. Non enim omnia terrarum loca illa laborant, & potentibus rerum mari de abundantibus semper necessaria aduehuntur. Si verò & mentio facienda est leuium quorundam de imperio maritimo, primùm de commerciiis mutuis varietas conuiuiorum orta fuit, congregatis propter hoc omnibus, quæ diuersis in locis voluptatem haberent, vt in Sicilia, Italia, Cypro, Ægypto, Lydia, Ponto, Peloponeso, aut alibi. Ad hæc omnium oratione cognita elegerunt hoc quidem ex hac, illud verò ex illa. Itaque cùm singuli Græciæ populi peculiari vtantur & oratione & victu & habitu, apud Athenienses mistum quiddam est de omnibus tam Græcis quàm Barbaris. Verùm de sacrificiis & fanis & festis & lucis, cùm populus intelligeret fieri non posse, vt singuli homines pauperes sacrificarent & epularentur, & haberent fana sua, & urbem incolerent præclaram & magnam, viam reperit qua & ad hæc perueniretur. Sacrificat igitur publicè suppeditante ciuitate victimas multas. Sed gymnasia & balnea & ædes in quibus vestes ponuntur, quidam diuites habent peculiariter. Populus verò ipse sibi peculiariter extruit palæstras multas, & ædes in quibus vestes ponuntur, & balnearia, de quibus omnibus fructus multitudo

percipit multò vberiores quàm pauci illi beati. Iam opulentiã omnem & Græcorum & Barbarorũ, hi sunt soli qui tenere possint. Si qua ciuitas enim abũdat materia nauali, quò hanc exportabit iuuito maris domino? Similiter & ferro aut ære aut lino si qua ciuitas abũdat, quonã exportabit inuito maris domino? Atqui mihi ex his ipsis iã naues existunt, suppeditante alio materiam, alio ferrum, alio æs, alio cerã. Præterea aliò hæc vehere non permissuri sint aduersarij nostri, siquidem vti mari voluerint. Atque ego absq; omnibus terrestribus commoditatibus vniuersis his potiri possum maris beneficio. Nulla autẽ aliarum ciuitatum ambo hæc habet materiã & linum. Sed vbi linum nascitur copiosum, ibi planam esse regionẽ & minimè siluestrem necesse est. Neque eadem etiã ciuitas æs habet ac ferrũ. Neque res vllæ duæ aut tres vnus ciuitatis propriæ reperiẽtur, sed hæc huius, illa verò illius. Præterea tora continente terra aut littus alicubi prominens, aut obiecta insula, aut angustia quædã sunt, vt liceat iis qui imperio maris potiuntur, appulsis nauibus affligere incolas terræ continentis. Vna re tamen deficiũtur. Si enim insulani Athenienses domini essent maris, possent ipsi quos vellẽt affligere, sine omni suo derrimento, donec quidem imperium maris obtinerent, neque vastaretur vnquã terra ipsorum, neque hostiũ incursiones metuerẽtur. Nunc verò diuites in Attica & agricolæ hostibus se magis accõmodant. Vulgus verò nõ ignarum nihil suorũ neque ferro neque igni vastari posse, viuit securè, neque sese hostibus submittit. Præter hæc & alio metu carerent si insulani essent, nempe proditiõis quæ paucorum studiis conflare posset, a pertis portis & subitò in vrbem hostibus acceptis. Nam si insulã incolerent quonã hæc pacto fieri possent? nemo etiam à multitudine insulana dissideret. Nã si seditionem nunc aliquis excitet, hac spe fretus faciat, posse adduci terrã hostes, cuius periculi insulam si tenerent securi essent. Cũ igitur illis initiò non obtigerit insula quam colerent, hoc nunc faciunt, facultates suas insulis committunt, freti imperio

perio maris. Atticã verò vident vastari & patiuntur, intelligentes si huius ipsos misertum sit, fore vt aliis bonis potioribus priuentur. Iam societates & iusiurandũ tueri necesse est iis ciuitatibus in quibus summa rerum est penes paucos. Nam si non steterint cõuentis, aut aliquis iniuriæ autor extiterit, sunt horum nomina paucorũ qui præfuerunt conuentioni. Sed quæ autore multitudine gesta fuerint, ea alicui licet ascribere vni, qui suaserit quive suffragatus sit, vt singuli possint ire inficias, vel quòd non affuerint, vel quòd sibi displiceant ea de quibus conuenit. Quæ verò multitudo ipsa sciuerit, si fortè ea rata esse nolit, innumerabiles reperire est prætextus, ne quid fiat præter voluntatem populi. Quòd si decreta multitudinis malum exitum habuerint, accusat tum vulgus paucos quosdã qui sibi aduersari rem corruperint. Sin bonum, id sibi auctoribus totum attribuunt. In ludis exagitari & maledictis incessi multitudine non patiuntur, ne ipsi scilicet malè audiant, sed singulos si quis vult insectari eum iubent, norunt enim illos nõ de plebe aliquos neque de multitudine futuros esse, sed aut diuitem quẽpiam, aut nobilem, aut potentẽ. Pauci sanè è popularibus & egentibus exagitantur, nunquã tamè ne illi quidem, nisi aut propter curiositatẽ, & quòd vulgo potiores esse studeant. Quapropter hos exagitari molestè nõ ferunt. Atque hoc mihi quidẽ dubiũ non est, populum Atheniẽsem intelligere, qui ciues boni quique improbi sint. Hoc verò intellecto beneuolentia complectuntur eos, vnde aliquid vtilitatis sibi rediturum esse sciunt, quãuis improbi illi sint: bonos autem viros magis odio prosequuntur. Nõ enim existimant virtutem eam esse quæ multitudini profit, sed quæ obsit. Contrà autem aliqui ex ipsa planè multitudine, non sunt ingenio populari. Ac ego quidem popularem administrationem tueri populum, ignoscendum illi esse puto. Nam sibi ipsis benefacientibus venia danda est omnibus. Qui eunque autem plebeius non est, & sua voluntate sese in ciuitatem contulit vbi summa rerum est penes populum

potius quàm ubi est penes paucos, is se ad iniurias alijs inferendas parare videtur, neque ignorat malos in multitudinis imperio faciliùs latere posse quàm in paucorum. Atque ego rationem reipub. Atheniensium non laudo, verùm, quandoquidem illis hæc forma popularis administrationis placuit, præclarè mihi videntur illam conferuare, hanc rationem sequentes quam ostendi. Videmus & hoc repræhendi à quibusdam, quòd interdum Athenis neque consilium neque populus conueniri possit, toto aliquo ibi desidente anno. Verùm Athenis hoc fit nulla de causa alia quàm multitudinis negotiorum. Non potest fieri vt omnes cognitio rebus dimittantur, nam qui possent cum primùm Athenienses celebrare festos dies necesse sit, tot quot nõ aliam ciuitatem Græciæ vllam. His autem negocia publica minùs geri possunt. Deinde causæ cum publicè tum priuatim, tum rationum relationes tot his diiudicandæ sunt, quot non alijs hominibus vniuersis. Consilia autem habentur multa de bello, multa de vectigalibus, multa de legibus ferendis, multa de iis quæ in vrbe cotidie accidunt, multa propter socios: itémque cum tributa accipiuntur, cum de naualibus, de templis conseruandis deliberatur. An mirum inter hæc videtur, si tot negotiis implicati, non possunt omnibus cognitionibus vacare: Sed aiunt quidam, vacare semper iis qui cum pecunia ad consilium publicum aut ad populum veniant. E- quidem haud negauerim, permulta Athenis pecunia peragi, ac futurum quoque plura vt peragantur, si pecuniam plures numerent. Hoc tamen certò scio, ad negocia peragenda ciuitatem illam vt satisfiat omnibus interpellantibus, satis esse non posse, quantumuis etiam aurum argentique pendatur. Sunt verò diiudicanda hæc quoque, si quis nauem non instruat, aut si quis publicum locum ædificando occupet. Sunt præterea danda iudicia & iis qui choros producere debeant, ad dionysia, thargelia, panathenæa, promethea, vulcanalia. quotnã hæc annorù iam singulis annis præficiuntur quadringenti triremibus, quibus

quibus iudicia petentibus danda sunt. quotnam & hæc annorum? Præterea autem & inquisitiones atque iudicia magistratuum, & pupillorum inquisitiones, & custodias vincitorum constituere, hæc & ipsa quotnam annorum fuerint? Tempore etiam iudicia de expeditionibus danda sunt, & si quod subito maleficium designetur, & si qua infueta iniuria siue impietatis crimen deferatur. Verum ego valde multa etiam prætereo. Maximam tamen partem commemoravi, exceptis tributi cõstitutionibus, quæ plerunque vsurpantur anno quoque quinto. Agè igitur, an non hæc omnia diiudicanda esse videantur? At dicet aliquis quod nõ omnia illic diiudicari oporteat. quod si quis fatetur diiudicanda esse omnia, per totum annum hoc fiat necesse est. Nam ne nunc quidem per totum annum iudicantes perficere hoc possunt vt improbi coërceantur, propter hominum multitudinem. Agè verò, dixerit aliquis, iudicia quidem exercenda erant, sed à paucioribus. necesse igitur fuerit, si & pauciora faciant iudicia, & pauciores iudices in singulis iudiciis sint, vt & facilius apparatus contra paucos fiant, & propter aduocationes vt iniuiores sententiæ ferantur. Ad hæc cogitandum quod festi etiam dies celebrandi sint Atheniensibus, quibus iudicia excerceri non possint, atque celebrant Athenienses quidem bis tot festos dies quàm alij, sed ego non plures ponã quàm quot ciuitas quæ paucissimos, celebrat. Quæ cum ita se habeant, nego posse alium Athenis rerum statum esse, quàm qui nunc est, nisi fortè pauca quædam vel addenda vel demenda esse videantur. Multa autem si moueantur, fieri nequit quin de populari administratione aliquid detrahatur. Ipsi enim sentiunt multa excogitari posse quibus ad meliorem formam administratio ciuitatis redigatur. Vt verò populare genus conseruetur, & simul hoc reperiatur vt prorsus melior forma reipub. sit, nequaquam esse facilè, nisi id quod modò aiebam, si quis modicum quiddam addere aut demere velit. Videntur & hoc Athenienses perperam consulere, quòd præficiunt

deteriores in ciuitatibus seditiosis. Ipsi tamen certa hoc ratione faciunt, nam si præstantiores præficerēt, eos præficerent quorum sententia & populi concors non esset. In nulla enim ciuitate optimates bene volunt vulgo, sed deterrima pars cuiusque ciuitatis optimè vult vulgo. par enim ad pares beneuolentia inclinatur. Itaque Athenienses partes sibi commodas præficiunt. Quotiescunque verò conati fuere optimates præficere, detrimento hoc ipsis & breui in seruitutem plebs adacta fuit, vt Bœotis. Itémq; cùm Milesiorum optimates præfecerunt, intra modicum tempus defecerunt illi & plebem trucidarunt. Itémque cùm Lacedæmoniorum partes potius quàm Meseniorum secuti fuissent, intra modicum tempus, Lacedæmonij, subactis Meseniis, oppugnarunt Athenienses. Suspiciari autem possit aliquis, neminē infamē fieri solere Athenis iniustè. Ego tamen qui iniustè infames facti fuerint, scio, sed paucos quosdã. Verùm qui popularē Athenis administrationē inuadere velint, eos paucos esse nō oportet. Præterea sic quoq; res sese habet, vt nihil cogitent amplius ij qui iustè infames facti sint, sed ij modò qui iniustè. Sed quomodo existimet aliquis infamari iniustè multitudinē Athenis? vbi est vulgus quod magistratus gerit. At eò infamia Athenis existit, quòd imperia iniusta sint, aut dicatur fiat-ve aliquid improbé. Hoc qui cògitare voluërit, reperiet nihil Athenis ab infamibus periculi esse posse.



XENOPHONTIS DE
PRÆFECTURA SEVDI-
SCIPLINA EQVESTRI,
Liber.



PRIMUM quidem rem facies diuinā & precabere deos vt largiantur tibi facultatem intelligendi dicendique atque agendi ea, de quibus, & diis gratissimum sit futurum imperium tuum, & tibi amicis que ac reipub. acceptissimum & gloriosissimum, omnique à parte maximè vtile. Placatis diis equites contrahes, simul vt lege præfinitus numerus compleatur, simul ne collectus equitatus minuatur. Quod si non ad priores assiduò alios adieceris, pauciores semper equites habiturus es. Necessè est enim quosdam ætate deficere, quosdam verò alia quoque ratione decedere. Equitatu iam completo, adhibenda cura est vt sic alantur equi ne labores perferre non possint. Nam laborum impatiētes neque capere neque effugere queant. Curabitur item vt commodi sint, nā contumaces magis hostium quàm suorum partes adiuuant. Etiam equi, qui cū equitem susceperunt calcitrones sunt, remouebuntur. Sæpe enim numero hi maioris cladis autores sunt quàm ipsi hostes. pedum quoque diligens cura habenda est, vt & in salebris & aspera regione agitari possint, cū certum sit vbicunque in agitatione dolorem sentiat equus, ibi vsui eum esse nullius. Cū equi fuerint quales esse oportet, tum & equites exercebuntur. Primū in equos vt insilire sciant. Multis enim iam

M m ij

salus in hoc constitit. Utque deinde qualibuscunque in locis equitare possint, & hostes enim aliâs aliis in locis versantur. Vbi iam in equis sedebunt, considerandum est possintne quàm longissimè iaculari ex equis, & alia facere quæ equestres viros oportet. Post hæc armandi erunt tam equi quàm equites, ita quidem ut ipsi minimè sauciantur, hostes autem maximè lædant. Perficiendum deinde ut equites morigeri sint. absque enim hoc nihil est profus utilitatis, neque in bonis equis, neque his infidelibus equitibus, neque armis præclaris. Atque horum, rectè ut administrantur omnia, præcipua quidem cura incumbit præfecto equitibus. Quia verò ciuitas, non ignara quàm difficilis res sit, omnia hæc præfectum obire atque exequi solum, tribunos creat quorum opera ille utatur, decernitque ut simul etiam publicum consilium curam gerat equitatus. Ideo expedire iudico, ut habeas & tribunos ita instructos, ne in laude equitatus concilianda à studio tuo dissentiant: & oratores idoneos qui cum in consilio verbis equites terreant, nam in metu si fuerint, veteris illis commodioribus, tum consilium mitigent, si in tempestiuè fortè irascatur. Hæc igitur præcepta sunt eorum quæ curare te oportet. quo pacto autem singula rectè peragantur, nunc deinceps explicare conabor. Ac equites quidem ascisces secundum legem cum corporibus tum facultatibus eximios, vel in ius vocando vel persuadendo. In ius autem vocandos eos censeo, in quibus nulla suspicio quæstus futura esse videatur, etenim impotentioribus quod prætendant, defuturum non sit, si potentiores non in primis adacti fuisse dicantur. Præterea & oratione adolescentes, si quis apud eos verba faciat de splendore rei equestris, facile ad cupiditatem equitandi adducturus esse mihi videtur. Eos autem in quorū hi potestate sunt, minimè habiturus refragantes, si ostendat eis, futurum omnino ut equos alere cogantur, si nō tuis fortè auspiciis, at alterius, propterea quod pecunia abundant. Quod si te ductore equos conscendant, te filios eorum à sumtuosis

sumtuosis, & insanis equorum emtionibus auersurum, operamque daturum esse, vt rei equestris quàm primùm scientiam adipiscantur. Verùm cum hæc ad hunc modum dices, re etiam præstare conaberis. Equitibus qui iã contracti fuerint, si consilium denunciari, fore vt & deinceps equitationes duplicentur, & eum equum qui illas exequi nequeat reiectum iri, videtur mihi hoc perfecturum, vt cum maiore diligentia equi & alantur & curentur. Etiam hoc profuturum existimo, vt proclametur, indomitos equos reiectum iri. Hæc enim interminatio perficiet, vt quisque talem equum vendere properaturus sit, & annisurus vt sibi comparet moderatiorem. Expedi & hoc proclamari, reiectum iri equos calcitrantes in equitationibus. Tales enim instrui in acie nequeunt, estque necesse hos, si quando in hostes ducendum sit, vltimos sequi, ita fit vt propter equi improbitatem nullus etiam sit equitis vsus. De pedibus equorum vt hi sint firmissimi, si quis meliorem & faciliorem habet rationem, eam sequatur licet: si non habet, me audiat hæc expertum, effusim sternenda esse saxa de via accepta, quasi libræ pondere plus minus. His insistentem equum destrungi oportebit cum à præsepi recesserit, nam per illa ingredi non cessabit, siue destringatur seu exagitetur. Huius rei qui periculum fecerit, & aliis quæ memoro fidem habebit, & cernet rotundos pedes equorum reddi. Postea verò quàm equi ij fuerint qui esse debent, qua ratione equites quoque præstantissimi futuri sint, nunc exponere incipiam. Ac iunioribus quidem inter illos persuadere studebimus, vt insilire in equos discant: tibi autem laudem pariet si huius rei doctorem ipsis comparaueris. At senioribus rectissimè consulueris, si asuefacias vt vnus alterum, Persico more, in equum imponere sciat. Vt autem in quibuslibet locis insidere equis norint, si crebritate educendi turmas, extra belli tēpora, perficere velis, fortasse hoc odiosum esse videatur. Cōuocatis igitur equitibus hortabere illos vt sese exerceāt in agitationibus siue in patria seu alibi iter faciē-

dum sit, declinando de via & equos incitando in quilibet locis. Hoc parem vtilitatem habet eductionibus turmarum, sed minus est odiosum. Non fuerit alienum & hoc illis subiicere, quòd ciuitas sumtus sustineat, qui in copias equestres annui fiant, ad sestertia DCCCCLX. ne si bellum ortum sit, cogatur equitatum conquirere, sed vt in promptu sit vti parato. Hæc enim considerantes equites, verisimile est maius studium in rem equestre impensuros esse, vt bello excitato, non iam inexercitatos dimicare necesse sit, & de patria, & de laude, & de vita ipsa. Proderit etiã prædicere equitibus te ipsum turmas aliquando educere & variis in locis præire velle. In meditationibus etiam cõtrariarum agitationú rectè fit cùm turmæ aliàs aliò educuntur, hoc enim equis & equitibus cõducit. Equestres autè iaculationes, vt mea fert opinio, plurimi ita perdiscēt, si hoc prædixeris tribunis, quòd ipsi iaculatoribus de tribu sua, ad iaculationem ductores futuri sint. Ita enim quemadmodum videtur, ambitiosè curabunt, vt quamplurimos iaculatores de sua tribu patriæ exhibere possint. Verùm vt præclara arma habeant equites, ad id plurimum adiumenti attulerint tribuni, si persuasum illis sit, multò ad ciuitatem gloriosius esse tribu splendida, quàm suo quenque ornatu conspicuum esse. Hoc etiam ipsis haud difficulter persuaderi posse crediderim, quippe qui gloriæ & honoris cupiditate tribunatum appetiuerint. Poterūt autem arma secundum legem imperare, & absque impensis suis cogere equites, vt de mercedibus sibi arma secundum legis præscriptionem parent. Vt verò libenter imperata faciant imperio subiecti, multum momenti habebunt præcepta, si verbis demonstraretur quantum boni afferat parère magistratibus, multum etiam re ipsa proficietur, si commodis augeantur morigeri, minúsque semper tribuatur immorigeris. Maximam autem vim ad incitãdos tribunos, vt illi quàm optimè instructi, suam quisque tribum ducere velint, in eo esse existimo, vt antecursores quos circum esse volueris,

ris, eos quampræclarissimis armis exornes, & cogas maximè iaculationibus uti, utque iaculationū his etiam autor sis ipse diligentissimè meditatus. Quòd si quis etiam possit præmia proponere, omnium quæ laudabiliter in spectaculis exerceri ab equitatu putantur, hunc ego arbitrator omnes facillè Athenienses ad studia contentionum conuersurum esse. Declarant hoc ludorum apparatus, cum ob modica præmia & multi labores & magnæ impensæ tolerètur. Iudices autem reperiendi sunt tales apud quos vincere pulcherrimum sibi esse omnes existiment. In his verò iam vniuersis exercitatos equites, gnaros etiam ordinis esse oportet, quòd & in deorum festiuitatibus & aliis equitationibus venustissimè, & in præliis fortissimè, si res postulet, & quàm expeditissimè atque imperturbatissimè in via versari, & interclusa penetrare possint. Cuius itaque ordinis vsurpatione hæc mihi omnia rectissimè executuri esse videantur, eum nunc indicare tentabo. Cum sint igitur in ciuitate distinctæ tribus, censeo ego primùm de his decuriones constitui oportere, singulos secundum tribuni iudicium, ex eorum numero, qui & ætate vigent & ardent cupiditate faciendi audendique aliquid laude dignum, atque hos principes esse conueniet. Postea verò pares his numero ex maximis nati & prudentissimis deligètur, qui in decuriis vltimo loco current. Nam & ferrum, si hac comparatione vtendum est, ita maximè ferrum scindit, cum priore parte sui mediocriter validum, posteriore non deficit. At medios inter primos & vltimos, vbi decuriones qui proximè assistant, legerint, & cæteri ita subsequantur, hac maximè ratione proximū qui fidelissimè assistat quisque habiturus videtur. Ductorem autem omnibus modis constitui oportebit virum strenuum. Nam hic fortis, siue in hostes ducendum sit, cohortatione sua virtutem præcedentibus addere, seu tempus incidat ut cum suis sese recipiat, ducendo consideratè, meliùs tribules conseruare posse videatur. Iam decuriones pares numero si fuerint, in plures partes

æquales diuisionem admittāt,quàm si impares. Hæc ordinatio hanc ob causam mihi placet. Primum quia principes ita omnes cum imperio futuri sunt, qui autem cum imperio sunt, ij magis ad se pertinere putant vt laudabiliter se gerant, quàm si essent priuati. Etiam si quid agendū sit, efficacior est denunciatio, quæ fit apud eos qui cum imperio sunt, quàm ea quæ apud priuatos. Ita ordinibus instructis, quemadmodum à præfecto tribunis prædici solet quo quisque loco vehatur, sic & decurionibus denunciabitur quo quisque loco pergat. Hæc enim si illis indicata fuerint, melior multo in turmis ordo erit, quàm si tanquam de theatro temere exeuntes sese mutuò offenderent. Paratiores etiam animis ad pugnam ita erunt tam primi, si qua vis aduersa fortè inferatur, quippe qui suum illum locum esse sciāt, quàm vltimi, si à tergo, non ignari quàm turpe sit deserere locum suum. Ordine autem neglecto cum hoc ipsum turbationis, tam angustis in locis quàm si interclusa penetranda sint, causa esse, tum sua se sponte hostibus nullus ferè in prælio opponere solet. Atque hæc quidem omnia cōuenit ab vniuersis equitibus parata esse, vt operam sine recusatione nauent ductoribus. Quæ autem deinceps dicentur, ea peculiariter ad præfecti curam pertinent. Primum vt sacra litètur pro totius equitatus salute, deinde vt ille celebrationes festorum dierū maximè spectabiles reddat, atque in aliis, quæ exhibenda populo sunt, annitatur, vt quàm fieri possit splendidissimè illa exhibeantur, tam in Academia quàm Lyceo, quàm etiā Phalero, & Hippodromo. Sed alij horum commentarij fuerint. Ego verò quo pacto cuncta quàm rectissimè administrari possint, nunc commemorabo. Festiuitatum celebratio & iis ipsis & spectatoribus gratissima erit, si, quotquot fana atque signa in foro stāt, orsi equites à Mercurialibus, circum forum & fana vehantur, in honorè deorum. Nam & Dionysiis, chori gratificationis operam impendunt & aliis diis, & iis qui duodecim vocantur. vbi circumuecti ad Mercurialia signa
redi

redierint, hinc iam mihi placet vt per tribus incitetur ad celeritatem equi vsque ad Eleusinium. Neque hoc prætermittam, quid de hastis fieri debeat, ne sibi illæ mutuo impingantur. Debent enim hæ intra singulorum equorum aures teneri, vt simul & aspectu terribiles & explicatu faciles sint, simul etiam vt plures esse videantur. Peracta celeritatis agitatione, tum deinde aliter iam ad fana cominùs, quàm priùs quoque, inuehetur. Atque ita quicquid est in equo cui eques infidet, id totum exhibitum fuerit & dis & hominibus. Neque me fugit, ad hæc facienda minimè assuetos equites, ita tamen sentio, fortium illa virorum, & speciosa & spectatoribus iucunda esse. Animaduerto & hoc, quòd equites alia quoque certamina noua instituerint, vbi illis persuadere præfecti potuerunt ea quæ fortè voluissent. Verùm in agitatione antequam iacula emittant in Lyceo, bellum fuerit vtrasque tribus quinque à fronte prouehi quasi ad prælium, præfecto atque decurionibus ducentibus, eo ordine quo spacij latitudo expleatur. Vbi verò caput aduersi theatri superaerint, existimo commodum visum iri, si quocunque coniunctos equites, mediocriter gnaros agitationis celeris, exhibeas in decliui cursu. Neque dubium mihi est, quin admodum cupidè exhibituri in hoc se sint, qui se posse celeriter vehi credent. Inexercitatis autem videndum ne hoc se aliquando experiri hostes cogant. Atque in delectibus qui ordo speciosæ equitationis futurus sit, dictum est. Quòd si ductor, dominus ille quidem equi validi, in exteriore semper serie circumuehatur, fit vt & ipse & qui vnà cum illo exterioriùs conspiciuntur, cursum semper accelerent. Itaque & consilium quicquid velociter agitur contemplari semper poterit, & equi viribus in permutatione quietis non deficiet. Verùm in Hippodromo cum edendum spectaculum fuerit, pulcritudinem tum habebit ea instructio qua compleatur à fronte equis Hippodromus, & è medio exigantur homines. Bellum & hoc erit, si in cõtraria equitatione fugientibus inter se & per-

sequētibus celeriter tribubus, ductoribus quidem præfectis, vtrinque instructæ tribus per sese mutuò perequēt. Nam in hoc spectaculo contrariarum frontium inuectio terribilis, & equitatio talis vt Hippodromi spacio confecto contra se rursus consistant, elegans, & ad tubæ alterum cantum incitata prouectio decora videtur esse. Tum verò consistentes, vbi tertio tuba signum datum fuerit, quamconcitatissimo cursu contra se mutuò ferri oportet, ita vt post perequitationem soluto ordine vniuersi iam in phalange consistent, eo modo quo ad cõsiliu solentis aduehi. Horu formam & bellicosiore & magis nouam visum iri arbitror. Vt autẽ tardius inuehatur tribunis, & eadẽ qua illi equitatione vtatur præfectus, id illius imperio nõ fuerit dignum. In equitatione verò succussatoria Academiae hæc obseruanda censeo. In agitatione equites ne delabantur ex equis sese resupinare debebunt. Equi autem ne ruant, in conuersionibus continendi sunt. Per ardua quidem loca equi agentur velociter, ita enim & tutum & iucundum Cõsilio spectaculum futurum est. In itineribus prospicere præfectum semper oportet, vt & dorsis equorum consulat, & ab ingressionibus quietem conciliet equitibus, in mediocritate vecturæ simul ac incessus. Mediocritas autem attentum non facile fugerit. in vnoquoque enim ipso mediocritas est, ne per ignorantiam nimio labore oneretur. Si iter fiet vbi nescias an hostibus occursum sis, vicissim quies cõciliabitur tribubus. Nam vniuersis fortè equis vacuis, si tum hostes adueniant, plena discrimine res futura sit. Cùm per loca angusta trãseundum erit, sic duces vt in cornu extendi aciem iubeas. Sin nactus fueris vias patètes, iubebis rursus frontem vniuscuiusque tribus dilatari. Vbi deuentum fuerit in campum, phalangem de omnibus tribubus cõstitues. Hoc & exercitij causa facere vtile, & iucundius est iter conficere per varietatem ordinum equestrium. Cùm extra viam vehemini, admodum prodest tam in hostium quàm beneuolentiũ solo, præmitti singularum tribuum

famu

famulitia, qui si fortè in inuios saltus inciderint, discedentes ad peruios ostendant equitibus quâ agendi equi sint, ne toti ordines oberrare cogantur. Sin per suspecta loca quæpiam vehemini, debet prudēs præfectus præmittere alios antepræmissis ad itinera hostiū vestiganda. Est tam ad inuasionem quàm custodiam vtile & hoc, vt in transfundo interclusa loca, sese mutuò opperiātur, ne postremi persequendo ducē, equos obrundant. Atque hæc ferme omnibus quidem nota sunt, sed curæ laborem tolerare plerique nolunt. Est præfecti & hæc cura propria, vt in pace notitiam sibi comparet regionis, tam hostiū quàm beneuolentiū, qua ipse vbi fortè carebit, at alios quorumlibet locorum peritissimos assumet. Plurimum enim interest inter ductorem locorum peritum & non peritum, & ad insidias hostibus struendas, peritus locorum imperito longè præstat. Cura etiam exploratorum suscipienda est ante bellum, vt illi suppetant ex ciuitatibus vtrisque beneuolentibus, itémque ex mercatoribus. Etenim qui aliquid important, eos ciuitates ferè vt beneuolentes admittunt. Ficti etiam transfugæ interdum profunt. Verùm exploratoribus nunquam fidei tantum haberi conuenit, vt custodiæ minor cura sit. Ac potius ita semper omnia instructa esse debent, ac si aduentus hostium nunciatus esset. Nam exploratores quamuis fideles fuerint, vix tamen vnquam satis oportunum nuncium afferre possunt, cùm multa in bellis impedimenta incidere soleant. Educi equitem minùs persentiscent hostes, si eductio denunciatur, non proclametur per præconem, aut tabella proposita indicetur. Ad hoc autem vt eductio denunciatur, proderit & decuriones constituere, & his quincuriones, vt ita appellem, addere, vt ad quampaucissimos denunciatio perueniat. Atque frontē quoque, ita tēpore ferente, instructarū copiarum, quincuriones illi procedentes absque perturbatione inprimis dilatauerint. In custodiis præstituendis maximè probantur mihi omnibus temporibus occultæ speculationes atque custodiæ. Hac ratione

enim simul & exercitus custodias habet, & hostibus insidiaz struuntur. Atque custodes ipsi minùs circūueniri possunt cū nō apparent, & ita hostibus sunt formidabiliores. Nā scire esse quidē alicubi custodias, vbi verò sint & quā copiosā, ignorare, id & fidenti animo hostes esse prohibet, & omnia loca suspecta habere cogit. At custodiaz manifestæ, apertas habēt tam terroris quā confidētiæ causas. Præterea si quis occultas custodias locarit, huic licet paucis quibusdam manifestis præcedētibus occultas, tentare vt in insidias hostes pelliciat. Ad prædam capiendā confert & hoc, post occultas, aliis interdū manifestis custodiis vti. Pariter enim hoc atque id quod paulò antè memorauimus, ad imponendum hostibus valet. Omnino prudētis ductoris est, nunquā se vltro in periculū coniicere, nisi fortè certū & exploratū fuerit quod superior hostibus sit futurus. Administrum verò esse hostium ad voluptatē maximam ipsorum, proditio sociorū veriùs quā fortitudo iudicetur. Considerationis & hoc, eò erumpere, vbi minimæ vires hostium fuerint, etiam si longiùs progredi cogaris. Nam laborem vehementem suscipere, minus periculi habet, quā cum potioribus dimicare. Si tamen aliquando hostes in medios tuorū muros irruperint, quāuis potiores hi fuerint, honestū tamen in vtracunque parte assis de improviso eos aggredi, vel etiam ab vtraque simul. Recipiēte enim altero se latere, qui ita ab altero inuehentur, ij & hostes facillè turbarint, & suos conseruarint. Quantum boni quidem in eo, sit, vt per exploratores nota nobis fieri consilia hostium studeamus, iamdudum dictum est. Ego verò omnium optimum esse censeo, vt ipse coneris, si quando tutò contemplari liceat, aliquid errati apud hostes depræhendere. Ac in quibus furto locus fuerit, ad ea idonei ad furta, quod verò rapi poterit, ad id raptores mittentur. Si iter aliquopiam facientibus hostibus, relinquatur quasi suspēsa pars illic quædam copiarum, aut ferociter dispersa separetur, id magnopere animaduertendū, ita tamen semper

per vt maioribus viribus captentur minores. Hæc autem intelligere illi qui attendere animum voluerit, facile, quippe cum longè cōsilio infirmiores hominibus bestia, vt miluij sciant incustodita rapere & priùs sese in tuta recipere quàm capiantur. & lupi, destitutas custodibus pecudes venentur & latitantes alias auferant clam: qui, si insequens appropinquet canis, fueritque viribus inferior, in hunc quoque impetum faciunt, sin canis superior fuerit, iugulata præda discedunt. Vbi verò custodiam lupi contemnere aliquando ausi fuerunt, ibi sic operis distributis, vt alij custodiam reprimant, alij rapiant, hoc modo victū acquirunt. Quòd si bestia talem prudentiam in prædando adhibere possunt, an non hominem sapientiorem se illis ostendere æquum esse videatur, quippe cuius arte illæ etiam capiuntur. Ad equestris hominis cognitionem pertinet & hoc, non ignorate de quanto spacio equus peditem assequi, & de quanto spacio tardi equi ante veloces fuga elabi possint. Præfecti autem propria est scientia eorum locorum in quibus pedites equitibus, & contra in quibus equites peditibus præferedi. Oportet hunc etiam mirabilium operum artificem esse, & posse perficere vt nunc pauci equites appareant multi, & contra multi vt speciem habeant paucorum. Item videri abesse cum affit, & adesse cum absit. Neque gnarum esse modò hostes decipiendi, sed clam suis quoque de improviso illos adoriendi. Præclarum opus est, cum inferior fortè sis viribus, hostibus metum incutere posse, ne te adoriantur: cum superior, fiduciam præbere, vt adoriantur. Ita enim & tu malo nequaquam afficiaris, & hostes maximè in errore depræhendas. Ne quis verò te præcipere existimet ea quæ præstari nequeant, quomodo aliquis ea quoque exequatur quæ putantur difficilima, id etiam perscribam. Ne quis igitur fallatur in persequendo aut digrediendo, ita fiet, si vires equi noti sint. Quo autem pacto hæ cognoscantur? Si quis animum attendat in contrariis apud suos equitationibus, quales illæ esse soleant tam in persequen-

do quàm refugiendo. Cùm verò voluëris præbere speciẽ multorum equitum, primùm obseruabis, si fieri poterit, vnum, ne prope hostes fraudem tentes. Nam in maiore distantia & minus periculi & plus fallaciæ esse solet. Post hæc nosse debes, quòd in agmine denso equi plures esse videantur propter animantis granditatem, disperforum autem numerus fit manifestus. Præterea maiores copix equestres quàm sunt, ita etiam apparebunt, si inter equites curatores equorum locaueris, maximè quidem cum hastis, sed si hastæ desint, cum similitudine aliqua hastarum, siue consistere siue traducere copias velis. Necessè enim est molem ordinum ita videri maiorem ac pleniorẽ. Rursum si multi opinionem paucorum præbere debeant, fueritque locus ad occultationes idoneus, nimirum in patentibus quosdam ostendens, quosdam in occultis abscondens, ita subtrahere equites poteris. Sin fuerit totus locus expositus oculis, distribuetur tum equitatus in decurias, quæ per interualla quædam traducantur, atque eas decurias quæ ante hostes erunt, tenere oportebit hastas erectas, alios autem demissas & nequaquam elatas. Terrere licet hostes & insidiis fictis & auxiliis fictis, & falsis nunciis. Tum autem hostes confidentissimi sunt, cùm aduersarios negociosos & occupatos esse audiunt. His expositis tuum iam fuerit, semper aliquam aptam struere fallaciam. Nihil enim profectò in bello maiorem vtilitatem habet quàm fallaciæ. Cùm verò pueri in lusu, possint suos specie aliqua fallere, vt paucos qui habeant, plures habere videantur, & præferentes plures, vt existimentur habere pauciores: quid vetet viros aduertentes animum, similia componere? Qui quidem compræhendere cogitatione voluërit quæ in bellis ex hostibus capta dicuntur, eorum plurima atque maxima fraude parta fuisse reperiet. Quapropter aut non capeffendum imperium est, aut & vt hoc quoque contingat, dij orandi sunt, & ipsi tibi annitendum. Quibus locis mare vicinum est, fallaciã habet & nauigiis apparatis, terrã rem gerere, & in simulatione

latione insidiarum terrestrium, mari aggredi. Etiam hoc fuerit præfecti opus, docere ciuitatem, equitatum solum absque peditatu, per esse imbecillem, vt coniungere equites cum peditibus possit. Sed & hoc officium præfecti, scire peditibus traditis rectè vti. Licebit autem pedites non modò inter equites, sed post hos etiam oculere, nam eques pediti altitudine præstat. Atque hæc vniuersa, & si qua præterea molitus aliquis fuerit, in cupiditate potiendi hostium, vel vi vel arte, cõsulo propicio vt Deo agantur, vt felicibus cum diis, fortuna quoque prædicetur. Est nonnunquam, nimia etiam cautio & simulatio fugæ periculorum, apposita ad fallendum, cùm ita hostes citiùs inducantur, vt neglectis custodiis perperam rem gerant. Verùm qui semel appetens periculorum esse visus fuerit, is etiam acquiescens simulare aliquid se gerere vellet, atque ita negocium hostibus faceßere poterit. Nihil autem est rerum omnium quod fingere vlli concedatur sicut ipse vult, nisi de quibus fingi debet, ea ita præparata sint, vt opificis sententiæ obsequantur, quo minus de hominibus hoc perficietur, nisi, Deo fauente, ita præparati illi fuerint, vt & benevolentia eũ cuius imperio subditi sunt, prosequantur, & prudētius aduersus hostes quasi ipsi officio ducis fungantur. Verisimile autē est eũ qui imperiũ tenet, hoc etiã nomine subditis cariorē reddi, si humanitate illos cõplexus, prospicere videatur, nequãdo cibus his desit, & vt tutò se recipere & securè quietē capere possint. In præsidiis debet præfectus declarare susceptã curam, & pabuli, & tabernaculorũ, & aquæ, & custodiæ, & aliorũ necessariorũ, quòdque & prospiciat & vigilet pro suis. Lucrosum etiã est præposito aliis, si quo abũdet id impertiri suis. Minimè autē contemnetur is qui cū imperio est, vbi, quæ alios facere iusserit, ea, vt semel omnia dicam, facere ipsum illis meliùs constabit. Quocirca excerceri equestria ab hoc omnino oportebit, exordio sumto ab insensione equorum, vt videant præfectum suum posse in equo & fossas sine offensa traicere, & muros superare, &

de collibus se demittere, & iaculationibus satisfacere. cuncta enim hæc proficiunt aliquid ad contemptum tollendū. Iam si cognouerint & hæc illum exequi scire, & posse præstare vt potiores sint hostibus, & ad hæc insuper in animum induxerint, quod neque temerè, neque sine numine deorum, neque refragantibus extis, in hostes vnquam ducturus sit, sit propter vniuersa hæc vt magis studiosè parere velint. Prudentem sanè esse vnumquemuis imperio præditum, sed præfectū equitibus populi Atheniësis, præstare omnibus decet, & deorum immortalium cultu & vsu rei bellicæ. Quippe cui sint finitimi aduersarij, cùm equites pares numero, tum pedites multi. Ac si in agrum hostium sine reliqua ciuitate, irruptionem facere conetur, aduersus ambos solo equitatu periclitandum. Sin hostes in agrum Atticum irruptionem faciant, primum non aliter aderunt, quàm vbi aliorum equitatu suū prius auxerint, deinde nisi cum ea vi legionum, cui vniuersos Athenienses pugnando pares non fore existimēt. Aduersus igitur tantam hostium multitudinem, si tota ciuitas prodeat suppetias latura patriæ, spem cōcipere præclaram liceat. Nostri enim equites, Dei beneficio, meliores, si quis illorum conuenientem curam gerat, & legionarij non pauciores futuri sint: neque illi corporibus deterioribus, & animis cupidioribus laudis præditi, si adiuuante Deo rectè exercentur. Quin etiam ad maiores quidem certè quod attinet, non minùs superbire licet Atheniensibus quàm Bœotis. Veruntamen si ciuitas conuerso ad rem nauticam studio, satis habeat mœnia tueri, quemadmodū cùm Lacedæmonij adiunctis Græcis vniuersis impressionem in Atticam fecerunt, & velit equites loca extra urbem tueri, & ipsos solos aduersus cūctos hostes periclitari, hîc iam primum, vt opinor, valde deorum auxilio opus est futurum, deinde ipsum præfectum esse perfectum virum conuenit. Nam & prudentia magna cōtra plures, & audacia quoque, si tempus ferat, vsurpanda. Oportet etiam præfectum cum esse qui labores perpeti possit.

possit. Etenim aduersus eum exercitum qui tantus sit, vt cum eo ne tota quidem ciuitas congregari velit, periclitās, passurus nimirum ea quæ potiores voluerint, ad nullum autem facinus edendum satis futurus sit. Sin extra urbem loca custodiat, cum tot equitibus quot ad obseruandos hostes sufficere, & se in tuta recipere possint, quoad concedetur, sarciet defectus. Non minus autem pauci ad prospicienda quæ oportet satis sunt quàm multi. Et ad custodias, & ad suos in tempore reducendos, idonei quoque sunt, qui neque sibi neque equis suis satis fidunt. Nam metus satis esse bonus socius custodiæ videtur, atque ex his rectè consuluerit, qui custodes designarit. Qui super fuerint autem custodiæ, eos si quis vt exercitum considerarit, ei admodum pauci videbuntur, & omnia deerunt ad iustum prælium aperto Marte committendum. Sin his vti voluerit tanquam latronibus, satis superque magnas ad hoc copias habebit. Par est autem, meo iudicio, habere suos paratos semper ad aliquid patrandum, in occultoque esse & obseruare peccata exercitus hostilis. Hæc autem eò crebriora accidere consuevere, quò maior est militum copia. Aut enim pabulatum profecti negligentius disperguntur: aut iter facientes sine ordine, alij procurrunt, alij longius quàm tempus fert, relinquuntur. Quæ peccata pati esse impunita, nequaquam par fuerit (nisi totam regionem instar castrorum esse velis) semper hoc tamen pulchrè prouidendum, facinore edito, prius receptum vt matures, quàm aduentent ad auxilium ferendum copiarum aduersariorum. Sæpe etiam iter faciens exercitus incidit in ea loca, in quibus multi ac pauci idem valent. Et in locis interclusis, animum attendenti, & extra discrimen insequenti, conceditur, vt quasi depromat sibi, quotcunque voluerit de hostium numero aggredi. Est etiam cum rectè impetus fit, & in castrametantes & prandentes & apparantes cœnam, & de lecto quoque surgentes. His enim temporibus omnibus inermes esse milites solent, breuiore quidem pedites, equites

verò longiore. Per explorationes sanè & custodum præmissiones , nunquam struere insidias intermittendum. hi enim pauci semper sunt , & à robore exercitus interdum longè absunt. Vbi verò in his sibi bene iam cauerint hostes , præclarum est , Deo adiuuante , in hostilem regionem occultè peruadere , non inexpertum quor in quibusvis locis , & in quibus illis præmitti custodes soleant. Nulla enim ita pulcra præda est , atque custodia- rum , si capi illas contingat. Et sunt quoque custodes ij qui facilè decipiuntur. statim enim conspectis paucis ad persequendum se incitant , quòd hoc sibi demandatum esse existiment. Receptus ne incidant in eos qui suis succurrent , magnopere videndum. ij verò qui perficere possint , vt multò potiores copias , ipsi aliquo detrimento afficiant , planè in ea excellentia sint necesse est , vt ipsi quidem exercitatissimi ac tanquam pugiles in re equestri , hostes verò vt veluti quidam de plebe imperita esse videantur. Hoc autem ita consequentur , primùm si prædas acturi , ad agitationes multo labore præparati fuerint , vt militaria onera sustinere queant. Nam qui hac cura deficiuntur , tam equi quàm viri , hos nihil mirum fuerit tales esse bellatores , quales scæminas aduersus mares. Edocti autem & assuefacti , ad transiliendum fossas , & transgrediendum muros , & subsiliendum in colles , & tutò de sublimibus locis descendendum , & contra accliuia celeriter agitandum , ij iam inexercitatis & imperitis horum tantum præstiterint , quantum volucres pedestribus. Itémque ij quorum pedes labore corroborati fuerint , minus per aspera tritis , quàm sani claudis : itémque locorum gnari ignaris , tantum in procurfionibus & receptibus præstiterint , quantum videntes cæcis. Sciendum autem , equos commodæ vecturæ , & non confectos labore , ita vt in defatigatione anima intercludatur , pro bene instructis habendos esse. Freni & ephippia cum de loris concinnentur , nunquam committet præfectus vt horum expers sit. Nam paruis impensis carentes his v-
tiles

tiles reddiderit. Quod si quis existimet, nimis esse operosam talem rei equestris exercitationē, is cogitet, eos qui ad gymnica certamina exercentur, multò plus molestiæ & difficultatis suscipere, quàm eos qui vel inprimis studeant rei equestri. Etenim pleraque certaminū gymnico-
rum exercitia cum sudore fiunt: Res equestris verò magna ex parte voluptatem complectitur. Quòd enim optare aliquis posset, vt volucré fieri concederetur, huic nulla alia res rerū humanarum similior esse videatur. Atqui in bello quidem certè vincere gloriosius multò quàm cæstibus. Qua tamē & ipsa laude ciuitas nostra non caret. Enimvero ipsi dij belli victoria atque felicitate ciuitates ferè coronāt: Vt mihi profectò nihil in mentē veniat, cur vllarū rerum exercitatio, studio bellico præponi debeat. Considerandū & hoc, quòd maritimi prædones propterea quia laboribus exercitati sunt, victū sibi à multò potioribus parent. Atque conuenit hos etiam terrā suis rebus fruentes, ob alimonix penuriam prædas facere. Nam aut opus faciendū, aut de opere partis cibus suppedirandus, aliter neque viuere, neque pacē habere, facile. Meminisse etiam par est, ne vnquā petas potiores, relictis à tergo locis quæ transire difficilè sit. Nam non est par frustrationis periculū in fuga & infecutione. Præterea & hoc subiiciendum duxi. Quidam enim proficiscētes aduersus eos, quibus se esse potiores arbitrātur, infirmis prorsus copiis vtūtur, itaque sæpe accidit ipsis id, quod aliis se illaturos esse sperauerāt. Aduersus autem eos quibus se inferiores esse planè norunt, omnes suas quascunque habent copias, educunt. At ego diuersum omnino fieri oportere cēseo, vt, cū duxerit aliquis in spe victoriæ copias, ne parcat suis, vtq; totis viribus hostes aggrediatur. Nunquam enim magnæ victoriæ quenquā pœnituit. Contrà si adoriri velit se longè potiores, præuideatque, omnia quæ possit conato terga tamen vertenda, tum multò satius esse aio, vt pauci quàm vt omnes producantur. Erunt tamē illi cū lectissimi equi, tum viri fortissimi. Tales enim & efficere ali-

quid, & tutò se recipere poterunt. Sin aduersus potiores eductis totis copiis, recedendum sit, necesse est agitatores tardiorum equorum capi, imperitos autem equitationum labi, quosdam etiam in salebris adhærescere. nã inuenire spaciosum locum ex animi sententia, difficile. Quin etiam in multitudine impingentes, & incurrentes, magnis incõmodis, se ipsos affecerint. Contrà equi equitèſque boni possunt ipsi per se quoque diffugere, præsertim de reliquis equitibus formidine aliqua persequentibus immissa. Huic rei & fictæ insidiæ conducunt. Vtile etiam viam reperire qua tutò nostri sese hostibus ostendentes, infecutionem reprimant. Ac profectò constat in laborando & accelerando, paucos multis citiùs, quàm multos paucis superiores esse posse. Neque ego dico propter paucitatem aliquos cùm laboriosiores tum velociores futuros, sed quòd faciliùs repereris paucos quàm multos, qui & debitam curam equis impendant, & ipsi studiosè equitationes exercent. Si quando vsu venerit cum paribus numero equitibus vt congregiendum sit, mihi tum non esse inutile futurum videtur, facere duos ordines ex tribu, quorum vnum ducat tribunus, alterum is qui creditur esse præstantissimus. Atque hìc ordinem tribuni claudet ille quidem, donec ad hostes ventum fuerit, tum verò, vbi denunciabitur, inuehetur in illos. Ita enim, vt opinor, cùm maior terror hostibus incutietur, tum minus nostri facilè vincentur. Si vtrique pedites habuerint, cùm hi absconditi post equites, deimprouisò sese ostenderint, & se intulerint, comminùs in hostes, plurimum mihi ita momenti ad victoriam allaturi videntur. Video enim inopinata omnia, bona illa quidem maiorem læticiam, tristitia verò maiorem formidinem afferre. Hæc facilè intellexeritis qui cogitarit, quantopere ij perterreãtur qui in insidias delati fuerint, quamvis ipsi numero plures. Itémque cùm cõtra se hostes castra locarunt, quàm ingens apud vtrosque primis diebus metus sit. Verùm hæc instruere non fuerit difficile. Hoc autem officium præclari

præclari præfecti est, inuenire eos qui & prudenter, & fideliter & animosè, & fortiter in hostes inuehantur. Hunc enim iam & eloquentem satis esse oportet, & ea designare posse, de quibus in eam persuasionem veniant subiecti imperio, quod expediat cum parere tum sequi, tum etiã comminùs cum hostibus congregi, utque illi laudem appetant, & in sententia perseverando durare velint. Si quãdo aut obiectis phalangibus, aut locis vtrisque interiectis, conuersiones faciendæ, itémque infecutiones, & terga etiam vertenda sint, consueuerunt tum plerunque, de conuersionibus lentius concitari vtrique, & per media prouchi quàm celerrimè. His igitur præmòstratis, si quis de conuersionibus insequatur celeriter, & celeriter item se recipiat, is grauissimo damno affecturus hostes, & ipse maximè in tuto futurus esse videatur. Sic quidem celeriter ut insequatur propinquus robori suorum, celeritérque ut se recipiat de robore hostiũ. Iam si quis occultè de singulis ordinibus relinquere possit quaternos aut quinos, strenuissimos tam equos quàm viros, multò iam hi præstiterint si incidant in conuertentes se hostes. Atque hæc vel semel legisse sufficiat, quod res autè in præsentia fortè tulerit, id factis semper exequi & ut sese occasio dederit, ita quod conferat elaborare oportet. Prescribi verò faciendã vniuersã, non magis possunt, quàm sciri omnia euentura. Inter cuncta autem præcepta hoc est optimum, quemadmodũ ego puto, anniti ut quæ quisque expedire cognouerit, ea perfici etiam studeat. Rectè autem intelligentia comprehensã nulla fructum afferunt, neque in agricultura, neque in re nautica, neque in imperio, absque cura executionis. Atque ego hæc aio, propiciis diis, & copias equestres citò compleri posse, ut adducatur numerus equitum ad mille, idque fore ciuibus aliquanto facilius, si ducetos externos inter equites constituant. Mihi enim horum accessio & fideliorem videtur equitatũ, & ambitiosiores inter se omnes de virtute redditura esse. Ac apud Lacedæmonios initium hoc fuisse.

scio gloriæ equitatus, cùm externos equites ascuiissent. Iridémque in aliis ciuitatibus omnibus claros esse externos equites animaduerto. Cupiditatem enim valde excitat vsus illorum. Ad equorum autem precia non defuturam his pecuniam arbitror, à quibusdam mirificè abhorrentibus ab equitando cupidisque persoluere, quibus equitatus statuat pecuniam, ne ipsi equitare cogantur. non certè deerit hæc à locupletibus corporibus minus firmis, & à pupillis, vt reor, potentes domos tenentibus. Sic enim sentio de incolis, aliquos horum relatos inter equites appetentes laudis futuros. Nam in aliis omnibus honestis, quæcunque ciues cum his communicauerint, video ambitiosè quosdam studere imperata facere. Is quoque peditatus adiunctus equitibus plurimum, mea quidem opinione, profecerit, qui fuerit maximè contrarius hostibus. Atque hæc vniuersa accedēte fauore deorum immortalium, ita scilicet successerint. Si quis autem miratur toties me scribendo inculcare auxilium in rebus agendis deorum, is sciat, si pericula sæpius adierit, minùs miraturũ se esse, itémque si cogitarit, in bello aduersarios sibi mutuò insidiari, rarò autem nosse, cuiusmodi sint insidiationes illæ. Atque de his ne reperire quidem possis quem consulas, præter deos. Hi verò norunt omnia, & quibus volunt præsignificant, in extis, per aues, ominibus, somniorum visis. Veri autem simile consulere hos magis velle iis, qui nõ modò cùm vsus postulat, quid fieri oporteat, interrogant, sed qui etiam secundis rebus pro virili sua deos colunt.

NOTA.



NOTATA IN CONVER-
SIONE LIBELLORVM XE-
NOPHONTIS, ET EXPLI-
cata quædam in illis.

QUOD non facere consueui, vt rationem reddam in-
terpretationum mearum, id vt nunc faciendum mihi
putarim, cum studia & hortationes quorundam perfe-
cere, tum crebritas mendorum, quibus interdum coacti
fuimus non tam interpretari Græcum scriptum, quàm nostras
coniecturas exponere. Hanc igitur & ipsam à nobis opellam bo-
narum literarum atque artium studiosi grato animo accipient,
quam etiam, vt esset commendatior, vestiimus explicatiunculis
quibusdam certorum locorum, in quibus fortasse aliquis herere
potuisset.

NOTATA QVÆDAM IN LI-
BELLO DE REPUBLICA
Lacedæmoniorum.

NUNC libellum Laërtius scribit Demetrium Ma-
gnetem negasse composuisse Xenophontem. Ego neque
in argumento neque elocutione quicquam reperio, non
dico indignum hoc autore, sed alienum rationibus ac
voluntati illius. Verum à quocunque compositus fuerit, luculenta
ille quidem narratione, instituta, mores, leges ciuitatis Spartanae
exposuit, & vniuersa sapientissimè ad illam formam reipublicae
excogitata & sancita fuisse docuit. Atque hoc est argumentum
scripti huius. Vbi quidem non ignorandum, ab omnibus veteri-

bas tres formas nominatas reipub. seu ciuitatis, quae Graecè aliquāto commodius appellantur his verbis: μοναρχία, ὀλιγαρχία, δημοκρατία. Est autem δημοκρατία, administratio popularis, quae propriè videtur respublica & πολιτεία dici, populi enim vniuersi atque ciuium communis est. ὀλιγαρχία verò est potestas paucorum, quos cum prestare ceteris ciuibus genere, dignitate, opibus necesse sit, ἀριστοκρατία eadem vocata fuit, id est optimatum, & in reprehensione τιμοκρατία. Sed regnum, id est gubernatio vnius, μοναρχίας verbo notatur, quae si commoda esset, eam βασιλείαν, sin minus, τυρανίδα dixerunt. Et si haec & veteres & noui cōfuderunt. Nam & apud Homerum ille teterrimus rex Echetus βασιλέως nomen habet, ὀδ. σ. & optimi principes τῶν τυράνων in tragediis. Et Æschines, qui & ipse Reipub. haec tria genera, quae ubique gentium vsurpentur, commemorat, τυρανίδα nominat, μοναρχίας loco, in oratione contra Ctesiphontem. Horum generum singulorum laudationes leguntur in Thalia, ubi quidem praefertur aliis regnum. Sed optimus status ciuitatis quibusdam is visus, in quo essent mista haec tria genera, Regium, optimatum, populare: talémque esse fermè Lacedaemoniorum, Aristoteles scripsit secundo libro Politicorum. Sed fuit omnino ὀλιγαρχία cum esset certè potestas omnis penes paucos, à quibus tandem & oppressa fuisse multitudo seruilem in modum traditur, ex quo tempore, id est Atheniensium viribus fractis, sensim auariciae & cupiditatibus optimatum, perturbari status antiquus, & violari disciplina cepit, donec tumultu illo, regnante Agide, & mox Cleomene, penitus debilitata, & conuulsa etiam tyrannica violentia prada fuit. Liuius libro XXXVIII. scribit fuisse sublatam disciplinam Lycurgi cum Lacedaemonem cepisset Philopoëmen, cui per octingentos illi annos asuenissent. Et si semper tamen aliquid maioris seueritatis in Spartanis fuit quàm aliis Graecis. Itaque & in Murrana mentio fit roboris in quo illi accumbentes epularentur. In oratione pro Flacco haec leguntur: Assunt Lacedaemonij, cuius ciuitatis spectata ac nobilitata virtus, non solum natura corroborata, verùm etiam disciplina putatur. Qui soli toto orbe terrarum septingētos iam annos, amplius, vnis moribus & nunquam mutatis legibus viuunt. Quibus autem temporibus vixit

rit Lycurgus, sciri non potest. Plutarchus Lycurgos duos à Timæo historico poni, scripsit. Quorū antiquior iis tēporibus vixerit, quibus Homerus, id quod & Cicero secutus est, is enim in Proœmio v. Tusculan. Homeri temporibus Lycurgum fuisse ait. Pausanias Euristhenis filium, nepotem Aristodemi (quem quintum ab Hercule Herodotus numerat Polymnia) Agidem fuisse scripsit (cuius nomen Hegesios fortè corruptè legitur in Herodoto) & huius filium Echestratum, & huius rursus Labotā. Labota, qui est Leobotes Herodoto, Doryssum (qui mendosè est ut opinor in Herodoto Doryagus) Dorysi Agefilaum, quem Herodotus Hegesileon nominat. Atque huius regis tempore tradit Pausanias, Lacedæmoniorum rempub. sapientia Lycurgi constitutam fuisse, cum quidem esset proavi frater ipsius. Herodotus tutorem Lycurgum regis Leobotæ fratrem patris ipsius, vel tunc è Creta attulisse, vel ab Apolline Delphico accepisse rationem ordinandæ reipub. scripsit libro primo. Quæ ne nimium dissentire videātur, facere potest id quod Pausanias retulit, tam Doryssum quàm Agefilaū in prima etate utrunque obiisse diem suum, ut tum quoque cum regia potestate esse potuerit Lycurgus. Sed utcunque habēant hæc, id quod ad rem pertinet memorat Herodotus, fuisse primis temporibus ciuitatem Lacedæmoniorum pessimè institutā, & deprauatissima vitæ, & abhorrentem ab omni consuetudine externorum. quibus moribus non potuit scilicet fieri, ut opibus & viris illa cresceret. Sed post leges & instructionem Lycurgi celeriter auctam fuisse, & progressiones fecisse ingentes, de quibus Xenophon hæc narrat. Vitur autem exordio quasi abrupto, ut occurrens dubitationi aut respondens dubitationi. Hoc complectitur laudationem singularis sapientie Lycurgi, propria quadam ac peculiari, neque communi cum vlla alia ratione constituendi rempub. Herodotus Pythiæ verbis Apollinis, splēdidissimè exposuit testimonium de Lycurgo, hoc quodam pacto:

Ad nostras Lycoërge ades accedis opimas,
 Quem pater, & cæli tota incola turba deorum
 Diligit. ast ego te dubito & nunc mente requiro
 Esse hominemne deūmne feram responsa daturus.
 Sed magis esse deus dici debere videris.

Atque ita diuina fore menti spes Lycoërge est.

Sufficere ancillas. 431.9. *De Spartanis mulieribus idem quod hoc loco legimus, Cicero retulit libro secundo Tusculan. his verbis: Illi qui Græcia formam rerumpublicarum dederunt, corpora iuuenum firmari labore voluerunt. Quod Spartiata etiam in fæminas transfulerunt, quæ cæteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur. Illi autem voluerunt nihil horum simile esse apud Lacanas virgines, quibus magis palaestra, Eurotas, sol, puluis, labor, militia in studio est, quàm fertilitas barbara. Hæc verò ut corruptelam pudicitiae exagitat senex tragicus, talibus quibusdam versibus, in Andromacha:*

Nesifivelisquidem,

Eritvllacasta virgo Spartani soli.

Quæcumiuuenibus derelicta eunt domo,

Nudofemore patentibusque vestibus,

Adpublicoscursus, palastras & tenent,

Dictunefas, communes. Et mirabimur,

Vosimpudicas educare fæminas?

Coniunctionem suffurentur. 431.21. *βλάπτουεν* legatur in exemplis Græcis, etiam manu scripto uno, mendosè tamen, ut apparet, pro *κλέπτουεν* seu *κλάπτουεν*, quod Philelphus nõ animaduertens, hunc locum vertendo peruertit.

Ad discendũ literas. 432.11. *Plato Theage introducit Socratẽ cum tali percõtatione. An non verò doceri & institui re pater curauit, iis quibus ferè hic honestorũ parentum filij institui solent? Nèpe doctrina literarũ, & fidium, & lucra ac reliquorũ certaminũ. Ex quo Platonis loco, & aliis aliorũ similibus, facile intelligi potest, hæc fuisse liberalis educationis disciplinã, literarũ, musica (quarũ tamen apud priscos diuersa scholã non fuerũ) & palaestra. Aristoteles lib. V I I. Polit. addidit his τλω γαφ πλω.*

Cui & pædonomo. 432.18. *Vt οικονόμων* dixere curatorem rei familiaris, & χειρονόμων qui manibus gestus ederet. & μετρονόμοι Athenis, quorum munus erat, mensuras & pondera, ut iusta essent, curare, ita & Sparta παιδονόμος fuit, puerilis educationis curator.

Si imperatum fuerit. 433.1. *παραγγελλείν*. verbum est militare,

litare, & habet significationem imperij, ut libro historia Græcorum v. οἱ δὲ πάντες ἀνεβόησαν παραγγέλλειν ὅτι ἂν δέοι, ὡς σφῶν ὑπηρετησόντων. Omnes acclamatione sua quicquid imperasset, in eo se dicto audientes fore ostenderunt.

Furandi copiam dedit. 433. 8. De furtis Lacedæmoniorum Plutarchus & hoc retulit. fuisse tantum metum infamia huius in pueris, ut quidam vulpem captam cum celare veste vellet, neque intra illā utraque manu (dissimulare enim studebat, & vulpecula requirebatur) retinere auderet: ne tamen amitteret, perpeffum fuisse mortiferā lacerationē, perroso latere à bestia. cūque postea ex eo fuisset quæsitum, cur non emisisset illam potius? quia enim, inquit deprehendi & puniri turpe. De hoc autem instituto in calidissimos atque astutissimos homines euaserunt eò etiam usque, ut fallere fraudulentè quoque & mendaciter, non dubitarēt aduersarios, idque laudi sibi ducerent. quod & in tragædia iis exprobrat *Andromacha*, hoc quodam modo,

O maximè inuisi omnibus mortalibus,

Spartæ coloni corda semper perfida,

Mendaciorum principes, fraudis mala

Exquisitores, flexiles, sani nihil,

Sed singularia animo agitantes omnia.

Et supplicibus ait *Adrastus*, Spartam suam esse ingenio versipelli, cetera verò parua & infirma.

Plurimum tritici. 433. 22. Hoc loco contra omnium, ne quid dissimulem, exemplorum scripturam, ac *Philelphi* quoque interpretationem, tale quiddam coniecturas nostras secuti, conuertimus. ἢ ὡς πλείους δὴ ἀρπάζουσας πυροὺς καλὸν θεῖς παρῶρθίας ματιγῶν τέρας ἄλλ. Nam & *Plutarchus* tritici, quem furari solerent, meminit. & de *Orthiæ* *Dianæ* simulacro ac puerorum verberatione *Pausanias* etiam copiosè narrauit. Cuius & *Cicero* mentionem fecit in *Tuscul.* Erit autem hac lectione, παρῶρθίας, ἢ ἀλλοιωτικόν, intelligendūque casus proprius præpositionis, Ἐρωῶ. Esi autem non ausim affirmare coniecturam hanc veram esse, tamen propter expositas causas non prorsus futilis visa fuit, & nihil habuimus hac certius neque melius. Fuit autē & solennis verberatio *Spartis*, quam vocarunt διαμασίγωσιν, cuius in

dictis Laconicis meminit Plutarchus. Vnde Spartani plagipatida viri dicuntur à Plauto.

De vnaquaque tribu. 433. 36. Ἴλω dixit. Vocarunt autem Ἴλω proprie turmam, seu alam, quæ appellatio est ordinis equestris. Sed hoc loco distinctionem notat, ut communi quodam intellectu, vel tribum, vel curiam vel etiam classem vertere posse videamur.

In Phiditium. 435. 6. φιδίτιον dixere & locum publicarum epularum & ipsas epulas. Esse autem nomen per δ scribendum, Plutarchus docet in vita Lycurgi.

Nonnihil actum esse. 435. 8. ἀγαπητόν. Si liceat vel respondentis vocem audire, eo aliquem cōtentum esse debere ait, tantum abesse ut ultrò ibi multum loquantur.

Certamina gymnica. 435. 15. Certamina gymnica dixere, quia nudi decertabant, quod fieri cœptum autore Orsippo Megarensi, ut epigramma Grecum testatur.

Hippagretæ. 435. 21. Nomen est factum de coactione equitum, vel conquestione equorum.

Conuictus. 436. 15. σικλιώια factum est verbum de communi victu & habitatione, ut contubernia possimus etiam interpretari.

Multa autem & mirabilia. 436. 18. παράλογα ut παράδοξα, in quibus ratio inuoluitur & heret. Hoc autem loco Græci perperam se habebant, quod Philelphus non animaduertit, cum res ipsa admonere facile potuerit. legendum igitur ita ut nos vertimus, ἀργευομένων, & ἄρτων.

In potu. 436. 22. Perelegantes extant versus Critia de comotationibus sobriis Lacedæmoniorum apud Athenæum lib. x. cuius initium est tale:

Atque etiam Sparte mos est laudabilis iste,
Ut bibat arbitrio pocula quisque suo.

Nocte oppressi. 437. 36. ὀψιδέντες. verbum serotinum quiddam notat. Significatur autem productio venationis ad vesperam.

Liberis. 438. 11. Nam ἑλωτες & opifices seruili conditione apud Lacedæmonios fuerunt.

Sunt igitur Ephori. 439. 13. Ephori fuerunt numero v. constituti annis ferme cxxx. post Lycurgum regnante Theopompo. Fuit autem ἀρχὴ ἐπώνυμος anni, ut Athenis eius qui ἀρχων dictus. Quemadmodum enim, quod ἐπὶ ἀρχοντος factum esse Athenis dicebatur, anno intelligebatur eo factum quo fuisset ἀρχων is cuius nomen adderetur, ita Sparta unius de Ephoris nomine annus indicabatur.

Deum cōsuluisset. 439. 27. Alij etiam ab ipso hunc Apolline leges accepisse tradidere. Plutarchus retulit, cum respossum redditum Delphis fuisset, tamdiu beatam Spartam fore, quoad legibus Lycurgi uteretur, cum discedens iure iurando adstrinxisset ciuitatem ne quid ante redditum suum mutaret, voluntariam mortem Delphis obiiisse.

Huiusmodi pauciores cadere. 439. 35. Secundum hoc, ἰλ. 6. Quos tangit pudor hi vitam plerumque tuentur, Sed fuga nec laudem nouit nec fortia facta.

Virtus & facilior. 440. 2. ῥάων. Hesiodus,

ἐπὶ δὲ εἰς ἀκρόν ἴκηται

ῥηϊδίη δ' ἠπώετα πέλει χαλεπή παρ' ἔῃτα.

Exponunt etiam ῥάων εὐθυμότορος & ἀπήμων, id quod virtuti maximè congruerit, ut hilarior & tutior vocetur.

Fortitudinis causam red. 440. 17. Suspicio potius legendum ἀνοιδῶν πέλας. ut dicat talem domi suæ malè audire, ut timidum. αἰτία enim certè accusationem significat. Quod autem sequitur de vacuo lare, mihi quidem est obscurius, nisi intelligatur & has pœnas dedisse timidos, ut domi perpetuò mulieres suas retinere cogerentur.

De senatoribus. 440. 28. Consilium senum Lacedæmone Senatus fuit, quos Cicero senes vocat, erantque numero xxviii.

Priuari priuatis. 441. 5. ἰδιῶται priuati imperitiue dicuntur, respectu τῶν πολιτευομένων, aut τεχνιῶν, id est eorum que rempub gerunt, aut aliquas artes exercent.

Ciuilem virtutē. 441. 16. Hæ sunt actiones laudis, quibus contraria vitia, que turpia dicuntur. Eademque expetenda & fugienda dicuntur. Sed Platonicus Phædon eandem δημοτικὴν vocat more & usu acquisitam, & longè infra philosophicam vir-

tutem collocat.

Hunc max. bellicum. 442. 4. Hæc sententia videtur, ut Græca ad talem quendam modum legantur, πολεμικώτατι δὲ ἀσπίδα τιώδε εἶναι.

Ciuium ordines. 442. 10. Ita fit ut μόρα habeat χ λ. λόχος, C. πενταχοῦς, id quod & nomen indicat, L. ἐνωμοτία, χ χ ν. ubi sequitur, interdum ad tres, interdum ad sex, hoc loco apparet legisse Philel. τὸ τε μὲν ἐνωμοτίας τρεῖς, τὸ τε δὲ ἕξ, Ego ingenue fateor, mihi totam rem adhuc quidem esse ignotam, etsi nō oscitanter obseruare & animaduertere studui. Spero autem attentione & cura adhibita hæc qualia fuerint, vel nos aliquando vel nobis diligentiore alium reperturum esse.

In quadrato. 443. 17. τετραγώνος non τεταγμένως. & μοχί spectantes cōtra arma. cad. 20. εἶσω ἐλέωσας, id est cōuersas cōtra suos, non intētas in hostes. παρὰ δόρυ, & παρ' ἀσπίδα, Itemque λόχος, generaliter sumus interpretati. λόχος autē certum quēdam ordinem significat, & ἐπὶ δόρυ conuersionem dixere ad dextram, ἐπὶ ἀσπίδα ad sinistram. Extantque de his scripta Eliani.

Sciritarum custodias. 443. 23. Scirita strenuissimi equites fuerunt apud Lacedæmonios, quibus illi etiam minimè parcere in omni militia consueverunt. Est autem hic locus sine dubio mutilus, & sunt que sequuntur etiam mendosa, de quibus faciamus interea quod licet. Fuisse autem cum Lacedæmoniis etiam externos equites, legitur in Hipparchico.

Mox ut exploratorem. 444. 5. Quid sibi προσκόπος, qui est certè explorator, hoc loco velit, non equidem video, ac suspicor mendosum esse verbum, unum de duobus contractum culpa librarij, & fortè legendū τὸν ὑπὸ τερπον aut τὸν ὑπὸ τερπος κόπον, id est, priorem defatigationem ut sedent.

Crepusculo. 444. 28. κνεφαῖος κνεφας significat planè crepusculam, id est dubiam lucem, adhuc durātibz vel iam propinquis tenebris. Sed nunc mane orsos fuisse sacrificare Lacedæmon. reges intelligendum, quò diutius, si opus esset, in re diuina placatorum deūm gratia perseuerare possent.

Rect. bel. ord. que duct. 444. 30. Etiam ista nomina λοχος γων. & πενταχοσίων generaliter sumus. interpretati. ἐνωμοτία quin

quin habeat significationem ὁμοσεως, mihi dubiū non est: res quidem ipsas proprie haud scio an intelligat nemo.

Curiosè nihil agunt. 444. 33. πολυπραγμονῶσι. Quod verbum superuacua & alienarum rerum curam ac sciscitationem significat. Tacent igitur Ephori nisi interrogati, neque ingerunt sese consultationi de exitis, sed expectant dum accersantur à rege.

Subitarium esse. 445. 2. αἰτοσχεδιάζω significat fortuito, & ex tempore, ut dicitur, aliquid agere.

Ad publicū tabernaculū. 445. 10. τῶν περὶ δημοσίαν, vel Doricè δαμοσίαν. Intelligendum autem οὐδὲν. Ac poteramus fortasse non malè hæc sic interpretari, si à verbis longius recedere placuisset: Maximus natu eorum qui attributi sunt pratorio. Pares autem id est ὁμοίως, vocat τοὺς ὁμοτίμους, qui & apud Persas & Lacedæmonios præstantissimi fuere. Usus est verbo & in primo τῶν δέαις, & historia Græcorum III.

Cū enim iam capella. 445. 15. Hæc macēbatur Dianæ cognomento ἀγροτέρα, id est, agresti, cū iam aggressuri hostes essent, idque fiebat astante rege:

IN LIBELLO DE REPUBLICA ATHENIENSIVM.

MULTO est hic libellus plenior mendis, & in quibusdam etiam exemplis mutilus, agglutinatis alienis. Itaque in hoc versantibus nobis plusculum difficultatis obiectum fuit. Estque profectò magnus hic labor qui studioforum cupiditati obiicitur, cū in deprauatis libris, niti & moliri coguntur, neque quicquam possunt perficere, ἤντωντες plerunque κενά, in quo tragædia magnam esse stulticiā ait. Sed quid possunt aliter, cum fieri nequeat ut degustatam dulcedinem, & speratos fructus derelinquant. Itaque in his mihi sæpe illa Homericæ similitudo visorum per quietem in mente est:

οὐτ' ἄρ' ὁ τῶν δυνάτων ὑποφύγειν οὔτε διώκειν.

Tamesi certe studium, diligentia, assiduitas, vigilantia, attentio, cura, aliquid interdum παράλογον capere soleat, sed de his satis. Huius libelli initium est ἐναρτωματικόν, hoc sensu. Quamuis non probem formam reipub. Atheniensium, tamen talem rectè ibi administrari docebo.

Futilibus hominib. 448. 8. πονηροὶ ἔ μοχθηροὶ propriè sunt laboribus oppressi, quidam accentu distinxerunt, sed hac est origo nominum ἔ vsus quoque antiquus, adducitur enim versus Hesiodius de Hercule quasi Alcumena loquente:

σὲ πονηρότατεν καὶ ἄριστον

ζεὺς ἐτέκνωσε πατὴρ.

Et Epicharmi:

οὐδεὶς ἐκῶν πονηρὸς οὐδ' ἄταν ἔχων.

Nemo miser aut sponte est mali compos sua. Sed postea ita appellati fuere futiles ἔ nequam homines, qui verè laboriosi ἔ miseri essent.

Hi qui forte. 448. 22. Fuerunt Athenis alia ἀρχαὶ κληρωτά, alia χειροτονιτὰ seu αἰρετά. Designabātur autem apud Græcos magistratus χειροτονίαις, id est manibus sublatis seu porrectis, quo gestu ἔ decreta confirmari solebant, id quod ἔ in oratione pro Flacco indicatur. Ad verba autem facienda præconis quoque voce citabatur, ὁ βελόδιμος, id est iubebatur, dicere si quis vellet.

Mercedes habent. 449. 1. Qualis fuit iudiciū, qui ἔ forte legebantur, ἔ accipiebant mercedem τριώβολον, id est asses ferme v. qui sunt sestertij duo, ἔ nummo nostrate, cruciati quatuor.

Optimates. 449. 10. τὸ βέλπιον dicit, partem optimam ἔ præstantissimam ciuitatis. Hi sunt honesti homines, qui optimates Latine ἔ viri boni appellantur.

Potestatem fieri dicendi. 449. 17. λέγειν ἔ Latine dicere κατ' ἐξοχὴν significat accuratam orationem habere, ἔ verba facere de reipub. ἔ in iudiciis. δεξιόι autem sunt periti, exercitai ingeniosi.

Homines furiosos. 450. μανομένους prouerbij figura, vehementer stultos dixere. Vt ἔ Teren. ex stultis insanos facit. proprie autem turbulenti sic appellantur, ut μαμόριμυ φρενάς ἠλέε.

C hrysipp

Chryssippus apud Athenaeum docet de immodicis vitijs μανίας verbo veteres vsos. de quo copiosius disseruimus explicantes Tuscul. III. & IIII.

Vel incolam. 450. 10. μετοίκιοι erant Athenis non ciues illi quidem, sed quasi pro ciuibus, hos incolas Latine possumus appellare. his in aliquorum clientelam se dare necesse erat, qui illorum παροστάται, id est patroni dicebantur. Inferebant autem certam pecunia summam arario, idque μετοίκιον nominabatur.

Accipientia afferre. 450. 17. ἀποφοράς dixerunt quod afferebant serui dominis, seu quod dominis de seruis redibat. Sed hic locus profecto mendosus est. De seruorum autem Atticorum vita dissoluta Plautus quoque mentionem fecit in Stichō,

Atque id ne vos miremini homines seruulos

Potare, amare, atque ad cœnam condicere.

Licet hoc Athenis nobis.

Spartæ autem dominationes fuere acerbiores. Itaque Plutarchus scripsit, verè ibi liberos & verè seruos fuisse.

Æqualitas quædam. 450. 22. ἰσηγορία significat parem potestatem verba faciendi, quo ipso cõmunitas omnis iuris indicatur.

Principatu chori. 450. 29. Est & hic locus à mendis mihi suspectus. Intellego autem comparatione quadam hæc dici gymnasiolorum & Musicæ usurpatæ à Lacedæmoniis, cuius quasi ingenuitatem Athenis seruari neget. χορηγεῖν autem significat chorum in ludis instruere, eum à quo ornamenta & alia necessaria omnia ad apparatus ludorum curabantur. Vnde & ille apud Plautum ornamenta sumi iubet à Chorago. γυμνασιαρχεῖν, gymnasia instruere. τῶν ἀρχεῖν, iriremi præesse fueruntque hæ λειτεργίαι.

Mercedem percip. 451. 18. ἀρτυραεῖον consilium iudicum, ut in Nebulis θεῖς μοι ἀρτυραεῖα, & merces que pendebatur à disceptantibus.

Copiæ armatæ. 452. 14. τὸ ὀπλιτικὸν Græcorum fuere pedites armis ad prælia instructi, quas legiones Latini dixerunt.

Sociis verò. 452. 17. Videtur legendum τῶν δὲ συμμάχων μέγας ἀεὶ, aut simile quid.

Nam si nõ steterint conu. 455. 5. Locus ut manifesto apparet, mendosus, & ut mihi videtur mutilus quoque, fortasse tale aliquid fuit in archetypo. ἢ ὕφ' ὅτ' τις ἀδίκηται, ἀδικεῖ ὄνομ. ac

tale quiddam nos vertendo reddidimus.

Multitudo ipsa sciuerit. 455. II. ἀ δὲ πῶσθ' ἀνορθῶνται, legimus ac vertimus.

Populus conueniri. 456. 9. Verbo χρηματισσα aliquoties usus est, quod significat responsonem publicam consilij aut magistratus, in oratione contra Timocratem.

Causæ cum publ. 456. 15. γὰρ αὐτῶν causæ seu actiones publicæ. δίκαι, priuata. εὐθῶσαι, rationum relationes, in orationibus duabus contra Stephanum. In multis autem sequentibus fecimus ut licuit, cum quod cupiebamus non concederetur. de quibus vnicuique liberum iudicium relinquimus, nam sunt quæ ne ipsis quidem nobis admodum probantur.

IN HIPPARCHICO.

DVO fuerunt Athenis ἱππάρχαι, creati suffragiis populi, penes quos præcipua rei militaris cura, ταξίαρχαι verò legionibus præfecti erant. ἱππάρχων interdum prætorem interpretari Liuius videtur, etsi est τοῦ ἀρχαίου magis, & Latinè prætoris communis appellatio. Nos de præfectura seu disciplina scriptum librum eum qui ab autore ἱππάρχως vocatus esset, sumus interpretati, verbis id declarantibus, quod videretur ille intelligi voluisse. Puto autem ad filium hunc libellum refertum optimis præceptis à patre missum fuisse, quem præfuisse scimus equitibus populi Atheniësis. Multa & in hoc deprauata & mutilata à librariis, & torserunt nos, & coëgerunt diuinare interdum, quæ autoris sententia fuisset. Non tamē potui facere quin plenum max. utilibus monitis libellum perficerem interpretando. Præsertim hoc iis petentibus quibus etiam in difficilioribus gratificandum esset, sed de his satis: nunc ut antè fecimus quædam in conuersione nostra notemus.

Equites contrahes. 459. 12. ἀναβιβαστέον. In equos dicit imponendum seu subiiciendum equitem.

De splendore rei equi. 460. 31. Cum talis argumenti perquam luculenta oratione introducitur Cyrus lib. IIII. πῶσθ' εἶπας, in qua & huiusmodi quædam insunt. An nō equestrem esse in itinere incundius, quàm pedibus ingredi? Si quid autem accelerandum, quem

quem non delectet citò peruenire ad amicum, si res postulet, itém-
que citò vel hominem vel feram insequendo capere posse. Illa pos-
tea Chrysanta, exaggerans iocosè etiã amplificat.

Comparet moderationem. 461. 12. σωφρονέτερον. Non con-
tumacem, non ferum, usus est pulcerrimo virtutis civilis nomine.

Libræ pondere. 461. 20. Eadem & in libello de re equestri
memorantur. Vbi quidem quod vertimus, & tum certa conside-
ratione, & nunc quod fecimus, ne id quidem temere fecimus.

Odiosum esse. 461. 34. ὀχληρόν, plenum negotij & molestiæ
& laboris, & δόχλος γένεσθαι, molestum esse aut grauem. Alcibia-
de priore δόχλος ἐγένοντό σοι διαλεγόμενοι, negocium tibi in com-
pellando fecerunt.

Ad festertia noningēta sexaginta. id est. XXIII. M. CO-
ron. 462. 5. Talenta ipse dixit XL. quæ minus quadraginta mil-
libus, sunt decies.

Ad iaculationē. 462. 17. Peculiari figura dixit ἐπι ἀλόν-
τιον, ut ἐπι ἀσπίδα alibi.

Ludorum apparatus. 463. 7. χοροῖς. Quæ fuerunt instru-
ctiões & apparatus scena. Quod sequitur, pulcerr. sibi omnes esse
existent, in Græco est ἀγάλλωτο, quo verbo gestus læticiæ, id
est exultatio significatur.

Principes esse. 464. 2. ὀρωπόςτας, seu ὀροσάτας, putamus
rectè principes appellari, id est primos in acie, seu antistites, sicut
paulo post ἐπισάτης, ut ita dicam subsequi. habet enim princeps
quisque id est ὀροσάτης, in acie post se prox. astantem, cuius est
ἐπισάτης nomen.

Interclusa. 464. 18. διαβάσεις, non reperimus quomodo me-
lius interpretari possemus quàm loca interclusa, significantur &
flumina, & torrentes, & voragines, & lama, & similia.

Celebrationes fest. 464. 24. Poteramus & solennia vertere
Poteramus & pompæ Græcum vocabulum non inusitatum Lati-
nis retinere.

Exhibenda pop. 447. 26. ἐπιδεικνύω. Ostentationis si-
gnificationem verbum habet. Vnde & ἐπιδείξις ἀπρομαπική.
& genus caussarum ἐπιδεικνύων, comparatum ad ostentationem
ingenij & eruditionis.

A Mercurialibus. 464. 33. Signa Mercurialia fuere Athe-

nis multa, in vijs & compitis, & ante ades, quos ἐρμῆας dixere. fuerit & extra urbē, exornata aliquando sententiosis inscriptionibus ab Hipparcho, de quibus retulit Plato has, τειχε δίκαια φρονῶν, & μὴ φίλον ἐξαπάτα, quorum alterum, viatorem pergere iubet sine scelere. alterum, vetat amicum falli.

Elegans. 466.5. Visum nobis fuit σεμνὸν id nunc esse quod elegans Latine dicitur, nisi aliquis fortè honesti verbum malit.

Soluto ordine. 466.9. εἰς χεῖρά λυσιν. Vel cū iam perequitationem finierint, vel ut nos fecimus, soluto ordine, prioris scilicet agitationis.

Succussatoria. 466.14. In Greco erat hoc loco ἐπιπόρω, in libello de re equestri ἀποκρότω legitur. Significatur autem locus in quo facillè succussatura sterni eques possit, cuiusmodi sunt declivia & glareosa loca, & salebra.

Præmittere alios. 467.4. Et si confido me sententiam auctoris hoc loco expressisse, in verbis tamen nunc etiam me herere confiteor.

Victum acquirunt. 469.11. ἐπιτήδεια, quibus ad vitam degendam opus est, necessaria ad victum pabulum.

Ex hostibus capta. 470.31. πλεονεκτήματα. Vnum hoc est de Grecis verbis illius lingue proprijs, quorum nūquam satis exprimi vertendo significatio potest. Indicatur autem, studium præuertendi, & acquirendi & potiendi, & similia.

Perperā rem gerant. 471.13. Nūc ita placuit vertere ἀμαρτάνειν, quod peccatū, delictū, scelus, notat. quicquid autē sit perperam, negligenter, stultè peccati, delicti, sceleris etiā nomen habet.

Quasi ipsi offi. 471.23. σφῶν αὐτῶν ἡγήσονται. Vel est sensus quem nos reddidimus, vel hoc dicit, ut quā prudentissimè in hostes inuehantur. Sicut corpora dicuntur esse calidiora se ipsis, in lingua Græca, id est solito, aut admodum calida.

Sarciet defect. 473.7. De hoc loco neque quid subiiciā neque quid omnino censē, dicere habeo: itaque, qui volet poterit illi apponere notā dubitationis nostræ, ut querere & ipse amplius velit. Itidē & in sequētibus, ubi maritimorum prædonū exemplum assumitur. Nostrū autem qualecunque studium, ingenuum certè & simplex ac candidum, boni consulere omnes debebunt.

IN PRÆCEDENTES XENO- PHONTIS LIBROS INDEX.

A			
Bradatas curru ex- cutitur. pagina 213. versu 26		sacerdotum puritas 385.19	esse feruntur 189.8
Abradatas inter- fectus 221.12		AEgyptus occupata 379.29	ab Amore multa passi homi- nes etiã prudētissimi 187.9
præfectus 203.12		AEgyptum Cyrus subiugat 278.16	Amytis 381.21
Suforum rex 143.9, & 204.3		AEqualitas apud Persas 30.5	Anaphlystus 401.31, 407.18
Abradatas ad Cyrum aduē- tus 189.8		AEtas puerilis, vide Puerilis etas	Anaxagoræ de filij morte, di- ctum 9.12
curruum artificium 189.36		AEtatis nostræ hominũ pra- uitas 295.29	Anaxyrides 390.29
Abradatas mortuo honorificè parentatur 222.17		AEtatum distinctio quadru- plex 20.9	Andramias Medus 162.8
Academïæ equitatio succuf- satoria 466.14		Africanus Xenophontis xũ- qs παυδαίαν diligenter le- gere solitus 290.17	Angareium quid 379.25
Aciei instruendæ peritia in quibus consistat 271.34		Aglãstrades centurio 68.12	Anima duplex 188.3
instructio veterum 355.32		ἀγορὰ quid 299.15	Anima inferior pars vt supe- riori reddatur obediēs 347.3
Actiões quæ meliorem exi- tum videantur habituræ 405.18		Agmen ὄρεων quod 318.33	Anima portione quid redi- mere 318.25
quomodo sint in nostrâ po- testate 333.21		Agminis latitudo quæ 313.23	de Animis duabus narratio 346.19, 347.30
Adolescentes doctrinam pa- rentiũ & imperandi docen- di 9.1		longitudo quæ 313.21	Animalia omnia ad pugnan- dũ naturã armata 74.21
Adolescentum studia quæ 411.21		Agricola otiosus inutilis 49. 28	Animalium optimũ & gra- tissimum homo 263.3
Adorandi mos Græcis con- trarius 326.22		Agricolis pax datur in bello 169.29	Animi diuinitas, vbi maxi- mè apparet 283.6
Adorationis significatio 326. 13		Alceus dux equitũ in Cyri exercitu 162.27	Animi diuisio 346.25
Adulteri cur interficiantur deprehenfi 94.5		Alexandri Magni ad Cyri sepulchrum accessus 391.11	Animi facultati, affectionis & habitus conditio 316.8
Adulterorum pœnæ 318.2		Amare in voluntate an posi- tium 146.3	de Animatorum immortalitate locus 282.21, 380.12
Adusij calliditas in compo- nenda Carum seditione 223.27		Anaffonum arma 309.10	Annus vt numerent Arthe- nienses . 485.4, & Lacedæ- mony . eadem 6
AEdilis , mercaturæ magi- stratus 394.30		Amici diuites thesuri loco nobis sunt 253.6	ἀπορχαὶ quid 354.8
AEgyptij Cyro subditi 18. 35, 215.35		Amicorum casus communes esse debere 342.22	ἀφογὰν quid 406.13
AEgyptiorũ armatura qualis 192.20, 206.28, 213.35		copia sceptrum est regum 281.18	Apollo à Cræso consultus de liberis 219.1. de felicitate vita. ead. 12
cum Persis cõflictus 213.28		Amicis bene faciendũ, inimici castigandi 284.21	sine muneribus non dat re- sponsa 219.2
exercitus quomodo instru- ctus 201.25		succurrere , honestissimum 43.20	Apollinis de Lycurgo respon- sum 481.32
fortitudo in pugna 214.2		Amicitia in bello, simulata, aut dissimulata, quid possit 158.2	ἀπομνημονόμματα, quid 30.
		Amor quæ facere cogat 146.8	ἀνομία quid 311.12
		Amorem illicitum metus & lex inhibere possunt 145.35	Appetendo plura, amittit sapè parta 323.34
		de Amore , Cyri & Araspe disputatio 145.16, & inde.	Apum in ducem suum ob- seruantia 148.22
		ab Amore dij quoque superati	Aqua ignem vincit 376.1
			Aquæ potui quomodo assue-

XENOPHONTEOR.

<i>scendum</i>	195.33	<i>de Armenio bello tentando,</i>	<i>dos & Persas molitur</i>	40.
<i>Aquales testacei</i>	375.29	<i>consultatio Cyri & Cya-</i>		23
<i>Aquila aurea in longa hasta</i>		<i>xaris 81, & inde.</i>	<i>Assyrj crudelitas in Gadatâ</i>	
<i>extensa, signum Cyri</i>	208.9	<i>Armeniorum fuga</i>	<i>iuuenem</i>	154.26
<i>dextera apparens, dux itin-</i>		<i>regis copie quantâ</i>	<i>ciâ Cyro confictus, i. III. 32</i>	
<i>ris</i>	58.6	<i>regis pecuniâ quantâ</i>	<i>quo fugatur</i>	112.12. ij.
<i>Arabes ab Assyrio</i>	40.24:	<i>Aribai Cappadocum regis</i>	<i>212.24, & inde.</i>	
<i>item à Cyro subacti</i>	18.29	<i>copie</i>	<i>in Lydiam discessus</i>	185.14
<i>Arabia duplex</i>	361.17	<i>Aristophanis locus</i>	<i>responsum superbum Go-</i>	
<i>Arafamas ad sinistram Cyro</i>		<i>321.5, 326.9, 327.6, 346.16</i>	<i>brye datum</i>	157.22
	208.7	<i>406.28</i>	<i>Assyrj castra deserunt</i>	114.
<i>Arafas ab Artabasso ob</i>		<i>Aristotelis locus</i>	<i>36, 115.4</i>	
<i>Panthie amorem repreh-</i>		<i>368.26</i>	<i>Cyro subditi</i>	18.29
<i>ditur</i>	186.36	<i>Arriani locus de Cyri sepul-</i>	<i>Assyriorum castra muniendi</i>	
<i>ab hostibus reuersus</i>	200.	<i>cro</i>	<i>ratio</i>	105.23
<i>28, narrat eorum statum</i>		<i>390.391</i>	<i>& Medorum equestre præ-</i>	
<i>201.13</i>		<i>Artabassus Cyri cognatus</i>	<i>lium</i>	37.7
<i>Cyro à puero sodalis</i>	143.4	<i>182.26, 232.30</i>	<i>pacta cum Cyro de agrico-</i>	
<i>custos Panthie</i>	144.13.	<i>Cyri præfectus</i>	<i>lis</i>	169.19
<i>amore eius capitur</i>	147.23,	<i>203.25</i>	<i>quantus exercitus</i>	59.13
	186.22	<i>Artabassi oratio: vide, Ora-</i>	<i>regnum ad Medos</i>	362.13
<i>exploratum consilia hostiû</i>		<i>tio Artabassi.</i>	<i>rex casus</i>	140.32
<i>mittitur</i>	187.26, 188.13	<i>Artabatas Cappadocie sa-</i>	<i>rex Cadustus cedit</i>	167.24
<i>Arcadibus auxilia missa ab</i>		<i>trapa 275.29 præfectus</i>	<i>Assyrii Cræsus imperator.</i>	
<i>Atheniensibus</i>	395.15	<i>162.6</i>	<i>192.12</i>	
<i>Αρχαία quid</i>	299.12	<i>Artacama Phrygiæ magnæ</i>	<i>Assyages Mandanem cum</i>	
<i>Αρχή quid</i>	300.21	<i>satrapæ 275.29 copia</i>	<i>Cyro accersit</i>	24.36
<i>Αρχεως vocis significatio</i>	300.16	<i>59.11</i>	<i>Medorum rex auus mater-</i>	
<i>Arcium custodie penes regē</i>		<i>Artagersas præfectus</i>	<i>nus Cyri</i>	19.18
	275.36	<i>203.25</i>	<i>Assyagis oratio: vide, Ora-</i>	
<i>Aree in ciuitatibus vacuæ</i>		<i>Artes in magnis vrbibus ex-</i>	<i>tio Assyagis</i>	
	394.9	<i>cellentius elaborantur</i>	<i>Assyagi mortuo succedit Cya-</i>	
<i>Arena aurea</i>	359.15	<i>249.29</i>	<i>xares filius</i>	40.21
<i>Argenti desiderium inexple-</i>		<i>operum præclariorum fontes</i>	<i>Athene ditissima</i>	454.2
<i>bile</i>	397.14	<i>218.17</i>	<i>pace maximè crenerè</i>	403.12
<i>usus</i>	397.19	<i>Artium aestimatio ex negle-</i>	<i>Athenarum commoda bonâ-</i>	
<i>Argenti fodinarum vilitas</i>		<i>ctu diminuitur</i>	<i>que</i>	403.15
	398.1	<i>237.13</i>	<i>magnitudo</i>	363.4
<i>Aristocratia quid</i>	480.7	<i>Artibus multis vtens, raro</i>	<i>situs</i>	393.8
<i>Arma combusta</i>	225.30	<i>pulcrè quid facit</i>	<i>Athenas, socij ad iudicia qua-</i>	
<i>Armenicæ regionis descriptio</i>	81.4	<i>249.36</i>	<i>re cogantur venire</i>	451.16
<i>Armenius cum liberis &</i>		<i>Asiadates dux</i>	<i>Athenis concilij contentusue</i>	
<i>uxoribus captus</i>	86.1.	<i>203.26</i>	<i>habendi difficultas</i>	456.8
<i>dimittitur</i>	93.23	<i>Asiatici Cyro mortuo mores</i>	<i>copiarum armatarum que</i>	
<i>se Cyro dedit</i>	86.18	<i>patrios deserunt</i>	<i>ratio & quare</i>	452.14
<i>Armenij captiui cum Cyro</i>		<i>285.1,</i>	<i>dicere liberum cui libet</i>	448.
<i>dialogismus indicialis</i>	86.36	<i>& inde.</i>	<i>23, 449.16</i>	
<i>& inde.</i>		<i>omnes ad impietatem & in-</i>	<i>exagitationes & maledicta</i>	
<i>oratio: vide Oratio Armenij</i>		<i>iustitiam versè</i>	<i>que concessa, que non</i>	
<i>Armenio que pena à Cyro</i>		<i>285.25</i>	<i>455.16</i>	
<i>constituta.</i>	92.34	<i>omnia pretiosissima in bel-</i>	<i>festi dies plurimi</i>	457.24
		<i>lum secum ducunt</i>	<i>futilibus plus, quàm viris bo-</i>	
		<i>118.15,</i>	<i>nis, tribui</i>	449.3
		<i>& quare</i>	<i>in-</i>	
		<i>126.27</i>		
		<i>Asiatici regni diurnitas</i>		
		<i>295.15</i>		
		<i>Asini siluestres plurimi in</i>		
		<i>Armenia</i>		
		<i>82.28</i>		
		<i>Asinorum clitellariorum na-</i>		
		<i>tura</i>		
		<i>227.34</i>		
		<i>Ασπίδα του verbi vis</i>		
		<i>342.33</i>		
		<i>Assyrius bellum contra Me-</i>		

LIBROR. INDEX.

- infames facti pauci iniuste
458.15
iudicia qualia 450.36
magistratus duplex 448.
22,488.18
magistratus cōmunes 448.21
magistratus quos vt plu-
rimum potentes 448.24
quos nem vulgus admini-
stret 449.1
mistum quid de omnibus
453.24
pecunia peragi permulta
256.26
de Athenis Platonis locus
447.25
Athenis pulsare quemquam
fas non est 450.7
qui amentur, quique odio
sint 455.27
sacrificiorum 453.27
gymnasiorum & balneorum
ratio quæ.ead. 32
serui quidã delicatè viuunt
450.13
vulgus plus nobilibus posse
448.14
Athenæus philosophorum re-
præhensor, 13.1. quid ia Xe-
nophonte carpsit.ead. 3
Atheniensis equitatus qualis
472.21
Athenienses præsciunt de-
terioris in ciuitatibus sedi-
tiosis 457.36
Athenienses principatū Græ-
ciæ quibus artibus obtinue-
runt 403.28
Atheniensium militia quales
472.11
studia & occupationes 456.
13
tribus X. 400.9
Athenienses Arcadibus au-
xilia misisse 395.15
de Atheniensibus Laconis cu-
iusdam dictum 447.27
Atrobates Medus 390.11
Atica terræ descriptio 392.
20,393,394,396.14
Auguriū aquilæ leporem per-
cussentis 82.17
Aures regum 251.7
sine Auro liberalis 157.9
contra Auspicia discrimen
nullum adendum 57.8
B
Babylon capta 362.30
Babylō nunc vasta 363.35
obsidetur 226.10, & inde.
Babylonis forma 362.32
mœnia quando & qua ma-
teria extructa 389.20
mœnium ambitus 362.34.
murorum altitudo 363.8.
& latitudo.ead. 10
regia capitur 229.35
festum agentes 228.14
à Cyro opprimuntur 229.24
inssūque Cyri arma dese-
runt 230.20
Babyloniōrum confinia deua-
stantur 156.26
domus quomodo extructæ,
& qua materia 229.7
Rex occiditur à Gadata &
Gobrya. 230.2
Babylonis imperata à Cyro
230.31
victus necessaria in vrbe ad
xx.annos 228.5
Babylonii solū fertile 365.26
Babylonij aëris natura 278,
24
regis à Cyro deuicti nomen
362.26
Babyloniōrum regum aliquot
series 389.8, & inde.
Bactrij Cyro subditi 18.31
Baltassar 362.29,390.6
Baryaxes Medus 390.12
Beatissimi qui 253.36
Bellicæ rei exercitatio optima,
venatio 22.6,246.12
Bellicis in rebus inuenta noua
magni fiunt 55.19
Bellum nobilitetne magis quã
Pax. 403.7
pace num magis lucrosū
404.17
Bellōne an pace principatus fa-
cilis obtineatur 403.25
in Bellu fallaciæ vilissimæ
470.25
Beneficientibus sibi ipsis ve-
nia danda 455.34
Beneficiã fidos homines fie-
ri, non vi 281.24
Beneficiū gratissimum homi-
nibus, ciborum potulimque
collatio 249.5
Beneficiū vincere bene meren-
tem 157.2
Beneuolū esse maleuolū, non
facile est 248.31
Bestiæ hominibus consilio in-
feriores 469.3
Bios, historiæ genus quale 294.
31
βλακεία quid 311.11
Bona à Deo collata quomodo
& inter quos partiēda 70.
18
Bonis non adeptu facilius ca-
remus, quã adeptis priua-
mur 238.30
Bonorum consuetudo virtutis
est exercitatio 2.3
Bonus princeps, lex oculis præ-
dita 244.18
Borsipi vrbū deditio 389.29
Bracæ 376.9
Brutorum industria in sui de-
fensione 74.24
Budæus de Salicibus 308.32
Budensis bibliotheca 299.1
Bulimie definitio 370.36
C
Cadius ab Assyriis ce-
duntur 167.24
Cadius gens robusta & po-
uosa 154.11
Cadiusiorum cæsorū sepultu-
ra 169.7
C. Cæsar Deus vt haberi cu-
peret, quo modo sibi persuas-
erit 297.25
Calices importare in sympo-
sia, olim apud Persas veti-
tum 286.19
Callisthenes Troici belli au-
tor 294.35
Callisthenis cum Xenophonte
collatio 294.21
Cambyses pater Cyri 19.14
rex Persarum ead. 15
Cambysis cum Cyro filio de
Imperatoris officio collo-

XENOPHONTEOR.

quium 44.5 vsque ad j. libri fin.	29	Coloris vocabulorum aliquot disquisitione	374.13
origo 19.15	καλεπον quid 325.29	Comæ appositivæ	25.8
Cambyfes Cyri F. regno præfuitur 280.30	καπρος nomen quid cõtineat 324.16	Commercia origo coniuviarũ	455.17
Camelum equi timent 212.32, 216.14, 334.9.31	Chionis Heracleotæ de Xenophontis virtute & laude bellica, epistola 5.26	Compares	58.23
Camelorum vsus 216.22	χωα̃ quid 320.18	Comparium arma	60.21
Candyes quid 257.6	χωπι̃tus 328.23	Compotatio sobria	484.30
Canis à Magis non occiditur 385.21	Chryfantas Cyro quare carissimus fuerit 265.19	Concordia discors	335.22
Canes excisi ad custodiam venationem nibilo deteriores 235.18	Lydiæ & Ionica satrapa 275.30	Conscientia vis inde.	305.35, &
Canum cura quibus demandanda 242.8	Chrystantæ laus 113.28	Continentia vt exercenda 245.33	
Canopi AEGyptij sacerdotis astutia 375.28	Oratio: vide, Oratio Chrystantæ prudentia 71.23	Contuberniorũ villitia 64.13	
Carduchus carpentorum præfectus 203.17	χωσιον quid proprie significet 373.8	Conuiviarum ordo & inde.	263.36,
Capella cui Deorum immolari solita 487.17	Chrysiippus 489.10	Coniuvia ex commerciis 453.17	
Cares seditiosi 223.17. in Cyri potestatem veniunt 224.4	Cibi potũsque optimus modus quis 125.16	Core, quid 375.7	
Carmania 390.1	Cibum in die semel capiebant olim Persæ 286.13	Critæ versus 484.30	
Cassandane 381.22	Ciborum apparatus Medicinum præstet Persico 25.36	Craesus Lydorum rex ad Cyrum adducitur 217.27	
Castrametandi & movendi apud Cyrum ordo & inde 270.2	Ciceronis de κ̃γ̃ς π̃α̃δ̃α̃ς Xenophontis, sententia 290.15	Afflyriorum imperator constituitur 192.12	
Castrorum metatio 443.16	locus 339.23, 368.4 & 21, 380.3, & 36, 480.32, 482.4	rebus aduersus doctior factus 316.18	
Castris qui locus elegendus 49.5	Cilices Cyro subditi 18.31	Craesi cum Cyro colloquium: j. de comparandis pecuniis ad milites remunerandos sine direptione. 217.35. ij. de consultis Apollinis Delphici oraculis 218.23. de liberis agenda, eadem 12. iij. de thesaurorũ collectione 252.10. iiij. de diuitiarum vsu improbo & bono 253.13	
Catilina 321.22	Cilicium ad Cyrum accessus 223.24	exercitus 59.9	
Caupones qui 328.16	tributum annuum pensum regi Persarum 360.35	genus 220.33, 357.3	
Celare virtus imperatoria 361.31	Cimon 347.36	historiam qui tractent 338.2	
Ceremoniæ quid 403.3	Citharistria musicæ studioso datur à Cyro 143.19	legatio ad Lacedæmonios 192.28, 349.11	
Certamina publica apud Persas 22.34	Ciues vt quamoptimi sint curant Persæ 20.30	librorum calamitas 219.8	
Chabrias Atheniensium præfectus 71.d	Ciuitatis status quis optimus 480.17	Craeso adiuncti qui in belli societate 192.17	
Chaldæi direptionibus suis offensum Cyrum 217.9. obedientia placant. ead. 23	Ciuitates bello an pace magis nobilitentur 403.7	Ctesias Gnidius scriptor historia 291.28	
ignem colunt 375.18	Clandiani loc ^o 364.33, 368.7	Cuma ciuitas 216.5	
pacem petunt 98.9	Cognatos abeuntes osculandi mos Persicus 39.13	Cunctationes rebus præclaris nocent 102.28	
Chaldæorũ armatura 96.12 & Armeniorum confictus quales 96.25	Collationis diligentis vsus 270.27	Cupiditatis praua superata exempla 347.33	
regio qualis 96.16	laus & vituperiũ in vtraque parte 378.21	Cupidi-	
Chaldæos subigit Cyrus 96.			

LIBROR. INDEX.

- Cupiditatibus obtemperare, aut non, quorū sit* 146.29
Cupido amoris minister 360.9
Curia quid 299.13
vbi apud Persas 20.4
Currus cum quatuor temonibus 189.36
octo temonibus 190.7
Currum à Cyro confectoriū descriptio 186.5
bellicorum structura 186.4
Custodia optima quæ 366.7
optima, rerum bonarum & pulcrarum studiosum esse 239.9
Custodiarum militarium descriptio 467.34
præda pulcra 474.8
Cyaxares ad Cyrum proficiscitur 174.4
Cyro osculo denegato 174.17
cōqueritur de conditione sua, ead. 26. postque cum ipso Cyro in gratiam rediit. 179.20
filiam Cyro despōdet. 272.22
regnum Medorum accipit mortuo Astyage 40.21
se contra Assyrium instruit 41.4
Cyaxaris ad Cyrum epistola 133.12
ad Indicam legationem respōsum 79.33
cum Cyro consultatio de Armenio bello tentando 80.32, & inde.
de bello consultatio 182.9
ingenium 133.10
oratio: vide, Oratio Cyaxaris
Cyaxari Cyrus rescribit 136.10
dona ferunt Mædi 179.29
exempta 143.1
Cyllene vrbs 216.4
Cypri Cyro subiecti 18.35
Cypriorū ad Cyrum accessus 223.25
Cyrenaiici currus 185.31
Cyrus à cane enutritus 292.6
ab Indis pecunias postulat 100.5
ad Persas redit 272.35, 279.1
ambiciosus 30.27
animo corporēque præstitit naturā 19.19
apum duci cōparatus 148.20
Armenis bellū infert 85.4
Assyrium vincit 112.12
beneficus, vir bonus & pater appellatus 101.23
Cadusios solatur 168.7
captiuos interrogat de hostibus 199.24
castella tria prope Babylonem occupat 173.14
Chaldeos vincit 96.29
cibum sumere non solet nisi antè sudasset 246.29
cænæ quos adhibere solitus sit 65.14
cognitionis & honoris studiosus 19.20
copias ex Persia maiores accersit 134.13, 136.28, 139.18
cum matre ad auum vocatur 24.36
dando magis letabatur quàm possidendo 268.33
dona distribuit 267.22, 268.13
ephebis adnumeratur 40.17
equos à quolibet grato animo recipit 185.22
exercitum propius Babylonem cur ducere nolit etsi magnum 172.18
honore maximo in Armenia exceptus 101.5
imperium suum à re diuina orditur 41.23
institutus & educatus in legibus Persicis 19.25, 24.31
instruit suos ad prælium 209.210.211
irridetur ab æqualib⁹ 40.9
magnificus oratione quādo, & quando non 210.32
mandata à se aliis, etiam ipse exequitur 276.33
Medicum vestitum assumit 247.8, & sui vt assumant, persuadet ibidem.
metum sui exercitus 193.2
oratione sua tollere conatur ead.13.
moritur 284.25
munera dat æqualibus 39.2
mulus appellatus 291.31
munificentissimus 251.32
pœana exorditur 212.21
Panthiam solatur 221.31
pater appellatus 247.35, 371.4
præfectus exercitus in Mediam ducendi 41.13
præsentiam suorum vt effecerit 243.21
prandere aut cenare militem nisi sudasset, non permittebat 65.2
probos viros, tanquam seipsum, amat 75.16
rei familiaris negligēs 387.28
sacris operatus 82.11, 104.27, & 35, 107.5, 234.17, 279.11.
sibi & pueris venationem impetrat ab Astyage 34.21
spolia Assyriorum diuidi iubet 138.6
viris adnumeratus 41.11
vxorem ducit 274.16
Cyri ad Cyaxarem aduentus 58.16
ad Gobryam profectio 149.29
animus erga postulata militum 143.21
animus liberalis 101.13, 278.34
audacia in pugna 37.17
audacia in venatione 35.11
bellicus apparatus tempore Xenophontis adhuc durauit 216.13
castrantis suos factum tyrannicum 373.31
clementia erga Chaldeos victos 97.8
colloquia cū militibus 65.33
continentia 40.11, 152.26

XENOPHONTEOR.

- cum Assyriis cōflictus* j. III. 387.31
cum Cræso colloquii: vide, Cræsi cum Cyro colloquii. cura de sepultura 284.1
currum numerus 191.35, & inde: 194.1
de corporis custodibus consultatio & sententia 234.20, & inde.
de satrapis regni cōstituentū consultatio 274.22, & inde.
de splendore Medorum iudicium 25.18
diligentia in examinandis transfugis 109.21
Cyri, eiusque turmalium arma 207.25
equus transfoditur 213.24 & *Cambyfis de imperatore colloquium* 44.5. vsque ad 1. libri fin.
ex Regia Babylonica progressus qualis 255.12, 256.35, & inde. 258, & inde.
exercitus Babylone collectus 278.11
exercitus qualis 111.27
exercitus instructio 202.7, & inde.
exercitus obœdientia 113.6
exercitus splendor 204.20
felicitas 280.3
genus 19.14, 220.1, 291.30, 292.7, 362.7
Cyri habitandi secundum diuersas anni partes loca diuersa 278.22
Cyri imperium 18.35
imperium quale 291.22
Cyri imperij limites 278.16, 284.28
in captiuos clemētia 131.15
in epulando mos 249.7
in exercitu ducendo ordo 161.33
iudicium, pueri adhuc 29.21
laudes 94.17. 387.25
legatio ad Armeniū 84.15
liberalitas 101.35, & inde.
Cyri liberorum educatio mala
- 387.31*
Cyri loquacitas in pueritia qualis 33.1, & 13
memoria prompta 163.8
militis quando cœnabant 105.15
militum nocturna profectio 164.6
militiæ officiorum & ordinis diligens excogitatio 243.6
nominis celebritas 18.13
oratio: vide, Oratio Cyri.
præstantia ad alios reges 18.17
precatio ante obitū 279.13
pueri astutia in Sacam 27.12, 28.11
pueri diligentia in capiendis auibus 55.26
pueritia 24.31, & inde vsque in pag. 40
responsum legato Indorum 80.1
sedulitas in agrotantem auum 30.31
senis visio nocturna 279.7
sepulcri historiola ex Arriano 390.391, & inscriptio 39.9
solicitude erga vulneratos 167.30. 168.1
studium in venando 31.34, 32.19
thesauri qui 253.7
tyrannica facta 373.31
verecundia 34.10
vestitus ex Regia procedentis 257.22
victoria 123.16
Cyro filij duo 279.33
immolatus equus 391.7
sociorum belli adiunctorum numerus 160.8
tonitrua & fulgura dextera 43.36
Cyrum ab auo reuocat pater
Cambyfes 38.25
Deum nullum neglexisse 105.2
erga Cyrum subditorum animus 278.28
de Cyro, eiusque morte discre-
- pantes narrationes* 381.14
de Cyro Esaie prophete vaticinium 292.14
Cyro mortuo filij de regno disceptant 284.25
de Cyro narrationes varie 291.27, 292, & inde.
Cyri minoris crudelitas in duos iuuenes 375.4

D

D *Aiphernes Cyri odium incurrit* 259.2
Daniel propheta 390.4
Darius Hystaspis F. III. Persarum rex 339.7
Darij Persarum regis historiola 388.22
Datatas prefectus 162.11, 258.11
Dauchus impedimentorū Cyri præses 203.14
Debito obligatum, Persis turpe 384.35, & quare, ead. 36
Decelica negocia 399.26
Decursio cum facibus, exercitatio 402.34
Delpthicum templum 404.7
Demetrius Magnes 479.18
Democratia quid 480.3
Demosthenis locus 323.34, 367.24
ἐπιόρου qui 374.25
Desidia, corpora bene affecta corrumpit 237.15
Deum qui colunt, illi impij aut nefarij nihil quicquam ad mittent 281.17
Dij ciuitates belli victoria felicitatēque coronāt 475.12
consulere quibus maxime velint 478.26
de quibus rebus consulendi 4.12
equis qualibus insidentes pingantur 427.26
norunt omnia 478.23
quibus sunt propitij, omnia prædicunt 57.23
vident omnia 283.13, 170.

IO

de Deorum comparatione, fabula 375.21
Deorum

LIBROR. INDEX.

- Deorum natura aeterna 283.
 12
 Diis dona gratiarum sunt soluenda 113. 21
 eximuntur dona secundum mandata Magorum 221. 2
 necessitas nulla imposta 57. 31
 Deos in rebus secundis esse etiam inuocandos 44. 22
 instantia & futura scire 57. 26
 qui potissimum exorēt 44. 20
 à Diis nefaria petentes repulsam ferunt 45. 11
 à Diis quæ non petēda 44. 31
 Dextera fidei symbolū 344. 24
 Dexteram mitti, quid 344. 25
 Diana agrestis 487. 17
 Dianæ agrestis capella quando immolari solita, & à quibus 487. 17
 Diſteria quæ laudabilia 153. 3
 Diffidentes nullibi diligi 218. 34
 Dinon historicus 291. 12
 Diodori Siculi locus 324. 6
 Dionysia 464. 34
 Direptionum incōmoda 218. 6, & 17
 Discendo qui aptiores 128. 12
 Diuerſoria 396. 3
 Diuini numinis notitia aliqua cuiilibet innata 305. 26
 Diuinæ res elaborandæ, quo tēpore felicitate præſtamus 244. 21
 Diuitiarum incōmoda 261. 26
 vsus quis probatus, vel non 253. 14, 438. 14
 Diuitum excellēter, vita qualis ut plurimum 389. 2
 Diuturnitatis custos malus, metus 380. 3
 Docendi genus potentissimum quod 296. 20
 Doctrina iuncta virtus, fons summa laudis 16. 28
 Dodona 405. 11
 Domus vnde maxima incommoda percipiāt 71. 34
 Draco 318. 5, & 9
 Ductor qualis esse debeat 463. 31
 Ductoris officium 61. 9
 E
 Brietatis vitium notatū 286. 23
 per Ebrietatem delinquēs pœnā dignus 332. 15
 Ebriorum descriptio 27. 27
 consultatio 383. 24
 Ἐγγειον, quid 406. 18
 Ἐγκράτεια quid 300. 9
 Ἐλλωροταμία quid, & quando instituta 408. 4
 Embatas præfectus 162. 8
 ἠμικυρες 335. 15
 Emungi propalam, turpe apud Persas 24. 23, 247. 18, 286. 8
 Ἐνοια νοίωα 305. 30
 Ἐνωματίας ordinis numerus 309. 34
 Epagoge Socratica 2. 30
 Ephebi Persici: vide, Persicorū epheborum
 Epheborum atatis terminus 23. 7
 Ephebis diligenti inprimis respectu opus 21. 31
 Ephori quando cōstituti 485. 2
 Ephorum numerus 485. 1
 potestas quæ 439. 13
 Ἐπιχαρῖς quid 302. 11
 Epicharmi locus 488. 14, 319. 36, 320. 3
 ἐπιπληξῆα quid 310. 11
 Eques homo volaticus 129. 3
 Equites pauci ut multi appareant, & contra, efficiendū ratio 470. 1
 Equitum educationis occultatio 467. 26
 lex apud Persas 129. 6
 Equestris cursus 259. 15
 Equestre prælium inter Medos & Assyrios 37. 7
 Equestris præfecturæ præcepta generalia 459. 5, 460. 461. 462. 463. 464, aut, vide libell. de præfect. seu discip. equest. per totum 459
 rei & certaminum gymniorum collatio 475. 5
 rei ratio 408. 8, & inde per totum istum libellum de re equestri.
 Equestria exercitia 422. 2
 Equestrium armorum enumeratio 428. 20, 429
 Equini pulli ut educendi 411. 17, & inde.
 Equitatus absque peditatu imbecillis 471. 2
 Equus alligari quomodo debeat 415. 12
 destringēdus quomodo 415. 15
 doceri qua ratione facillimè possit 422. 23
 ferocior ut domādus 423. 2
 quomodo sit ducendus 416. 27
 saltum ut doceatur 421. 1
 Soli sacer 257. 14
 tractādus quomodo sit 414. 34, & inde. 417. 30
 Equi ad pompam idonei descriptio 426. 30
 agitatio 419. 33
 ascendendi ratio 418. 12
 bellis idonei agitatio magna ut instituenda 424. 15, & inde.
 boni cōmoda & laus 428. 11
 conuersio 419. 27
 ignauia ut castiganda 424. 13
 immorigeri malitia 413. 35
 nondum domiti consideratio 408. 26, 409. 410. 411
 optimi descriptio 413. 23
 partes quæ, & quæ non eluenda 415. 23
 pedes ut amplientur 414. 22, 461. 17
 progressus qualis optimus 419. 20
 spinæ pilorum ratio quæ habenda 415. 21
 stercoreis & stramentorum quæ ratio habenda 415. 5
 suspicacia & timiditas ut tractari emendarique debeat 417. 33, & inde.
 violentiam quomodo vsur-

- pent* 410.5
Equo insidendi modus 418.35
seffor vt imponendus 417.26
Equum manifestare hominibus multa 129.36
ab Equo vt descendendum 420.21
Equi camelos nō sustinēt 212.32, 216.14, 249.31
feroces excisi, à n ordacitate
et ferocitate cessant 235.12
insienari vt debeant 417.2
Soli cremantur 259.10
Equorum curam quibus demandari oporteat 242.8
eductio ad desfringenaium 414.19
qui iam ascenduntur, in emitione quæ consideranda 412.11
stabilia vt extruenda, et vbi 413.32. et inde.
vsus 128.24, 129.9
Equi pili longiores quare dantur 415.29
ad Equos vt sit accedendum 416.22
Esaie propheta de Cyro vaticinium 292.14
Euilmaraduchus 389.11
Eunuchorum conditio et natura 234, 34, et inde.
infectatio 364.7
Patriæ tumultus 223.8, et eius inscriptio. ead. 12
Euphratis deriuatio 228.17, 363.16
latitudo et profunditas 227.18
Euripidis locus 335.36, 346.12, 348.18, 378.48. 34, 482.12, 483.17, et 22
Excipiendi significatio 300.36
Excusores, qui 397.5, 406.25
Exercitatione fortitudo acquiritur 109.30
Exercitus comœatu carens breui perit 46.5, 123.33
Exercitus educendi pro numero hostium ratio 475.24, et inde
Exercitui iter longum facturo quæ necessaria 195.24, 196.197
Exploratoris officium 122.6
Exploratorum ratio qualis habenda 467.16
Expuere propalam turpe apud Persas 124.23
Extispices vnde dicti 320.25

F

Faeti qui dicendi 68.23
Facinoŕū distinctio 332.8
Fallacia in bello maximus vsus 470.25
aduersus Famem nemo militare potest 183.28
Fame urbem amplam facile expugnari 227.13
Fenoris species aliquot 406.18
Fera quæ caucnda in venatione, quæ non 32.21
Ferrum ferro optimè vt scindatur 463.25
Feruligerorum et glebas eiaculantium confictus 76.11
Festiuatū celebrationes 464.31
Fideles naturā non nasci homines 281.20, sed parari beneficentia, non violentia ead. 24
Fides dexterae datione firmatur 344.24
Fides in animis ac manibus 120.12
Fingendi ratio 471.17
Flatibus refertum videri, turpe apud Persas 24.24
Fuuiorum veneratio 385.6
Focus domesticus, fundus iucundissimus 234.8
Forum Liberum: vide, Liberum forum
quid: 299.13. vnde dictum ead. 14
Fori violatio prohibita 138.8
in Forum liberū quando quisque Persarum conuenire soleat 20.11
Fortitudo exercitatione comparatur 109.30
Fortitudinis delineatio 386.27
Fartissimus quis 180.27
Fortiū virorū senectus 440.28
Fortuna quarū sit rerū 331.28
quid 297.6
secunda maximam præbet voluptatem 116.7
Fortunā non abvtendū 116.9
Frena mollia quæ 425.27
rigida quæ 425.29
Fratrum quanta sit coniunctio 281.36, et inde.
aduersus Frigus nemo militare potest 183.28
de Fructibus: vide hac de re libellum Xenophonis per totum 392. et inde.
Frugum prouentus quomodo fortunetur 296.25
Fuga descriptio 222.36
periphrasis 108.32, 320.32
Fulgura dextera Cyro 43.36
Fundarum vsus seruiliis 225.33
Furacis descriptio 433.11
Furandi copia apud Lacedæmonios 433.8
Furti exemplum memorabile Laconis cuiusdam 483.7

G

Gabæus dux 59.19
Gadatas 170.7. ab Assyrio castratus 154.26, 19.20
cum matre et amicis Cyro se iungit 171.6
Cyri septingentorum et domesticarum victus rationum præfectus 263.27
vulneratur 165.32
Gadatæ ad Cyrum accessus 159.14
exploratores decepti 165.22
Gadatæ laboranti Cyrum opem fert 166.6
struuntur insidiæ 165.6
Galea aurea 190.2
Galeri locus 351.25, 354.19
Gloria, virtutis potissimum comes 440.4.
Gobrias ad Gadatam proficiscitur 158.32
se suaque Cyro tradit 150.31
Gobryæ ad Cyrum aduen- 128

LIBROR. INDEX.

- ius* 140.21 17,488.11
filia pulcherrima 130.31.
Hystaspæ nubit 267.35
filius occisus à rege Assyriorum iunior 141.22
oratio: vide, Oratio Gobriae
Gorgias Leontinus 3.36
γοργίας 326.13
Græci Asiam incoentes Cyro tributary 18.34, 124.36
Gratia neglecta punita gratissimè 21.6
Gratiam quibus promereri solemus 47.11
Gratiarum dona diu soluenda 113.21
Gregorius Nasiasenus 368.14
Gregum erga pastores obtemperantia 17.21
Gruum volatu citius iter conficere 278.5
Gryllus Xenophôtis filius 3.18
Gryllus Xenophôtis pater 2.23
Gubernationis firmæ doctrina 374.6
Gymnica certamina quæ, 484.14, & quando cæperint. ead. 15
- H
- H** *Abenæ quæ optimæ* 419.17
Habitus quomodo sint in nostra potestate 333.21
Hastæ optimæ quæ 429.32
Hegefilas dux 395.16
Heracliti locus & inde 295.36,
Hercules à rustico inuocatus 306.35
Hermiones de coniugio dicti 378.33
Herodoti de Cyri genere historia 292.7
locus de institutis & moribus Persarum 382.383, 384.385. *de nunciis Persicis* 379.16
locus 293.30, 349.29
Heroës equis cuiusmodi insidentes pingantur 427.26
Heroum liberi pestes 338.12
Hesiodi locus 378.22, 485.
- Humanitatem præstare imperatoris arti* 264.34
Hyettus Argiuus adulterio poenâ primus cõstituit 318.7
Hyrcaui ab Assyriis ad Cyrum deficiunt 118.17
Cyro subditi 18.28
quales 118.4
Hyrcauiorũ ad Cyrum amicus accessus 121.16
Hyrcauius vt vtantur Assyrii 118.7
Hystaspas Gobryæ filiam ducit uxorem 266.35
Hystaspæ oratio: vide, Oratio Hystaspæ
- I
- I** *Aculadi ratio optima quæ* 430.4
Idiõta vocabuli varia significaciones 303.24, 485.30
Idiõta quæ 408.2
quàm Ignauia, virtutis cõseruatio diuturnior 440.1
Ignis ab aqua victus 376.1
cultus à quibus 375.18
Ignis cum formosorum amore, comparatio 147.8
Ignem ex aliquo elicere conari 69.21
Ignorantia peccatis aut venia aut misericordia tribuenda 317.21
Imperandi ratione scire, opus pulcrum 45.23
Imperantes imperio subiectis præstare debere 237.35, 238.34
Imperare hominibus, an animatibus vtrũ difficilius 18.6
hominibus quomodo possibile 18.11
Imperator caloris & frigoris sit patiens 52.12
Imperatoris & pastoris bonorum similitudo 252.3
optimi descriptio 44.5.
vsque ad i. libri fin.
ornamentum quod 102.7
Imperator honores labores leuiiores reddit 52.21
scopus quæ propositus esse debeat 153.28

Imperatoria ars quibus consistet	48.15	Institutio liberalis quæ	14.19	Labor quibus miseria	237.6	
Imperatoria artis officiorum		verè regia	386.19	Labores bonis viris obsonium	238.18	
Summaria descriptio	306.14	Intellecta absque executione non profunt	477.28	Latores gravissimos perseverantes, maximis præmiis affici oportere	70.18	
Imperium quem deceat, dedecet	246.21	Inventa nova ubi maximè in pretio	55.19	Laboribus voluptatem & cōmoda acquiri	319.32	
Imperio laudabiliter præesse, difficile	291.17	Invidia vnde initium sumat	237.27	Laborofoarchodus	389.15	
parere, & ad consequendū		Iosephi locus	389.8	Labofoadachus	362.29	
& ad conservandum bona, vilissimum	241.1	Iphicrates Atheniensem dux	320.22	Labyntus rex Babylonis & Cyro denicius	362.26	
Imperium parere, an acceptū retinere, præset	237.21	Ira nihil providet	417.31	Lacedæmonij regis officium in expeditionibus	445.24	
Imperiorum felicitatis corruptela vnde	251.21	Ira effectuum comes plerumque pœnitentia	417.32	Lacedæmonij reges quare manè sacrificare ovisi	486.32	
Improbis voluptatibus allicitur	71.14	Ismeria Thebani astutia in fingēda adoratione	326.20	Lacedæmonij diuites honestè mori potiùs, quàm turpiter vivere, quomodo sint persuasi	439.33	
Impudentia ad omnem turpitudinem dux præcipua	21.	Itineris expediti & commodi spatium longius, non esse dispendium	314.28	quæstibus nefariis ut obviæ eant	438.24	
II		in itineribus præfecto disciplinae equestris quæ prospicienda	466.20	Lacedæmoniorum circa procreationem sobolis, 431. pueritiæ institutionem. 432. 15, 433, 434. puberes moderandos. 435. 10, & viros constantis ætatis cura	436.2	
ingratitude potissimum sequitur	21.10	Judæi liberati à Cyro	292.20	computationes quales	484.30	
Incolæ qui	406.6	à Indice sententia semper secundum legem ferenda	29.35	conversations mutua	436.30	
Incolarum cura	393.27.394.13	Judicij exercendi mos apud Persas	254.28	exercitia	437.5	
13		Jupiter salutis autor & dux, tessera militum Cyri	209.20	obædientia erga leges & magistratus	438.32	
vjus civitatibus quis	450.23	Jupiter socius & dux, militaris tessera	111.16	expeditiones	444.20, 445	
ab Incolis quæ commoda civitatibus proveniant	393.22, 395.3	Justitia duplex	301.33	in divitiis comparandis cura qualis	438.7	
Indi cum Cyro societatem inveniunt	190.33	Iustum quod legitimum	29.34	passiones extra domum	436.36	
Cyro subditi	18.31	Iuuenalis locus	338.18	regis & civitatis fœdera mutua	446.22, 447	
Indorum rex auro abundat	99.27	Iuvenum duorum mors ex leui causa	375.5	regis in exercitu honor & potentia	444.11	
rex pecunias ad Cyrum mittit	190.33	Κ	κακοὶ qui	352.13	respublica Lycurogi legibus quædo constituta sit	481.11
Indica legatio ad Cyaxarem, 78. 19. exponit mandata	79.26	καλοὶ καγαθοὶ	καλοὶ καγαθοὶ	363.27	respublicæ diversis status	480.19. 481.20
exploratum missa 191.3. renunciat Cyro res hostium	192.12	καρδοικεῖν	καρδοικεῖν	486.30	recip. forma 431.15, & inde per totum istum libellum de for. recip. Laced.	955
de Infirmis cura in bello habenda	196.24	κένεφας quid	κένεφας	301.6		
Ingrati Deos, parentes, patriam, & amicos negligunt, secundum Persarum sententiam	21.8	κόνις	κόνις	409.17, 411.3		
Ingratitudinem impudentia præcedit	21.10	κυνήποδες	κύνω quid	326.17		
Injuriam propulsare iustissimum est.	43.20	κύνω vnde	κύνω vnde	326.17		
		κώθων quid	κώθων quid	300.23		
		κωμοδικεῖν	κωμοδικεῖν	363.24		
		L	L			
		Abor ad quid conducatur	65.7			

LIBROR. INDEX.

- res bellica* 441.28,442, 443.444
fenatorū numerus 485.29
vicus 436.11
Lacedæmonis communia, 1.
liberorum rectio. 437.28.
 II. *ferui, ead.* 28. III. *canes*
venatici, ead. 29. IIII. *equi,*
ead. 32
Cræsus legatos misit 192.
 28,349.11
Sciritarum quis fuerit vsus
 324.2
Lacones degeneres 445.35,
 & inde.
Lacones puerilem institutionē
solos legibus præcepisse
 299.5
Laconicam disciplinā Xenophontem
sua de Cyro nar-
ratione voluisse exprimere
 323.20
Laconica tunica in exercitu
 352.28
Laconicarum legum antiqui-
tas 441.22
 Λακωνικὰ νόμοι 407.31
Lares quid 364.25
Largitiones cum detrimento
suo nemo admittit 51.10
Larissa vrbs 216.4
Larissæ duæ 357.33
Lecti molles apud Persas 287.
 19
 Λεῖπτοι οἶνον quid 354.32
Leonitris factum 285.21
Leone facilius aquæ potum
ferre 43.4
Lepra origo quæ Persis pro-
bata 385.3
Lepus ab aquila corripitur
 82.13
Lepores in caliginosis locis pa-
sci 55.33
Leporum venatio 55.34
Lex oculis prædita, princeps
bonus 244.18
Leges commodorum publico-
rum curam ante omnia cō-
plecti debent 19.26
Persarum & aliarum cini-
ratum quo differant 19.24
Persarū, vide, Persicæ leges.
- Leges sine moribus, vane*
 299.10
Libare quid 354.33
Liberalis educationis discipli-
na quæ fuerit 482.26
institutionis descriptio 243.
 22,244.245.246.247
Liberalitas sine auro 157.9
Liberorum educationis pesti-
mæ descriptio 387.31
obœdientia quo à seruorum
differat 241.9
Liberis parentes quid debeant
 240.8
Liberis parentes virtutum de-
bere esse exemplum 239.24
de Libertate voluntatis: vide,
de voluntatis libertate.
Liberum forum apud Persas
 20.3
Liberi fori distinctio 20.7
in Liberum forū quando quis-
que venire soleat 20.11
Libris in deprauatis moliri, la-
bor magnus 487.25
Linum vbi proueniat optimè
 454.12
Liuy locus 257.25
 Λόγος quid 309.18.486.16
Locupletes in metu 285.33
Lorica aurca 190.2
Luci sacri, qui 374.4
Lucianus 356.3,406.28
Luporum castiditas 469.5
Lux noctū Cyri agmen afful-
sit 120.26
Lycurgus à quo Deo leges ac-
cepisse dicatur 485.8
Spartiatarū legislator 430.
 25
quando vixerit 481.4
vbi mortuus 485.12
Lycurgi genus 441.28,
 481.5
laus 439.23
leges: vide, Lacedæmoniorū
resp. forma
de Lycurgo Appollinis re-
sponsum 481.32
Lycurgi duo 481.1
Lydi subditi Cyro 18.30
Lydiæ opulentia 194.34
Lydiæ oratio de Eratothesis
- cade* 318.10
Lisistratus dux 395.15
 M
Macedonica phalanx
celebris 305.13
 Μάχη 301.4
Machinarum structura 184.
 27
Magadidæ Cyro subditi 18.
 32
Magi constituuntur à Cyro
 244.23
deorum interpretes 257.12
iussu Cyri ex vrbe bello ca-
pta spoliolorum primitias diis
eligunt 230.25
torti 391.26
Magorum officium 244.23
Magistratus Atheniēsis quo-
tuplex 448.22,488.18
Magistratus designandi mos
Græcus 488.19
Magistratui parendo bona cō-
modāve plurima acquirun-
tur 240.24
parentium vim sustinere non
posse 240.27
Magistri elasiūm apud Per-
sas XII. 20.19
Mala omnia initio sanabilio-
ra 414.9
Mali vbi faciliè lateant
 456.2
inter Malos versantibus quod
adeſt bonæ mentis, celeriter
perire 2.5
Madane mater Cyri, 19. 17.
cum ipſo patrem inuisit
 25.2
Mandanæ origo 19.17
Mævias vocabulum quibus vi-
tis competat 489.2
Manipulus quid 309.19
Manus regibus lōgæ 372.14
Manus dare, quid 324.27
Maragdi Arabū copie 59.15
Marnalis locus 373.5
Massagetæ 381.14
Matrimonium quod cuique
conueniat, deligendum 266.
 35
Matrimonia cōsensu quorum
contrahēda 372.33,378.28

<i>Maximinianus Friderici F.</i>	<i>Metallorum vs</i>	396.17	N	
381.8	<i>Μέταλλοι qui</i>	406.5	<i>Naboandelus</i>	362.27
<i>μάζα quid</i>	<i>Metus custodia bonus socius</i>		<i>Nabonnedus Babylonius rex.</i>	389.19. se dedens
<i>Medi Cyro subditi</i>	473.11		<i>Cyro. ead. 30. moritur 390.</i>	
<i>Cyrum quare secuti in prosequendis hostibus.</i>	<i>diuturnitatis custos malus</i>	317.9, 380.3	2	
<i>Et Tigranes cœnant mutatis vestibus</i>	<i>Metus effectus</i>	155.28,	<i>Nabuchodonosorus</i>	292.20,
	<i>Et 35</i>		389.8	
<i>Medorum calceamenta qualia</i>	<i>vs maxima</i>	317.2, Et 7	<i>Nasturtium obsoni loco quibus</i>	21.23
<i>corporis cultus</i>	<i>Militaturis contra plures, quibus sit opus</i>	472.34	<i>Naturalia necessitatem habent</i>	335.1
<i>Et Assyriorum equestre prælium</i>	<i>Milites ad res gerendas excitâdi verbis Et rebus</i>	80.18	<i>omnibus eadem</i>	281.22
<i>in pugnando mos</i>	<i>alacres spe redduntur</i>	50.5	<i>Navigations socios potius pios, quam de impio facinore suspectos expetimus</i>	244.33
<i>mollities</i>	<i>exercendi</i>	49.19		
<i>rex Astyages</i>	<i>obœdientiam quo modo docendi</i>	50.21	<i>Νεαίονος</i>	301.14
<i>Medica cœna splendidior Persicâ</i>	<i>Militû exercitiâ à Cyro præscripta</i>	63. 17, Et qualia	<i>Necessarius parandis quando maximè studendum</i>	46.32
<i>Medici vestitus utilitas commoditasque</i>	<i>ante pugnam</i>	76.77.78	<i>Necessitas magister potentissimus</i>	75.23
<i>Medicina frustra quando adhibeatur</i>	<i>neglectionem quid sequatur</i>	180.6	<i>Neriglissoroorus</i>	389.13
<i>Medicorum officium</i>	<i>præmia à Cyro constituta</i>	63.27	<i>Nicia Nicerati F. seruitium copiosum</i>	398.10
<i>Medicos optimos ad se accersit Cyrus</i>	<i>Militiæ officiorum Et ordinis diligens excogitatio Cyri</i>	243.6	<i>Niglisse</i>	390.7
<i>Megabyssus Arabia satrapa</i>	<i>primorum opus quod</i>	203.8	<i>Nimue</i>	362.4
275.28			<i>Ninoa</i>	362.4
<i>Megabyzus Diane sacerdos</i>			<i>Ninus rex</i>	362.4
7.29			<i>Ninus vrbs Assyri regni caput</i>	362.3
<i>Megara</i>	<i>Miluiorum versutia</i>	469.4	<i>Nini stus</i>	362.5
402.6	<i>Ministri qui deligendi</i>	91.16	<i>Nitocris</i>	362.14
<i>Melanhiy dictum</i>	<i>Μιδωόρα Et</i>		<i>Nobilitas vera que</i>	338.18
<i>Memoria vsus necessitas</i>	<i>Μιδωόραδαι quid</i>	406.37	<i>Norimbergæ magnitudo</i>	363.7
163.	<i>Mithridates proditor Ariobarxanis patris</i>	285.20	7	
9	<i>Moderatio difficilis</i>	377.34	<i>Notitiæ communes</i>	332.2
<i>Menandri locus</i>	<i>Mollicies Medorum</i>	287.19	<i>Nouisse seipsum, beatitudo</i>	219.14
<i>Mêdaciûm Persis turpe</i>	<i>Monarchia quid</i>	480.8	<i>Noûs quid</i>	347.15
384.	<i>Morti nihil somno similis</i>		<i>Numantinum bellum à Polybio expositum</i>	294.36
34	<i>Mortuorum corpora lauari solita</i>	381.4	<i>Numine diuino propitio susceptas actiones, secundissimas fore</i>	405.18
<i>Mendacio nulli interrogatoni est opus</i>	<i>Μουνδus pro muliebri ornatu</i>	353.2	<i>Nunciandi velocissimè, ratio optima</i>	379.19
<i>in Mendacio depræbendi, impedimento est ad veniam consequendam</i>	<i>in Musicis noua inuenta sunt in pretio</i>	55.19		
<i>Menonem Xenophontis inimicum</i>	<i>Mutatio quæ fit paulatim, à natura ferri potest</i>	196.7		
11.5. Plato laudauit. ead.	<i>de Mutationibus subitis Medicorum doctrina</i>	350.7		
8	<i>Μυρίων, vocabuli vsus Græcis quis</i>	334.20		
<i>Mens quid</i>				
347.15				
<i>Mercatores qui</i>				
328.18				
<i>Mercatoribus castra sequentibus lex imposta</i>				
197.27				
<i>Mercaturæ magistratui præmia, Et quare, constituenda</i>				
394.31				
<i>Mercurialia signa</i>				
464.33,				
Et 36				

○, litteræ significatio
292.27
ἄ μύρον, exclamatio Antonij
in fuga Parthica
3.29
Obœdientia subditorû vt patanda

LIBROR. INDEX.

- vanda 245.18
Obediētia exemplum exercitus Cyri 113.6
militaria exemplum singulare 323.22
Obulus immunis 399.19
Obscuriorum noua artificia cōquirunt Persæ 287.24
Occupandi plura & potiora studij, in bello utilitas 190.27
Oculi regum 251.7
Oculorum pigmenta 247.14
Oculus suppingere coloribus consuetudo est Medorum 25.7
Odryssarum per decliua equitatio 421.20
Ὀγυος quid 314.24
Oligarchia quid 480.5
Operis noui tentatio periculosa 400.3
Opera multa ab vno recte effici non posse 371.18
Ὀψωνος quis 304.35
Optimates qui Latinis 488.28
vulgo aduersantur 458.4
Optimatum à vulgo discriminē 449.11
Oratio Abradatae 189.22
Araſpæ 187.15, 188.3, 201.13
Armenij ad Cyrum 97.28
Artabasi 182.27, 232.31
Assyri regis 108.23
Assyriagis 28.27
Cambyſis 273.10
Chryſante 69.29, 71.23, 119.2, 194.21, 233.34, 240.6
Cyaxaris 104.21, 106.15, 116.1, 174.26, 177.27, 182.9, 272.22
Cyri 41.28, 60.34, 71.5, 72.35, 80.6, 83.4, 95.25, 100.2, 102.11, 103.22, 105.9, 106.21, 107.7, 108.4, 109.36, 113.20, 115.12, 117.7, 121.24, 124.15. ead. 25, 127.6, 130.4, 131.11, 134.8, 134.33, 135.21, 137.18, 138.15, 147.28, 151.12, 153.31, 155.11, 156.33, 160.35, 168.7, 170.14, 171.16, 172.17, 175.8, 176.1, 180.18, 183.10, 187.7, 188.13, 189.27, 190.36, 193.13, 195.5, & 16, 200.33, 206.6, 209.4, 210.12, 228.29, 231.30, 236.29, 269.1, 272.14, 275.1, 279.13, moribundi 279.35
Gadatae 166.26, 170.4, ead. 24
Gobryæ 140.27, 150.33, 183.3
Hystaspæ 126.5
Indica legationis 290.31
Panthiæ ad Cyrum 188.34, 205.6
Pheraule 74.9
Tigranis 149.3
Ordinum militarium aliquot enumeratio 307.27, 486.5
& conuerſiones. ead. 15
ſeruatorum utilitas 64.28
Orestes conscientia carnificina morſus 305.35
Ὀρχαὸς Orphei, quid 334.2
Oromadus 375.19
Orſippus Megarenſis 484.15
Orthiæ ara. 433.23
Oſculari aduenientem 174.16, & cognatos abeuntes, mos Perſicus 39.13
Ὀστρα quæ 408.2
Oſtentatores qui 68.19
Ouidij locus 305.23, 366.1

P
Aetolus fluuius 192.30
Pæan ante pugnam cantatus 111.17
quid 356.8
Pæanis acclamatio in bello 356.13
πελαγονέων 326.6
Palla quid 352.34
Palme longiſſimæ ubi 227.31, eariūque natura 227.33
παλιός quid 301.22, & vnde, ead. 23
Panthia Suſiana mulier, amoris coniugalis 204.23, 205.7, & pudicitia exemplum 205.20
Araſpæ traditur cuſtodieda 144.13
exempta Cyro 142.34, 145.7
præ nimio dolore ſeiſſam interimit 223.1
virum armat 204.24
virum pugnaturum ad fortitudinem hortatur 205.6
Panthiæ commēdatio 144.23
oratio: vide, Oratio Pæthiæ.
virtutes 222.22
Panthiam luget Cyruſ 223.13
de Panthia narratio Philoſtrati 358.23, 359, & inde. Paphlagones Cyro ſubditi 18.32
Par ad pares beneuolentia inclinatur 458.5
παρασόχως ſpaciū quārum 324.29
Parent vt ſerui, vtque libri 241.9
Parent quibus libenter homines 317.13
Parentes ſtetibus filios moderatos reddunt 69.3
liberis exemplū virtutis eſſe debere 239.24
Parentum erga liberos officiū 240.8
Pares qui 487.13
Paris ab vrſa enutritus 292.5
Parta tuendi laus magna 366.1
Pafargade 390.11
Paftoris boni & imperatoris boni ſimilia opera 252.3
Paftores gregibus imperant quibus præſunt 17.18
erga Paftores gregum obtemperantia 17.21
Patrifamiliaris boni & principis item boni collatio 240.7
Pax bello ad pecunias parandas num vtilior 404.17
bello in nobilitando num præſtet 403.7
bello num præſtet in obtinendo principatu 403.25

Sf

<i>Pecuniæ amatorem impendiis dolere</i>	262.13	numerus	24.1	<i>gístratibus præstò esse ad vsum reip.</i>	21.32, 23.3, iiij.
<i>Pecuniarũ vsus probatus quis</i>	101.16	<i>per declinua equitatio</i>	42.1	<i>cum rege venatum exire</i>	21.35. iiij. exerceri in iij quæ pueri didicerunt 22.31
<i>πεῖθῃ quid</i>	412.27	19		<i>nunciatorum velocitatis ratio</i>	qualis 379.19
<i>Peditibus inter equites vt vtendum</i>	471.5	<i>pueri quomodo instituãtur</i>	276.10	<i>puerorum indicia qualis</i>	20.36
<i>πεδῶρξια</i>	357.16	<i>regio montosa</i>	25.27	<i>puerorum cibis, panis obsonium, nasturcium: potus verò, aqua</i>	21.23
<i>Pentelicum saxum</i>	8.31	<i>rex ditissimus</i>	250.29	<i>regum historia ex Platone</i>	386.387.388
<i>Perditos sponte sua tales esse</i>	332.33	<i>regis signum, aquila aurea cum extensis alis supra arduam perticam</i>	208.10	<i>regum munificẽtia</i>	250.28
<i>Perciculum vltro non audendũ</i>	468.14	<i>reges quantum à maioribus suis degenerauerint</i>	285.3, & inde.	<i>seniorum viuendi modus. i. domi iudicia qualibet exercere, ii. mortis supplicium decernere, iii. magistratus legere, 23.26, & 27. iiii. loco mouere indignos. ead.</i>	32
<i>περίπολοι qui</i>	407.23	<i>sacrificandi mos in iugis mortuum</i>	279.12	<i>virorum arma</i>	23.16
<i>Peritus, antequam disceret, nemo</i>	128.9	<i>vita sub Cyro qualis</i>	387.9	<i>virorum constantis aetatis viuendi modus, j. Magistratibus præstò esse ad vsum reip.</i>	23.10. ij. expeditiones suscipere iustis armis paratis. ead. 13. ij. in magistratum legi, exceptis magistris puerorum. ead. 20
<i>Perse Babylonica regis custodes</i>	236.5	<i>Persis, dum manent domi, vestitus vilis & victus tenuis</i>	25.11, 235.36	<i>Persicis pueris qui præficiantur</i>	20.20
<i>Babylonem ingrediuntur</i>	229.23	<i>apud Persas emungere & spueri lege vetita erant</i>	286.8	<i>Perside vnde nomen habeant</i>	19.16
<i>cognatos abeuntes osculantur</i>	39.13	<i>apud Persas venationis studiũ desit</i>	286.33	<i>Phalanx qua firmissima</i>	213.13
<i>Cyri imitatores in colendis Diis</i>	244.28	<i>Persica saltatio</i>	266.4	<i>Pharæuchus</i>	203.26. Phrygiæ ad Hellepontum & Aëolidis satrapa 275.31
<i>diuiinarum rerum studiosissimi</i>	257.12	<i>Persici exercitus ordinatio</i>	198.19	<i>Pheraulus amicorum studiosus</i>	262.36
<i>ignis cultores</i>	375.18	<i>regni constitutio</i>	298.22	<i>gleba ictus</i>	259.32. equo donatur 260.10
<i>in duodecim tribus distributi</i>	20.20	<i>Persici pueri apud præceptores pasci solebant</i>	21.21	<i>pauper, 261. 6. ditatus à Cyro. ead.</i>	17
<i>Medica veste primò induti</i>	255.14	<i>pueri docentur iusticiã</i>	20.31	<i>plebeius</i>	256.3, 374.20
<i>regem suum proiecti in terram quando primũ cœperint venerari</i>	257.35	<i>31. temperantiã atque moderationem</i>	21.13	<i>processus ex Regia, præfatus</i>	256.12
<i>venationi publicè quare studeant</i>	22.4	<i>16. abstinentiam cibi & potus. ead. 18. scientiam iaculandi. ead.</i>	25	<i>Pheraula liberalitas in Sacam</i>	261.1, 262.18
<i>Persarum cœna à Medica differt</i>	26.1	<i>pueri quando ad forum liberum accedant</i>	20.12	<i>oratio: vide, Oratio Pheraulæ</i>	
<i>cum principe suo mutua fœdera</i>	273.32	<i>Persicæ copię ad Cyrum accedunt</i>	174.4		
<i>exercitus ordo</i>	161.33	<i>leges vnde iusionis initium sumant</i>	19.28		
<i>forum liberum quale</i>	20.5	<i>Persica nomina</i>	385.9		
<i>imperio quomodo securitas præstita</i>	248.1	<i>Persicorum epheborum absente rege studia & officium</i>	22.31		
<i>in regione equi rarissimi</i>	25.26	<i>epheborum cum rege venatum exeuntium victus qualis</i>	22.1		
<i>institutæ & mores, ex Herodoto</i>	382.383.384.385	<i>epheborum viuendi ratio. j. ad curiam pernoctare, 20. 15, 21.29, ij. interdum Ma-</i>			
<i>inter epulas modestia</i>	152.27				
<i>mores quàm in detrius abierint mortuus Cyro</i>	285.286.287.288				

LIBROR. INDEX.

<i>pietas in patrem</i>	261.10	<i>ποριζέσθαι quid</i>	407.1	<i>Prudentioribus vitro paretur</i>	50.36
<i>Phiditium quid</i>	484.8	<i>Prædationes victoriam partâ</i>		<i>Pudoris conciliandi modus</i>	245.9
<i>φιλομαθὴς quis</i>	304.36	<i>corrumpere</i>	325.5	<i>Puerilis ætas castigationis indigens</i>	310.12
<i>Philonis Alexandrini de C. Iulio Cesare locus</i>	297.20	<i>Præfectorum dignitatis ordo</i>	378.10	<i>educatio vbi legibus constituta</i>	299.5
<i>φιλοσοφῶν quid</i>	348.8	<i>Præfici qui debeant aliis</i>	20.21	<i>Puerilis ætatis terminus</i>	21.26
<i>φιλοσοφία quid</i>	347.24, eius effectus	<i>Præfustatorum officium & causa</i>	27.15	<i>Puerum semper quem esse, quid</i>	294.4
<i>φιλοσοφία quid</i>	302.8	<i>Præmia militibus quæ proposita à Cyro</i>	63.27	<i>Pueri quomodo docèdi</i>	54.13
<i>Philostrati de Panthia narratio</i>	358.23, 359. & inde.	<i>Præmiis maximis qui afficiendi</i>	70.18	<i>Puerorum amores quales Lacedamone</i>	434.8
<i>Phliasus syllographus omnium philosophorum criminator</i>	3.8	<i>Præsulum præ diuersitate, & legum obseruationes vigent</i>	241.34	<i>Pueros docent Græci in luctatione decipere</i>	53.6
<i>Photenses</i>	404.12	<i>Primitiarum ritus</i>	354.9	<i>Pupillorum custos magistratus</i>	394.15
<i>Phœnices Cyro subditi</i>	18.30	<i>Princeps bonus, lex oculis prædita</i>	244.18	<i>Pyrri res gestæ à Tymeo scriptæ</i>	294.35
<i>φρασῆρες</i>	327.23	<i>consilio & laboribus subeundis subditos debet antecire</i>	46.1	<i>Pythagorici versus</i>	300.14
<i>Phruges Cyro subditi</i>	18.30, 226.2	<i>multis subditis simul quare succensere non debeat</i>	175.14		
<i>Phrygum rex in manus Hytastæ venit</i>	225.4	<i>subditorum amorem quomodo sibi conciliare possit</i>	52.1	Q	
<i>Pincernarum officium</i>	27.1	<i>Principis boni & patrisfamilias boni collatio officium</i>	240.7	<i>Quadrupedum futuræ statuæ coniectura vnde sumi possit</i>	411.8
<i>Pindari locus</i>	338.28	<i>Principes quales, tales ferè & subditi</i>	285.27, 368.5, 392.4	<i>Quæstura publicæ pecuniæ quando Athenis instituta</i>	408.5
<i>πλαίσιον quid</i>	341.6	<i>Principum prauitatis noxia æmulatio</i>	368.18		
<i>Platonis de Cyro narratio</i>	295.23	<i>Principatus bello an pace facilius obtineatur</i>	403.25	R	
<i>& Xenophontis de æmulatione mutua disquisitio</i>	11.9, & inde.	<i>Priscæ res variè exponuntur</i>	292.3	<i>R litteræ significatio</i>	292.26
<i>locus</i>	325.30, 328.14, 344.36, 365.17, 373.14, 482.24, de Persarum regibus	<i>προχοίδες</i>	381.30	<i>R' asphobis quid</i>	322.3
<i>386.387.388</i>		<i>Prælium equestre: vde, equestre prælium</i>		<i>R' αὐδύσθησιν vocabuli significatio</i>	304.33
<i>Plauti locus</i>	305.23, 320.14, 351.31	<i>Prælia animis potiùs, quàm corporum robore decerni</i>	104.19	<i>Rapina prohibetur</i>	122.19
<i>πλεονέκτης vocis varia significata</i>	304.19	<i>decerni virtute dimicantiù</i>	156.6	<i>R' αὐδύσθησιν, quid</i>	321.35, vnde deductum
<i>πλίθειν, quid</i>	341.6	<i>πρόσοδδι quid</i>	369.5	<i>Ratonices Cælusius</i>	260.21
<i>Plura appetendo præsentia sepe amitti</i>	323.34	<i>Protagoras</i>	294.13	<i>Rebus secundis insolescere & aduersis cõsternari, eiusdem est viri</i>	50.36
<i>Plutarchus</i>	323.21, 481.1	<i>Proxenus</i>	3.35	<i>de Rebus obscuris & incertis dij consulendi</i>	4.12
<i>Poculorum multitudine Persæ glorianantur</i>	287.31	<i>Prudentia quomodo, consequenda</i>	51.27	<i>Regia quo loco apud Persas</i>	20.4
<i>Pœnitentia iræ effectuum comas</i>	417.32			<i>Regij cibi diligentius elaborari solent</i>	249.31
<i>Polemon</i>	347.36			<i>Regnum quid</i>	480.8
<i>Pollux</i>	14.5			<i>Reipublicæ formæ</i>	17.4,
<i>Polybius Numantini belli autor</i>	294.36				
<i>Polybij de historia commentatione locus</i>	293.24				
<i>πολυπραγματικὸν quid</i>	487.3				
<i>ποριζέσθαι &</i>					

XENOPHONTEOR.

Respublicæ tales, quales principes	28. capit Cræsum. ead.	36	discipuli plerique Deorum cultus obseruantissimi	7.31
Remotissima cognoscendi breuissimo tempore, ratio Cyri	Satrapis ablegatus in varias regni partes	275.28	Socratica epagoge	2.30
277.31	præcepta quæ data à Cyro	276.4	Solis victima equus	259.10
πίναξ quid	Sciritæ qui	486.19	Solan	318.4
Rex Dei imago vincta	Scirtarum historiola	324.1	Somno nihil morti similis	283.5
Regis boni officium	Laconibus quis vsus	118.7	σοφιστὴς quis	248.9
boni opera & pastoris boni similia sunt	Scirus oppidum	324.5	Sophoclis locus	320.6
Reges ποιητές λέων	Scytharum multitudo ingens	18.20	σωφροῦνες qui	316.4
Regum munera quare clara	Secundæ res: vide, in Rebus secundis		σωφροσύνη quid	300.3
250.31	res à paucioribus pulcrè feruntur, quàm aduersæ	266.17	Sofias Thrax	398.14
Regum oculi & aures	res temperanter ferendæ	266.16	Spartæ de felicitate responsum	
7.372.6	Securitatæ præstandæ modus		Delphicum	485.10
Regibus manus longæ	optimus	136.16	excellentia	441.6
in Robore accumbentes epulabantur olim Lacedæmoni	Scipsum nouisse	219.14	Spartani: vide, Lacedæmoni.	
480.31	Semiramis	362.5	plagipatidæ	484.1
Romanorum toga virilis qualis	Senecæ locus	305.36	Spartana mulieres impudicæ, & quæ	482.12
314.5	Seniores honore afficiendi	280.35	Spartanorū de mulierū exercitiis sententiæ variæ	482.
Romulus à lupa enutritus	Persici: vide, Persicorum seniorum		4. & 12	
292.5	pueris apud Persas præficiuntur	20.21	Spartiatæ legibus scriptis non admodum vsi	304.29
Rusticus Herculem inuocans	Seniorum studia	411.24	Spartiatarum legislator Lycurgus	430.25
306.35	Seuthes rex Thracum	7.2	solennis verberatio	483.35
S	Seruilis institutionis descriptio	247.25	Spes milites alacres facit	50.6
Acæ Cyro subditi	Seruorum & liberorū in pariendo discrimen	241.9	Spoliorum distributio apud	
18.32	Seruis libertate donatis	140.8.	Cyrum qualis	230.29
Sacas pincerna	8. arma traduntur gestanda. ead.	12	à Spuendo abstinent Persæ	247.18, 286.8
26.28	Sigma, Ionum litera	385.11	σικαδὸς quid	339.19
Sacas Pheraulam glebâ à se percussus	Simonis scriptoris rei equestris	408.15.	σολὴν quid Græcis.	352.32
259.32. equo donat.	Siniſtra manus magis insidius subiecta, quàm dextera	264.1	quid Latinis. ead.	334
260.10	Smerdis	381.25	Stratagemata militare	158.14
Sacam Pheraulas ditat	Socrates corpus suū post mortem lauari noluit	381.6	Strenuitatis in studio perseuerandum	237.10
262.	mortē quando obierit	9.19	Studia natura cuiusque regu- la metienda	337.19
18	omnium horarum homo	11.36	Subditi tales ferè quales principes	285.27
Sacerdotes Aegyptij quo puri	Socratis dictum de bonorum malorumque consuetudine	2.2	Subditorum obædientia ut paranda	245.18
385.19			pietas etiã magistratui prodest	244.35
Sacrificiorum Persica ratio			Sues aduersus eos qui factum earum rapere conantur, intrepidè ruit	116.19
382.31, & inde.			Suidæ fabula	375.21
Sacris non litatis, nihil periclitandum			Susforū rex Abradatas	143.9
57.8			σωπερῶντες qui	367.21
Saltatio Persica			σωφροσύνη quid	356.17
266.4			Syri	
Salustij locus				
321.24				
Sambacas præfectus Sacarum peditatus				
162.10				
San, Doriensium littera				
385.11				
Sapientia virtutēque illustriū virorum vita moveſq; quare referendi, & tanquam pictura exprimendi				
1.23				
Sapientiæ parandæ modus				
296.29				
Sardanapalus Nini rex				
362.				
II				
Sardes obsidens Cyrus				
216.				

LIBROR. INDEX.

- Syri Cyro subditi 18.29
 Syria frumento, pecudibus, palmisque fructiferis abundat 194.32
- T
- T** Abernacula singulis cœnuriionibus constructa 64.8
 Talionis pœna 21.3
 Tanaoxares satrapa Medorû, Armeniorum & Cadusiorum 281.4
 Tanyoxarcas 381.19
 Taurus Ioui sacer 257.11
 Telephus à cerua enutritus 292.4
 Temperantes turpia fugiunt etiam occultè 245.32
 Temperantia remissa vertitur in prauitatem 237.16
 vt exercenda 245.24
 Temperantia descriptio 386.25
 & veretundie discrimen 245.30
 Temporum nostræ ætatis descriptio 295.29
 Terentiÿ locus 321.13, 341.29, 488.35
 Terra habitata, pretiosissima possessio 130.31
 hominibus carens, caret & bonis 190.32
 præclara omnia procreat & educat 284.5
 Tessera militaris III.15, 209.20
 Tessera, quid 356.19
 Thebæ 402.7
 Themistocles 347.36
 Theodectæ tragædia 338.4
 Theognidis locus 2, & 4, 338.2, 377.34, 406.1
 Thorycus 401.32, 407.19
 Thraciÿ arma machare 192.18
 Thucydidis locus 352.19, 355.31, 356.11
 Thucydidis scripta à Xenophonte publicata 11.2
 ad Thybara conuentus barbarorû Syriam inferiorem habitantium 192.31
 Tibiæ ab ortu statim in omni-
 bus quadrupedibus, future statura indices 411.8
 Tigranes Armenÿ F. Cyri conuenator 86.22, 88.15
 Tigranis coninx captiua 86.26
 oratio: vide, Oratio Tigranis.
 pro patre intercedentis cum Cyro dialogismus 88.10, & inde.
 vxor liberatur 93.21
 vxor, pudicitia exemplum 94.21
 Tigris fluius 362.6
 Tiquadæ quid 319.23
 Timocratia quid 480.8
 Timor vehemens maximè prostermit hominem 90.11
 Tonitrua dextera Cyro 43.36, 208.4
 dextera sinistrae quæ quibus fausta habita 355.8
 Trifolium in sacrificio 383.9
 Triobolus quid 406.23, 488.25
 Triremium præfecti 456.36
 Tritici rapina laudata Sparta 433.22
 Troianæ quadrigæ 185.27
 Troici belli scriptor Callisthenes 294.35
 Turcici catus quales 370.9
 Tymæus Pyrrî rerû gestarum scriptor 294.35
 Tyrannidis definitio 302.5, 480.10
 in Tyrannide plus habere, quam omnes, decorum existimatur 30.11
 Tyrannorum vita qualis vltimum 389.2
- V
- V** Aletudo bona quomodo acquiratur & retineatur 48.28, 49.12
 Valgi qui 409.11
 de Vætigalibus: vide libellum Xenoph. hoc titulo inscriptum, per totum. 392, & inde.
 Venatio animalium quorum periculosa, aut non periculosa 32.22
 bellica rei exercitatio optima 22.6, 246.12
 Venationis studii apud Persas, cessat 286.33
 Venationi Persæ quare studeant 22.4
 Veretis de rebus verba admodum iuuenibus non sunt facienda 54.21
 Veretis nomina varia 382.30
 Verba infinitiua pro finitis 345.22
 Veretundie concilianda modus 245.9
 & temperantia discrimen 245.30
 Vergily locus 305.21, 309.12, 319.7, 320.26, 323.11, 324.27
 Veritas integra solidaque cui nota 306.11
 Vestis 364.23
 Vestitus Medicis commoditas 247.10
 Victoria præbet voluptatem 114.22
 præclaras res omnes parit 62.18
 res quaestuosissima 122.20
 Victoria commoda 109.2
 neminem pleriterè 273.31
 Victoriã partam, prædationibus corrumpi 325.5
 Victoriã conuiuium 263.22
 Victorum sunt res captæ 236.36
 Vincentius Obsopæus 299.2
 Vincere cupientes, fugere stultum 108.31
 Violentum quid 29.34
 Virilis constantis ætatis terminus 23.23
 Virtus doceri an, & quomodo possit 321.20
 Virtutis comes gloria 44c.4
 conseruatio diuturnior: quã ignauie 440.2
 cultus ad senectutem vsque 440.24
 premia proposita 254.22
 Virtute nihil fructuosius 211.8
 Virtutes vt parentur 296.29

XENOPHONTEOR.

<i>Virtutum actiones in nostram sint potestate</i> 331.13, 332.333.334	<i>Urbani qui dicendi</i> 68.23	<i>mutua emulatione dissertatio</i> 11.9, & inde.
<i>Virum qui prosperam fortunam pulcre ferat, difficilium est inuenire, quam qui aduersam</i> 266.17	<i>ad Virinam profundendam secedere, turpe apud Persas</i> 24.25	<i>Xenophontis & Socratis sibi mutuo obuiantium dialogismus</i> 2.31
<i>Viri constantis aetatis Persici: vide Persicorum virorum constantis aetatis.</i>	<i>Vulgus optimatibus aduersarium</i> 458.4	<i>filij</i> 8.7
<i>Virorum vestes variatae, contumeliosae</i> 314.6	<i>que expetat</i> 449.33	<i>forma</i> 2.24, & 6.16
<i>virtute sapientiaque illustrium vita morisque quare referendi.</i> 1.23	<i>Vulgi & optimatum differentia</i> 449.11	<i>historiae philosophorum, liber</i> 3.15
<i>Vita inhonorata est molestissima</i> 75.12	<i>Vxor quae cuique conueniat, iocose differitur</i> 267.1	<i>institutum in κῆρος παιδείας conscribenda</i> 293.18
<i>Vitiiorum actiones voluntariae an sint</i> 331.13, 332.333.334	X	<i>Rhetorica</i> 10.29
<i>correctorum exempla</i> 347.35	<i>X Anihus historiae scriptor</i> 291.9	<i>Xenophontis de Rep. Lacedaemoniorum libellus ad scriptum cuius sit</i> 479.18
<i>vulgares defensiones</i> 346.3	<i>Xenocrates</i> 348.2	<i>in Xenophontem epigrammata</i> 13.23, & 28, & 34
<i>Alpianus</i> 318.5	<i>Xenophon apicula nominatus</i> 10.1	<i>Xenophonteorum scriptorum ἀραγῆς genus quale</i> 294.19
<i>Lyssu commendatio</i> 367.18	<i>contra Athenaeum</i> 13.7, & contra Pollucem defensus 14.4	<i>Xenophontes plures</i> 14.23, & inde.
<i>de Voluntatis libertate, & contra theses</i> 331.20, 332.333.334	<i>Musa Attica nominatus</i> 10.1	<i>Xerxes Persarum rex inuentoribus voluptatum nouarum premia proposuit</i> 382.4
<i>Voluptas ex fortuna secunda maxima</i> 116.7. ex victoria 114.22	<i>Socrati se dat.</i> 3.2	<i>κῆρος, quid</i> 327.30
<i>Voluptatis nouae inuentori premium propositum</i> 382.4	<i>tumultum militum sedat Byzantis</i> 6.17	<i>κῆρετος</i> 327.31
	<i>Xenophontis de Veritate liber</i> 10.29	Y
	<i>de vita narratio.</i> 2.22, & inde.	<i>ἡ ποδραμῶν quid</i> 300.35
	<i>& Callisthenis comparatio</i> 294.21	Z
	<i>de Xenophontis & Platonis</i>	<i>Z Oroastres Oromasdi F.</i> 386.22



I N I S.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 257. lin. 20. lege ingentem. 316.29. πλεῖσιν. 348. 35. pinnas. 350.3. γενόμενοι. 356.7. lib. 37. dixisse, in frontem dirigere. 367.22. censuerat. 369.33. πλοῦταρχων. 390.6. Nabuch. 395.33. perscriptum iri. 414.29. vti.

institus de ...
et ...
...
...
...
...
P.A.N.

EXCVDEBAT ANDREAS
WEHELVS, ANNO DOMINI
M. D. LXXII.

XENOPHONTEOR.

<i>Virtutum actiones in nostris</i>	<i>Urbani qui dicendi</i> 68.23	<i>mutua emulatione dissertatio</i> 11.9, & inde.
<i>num sint potestate</i> 331.13, 332.333.334	<i>ad Urinam profundendam secedere, turpe apud Persas</i> 24.25	<i>Xenophontis & Socratis sibi mutuo obuiantium dialogismus</i> 2.31
<i>Virum qui prosperam fortunam pulcre ferat, difficilium est inuenire, quam qui aduersam</i> 266.17	<i>Vulgus optimatibus aduersarium</i> 458.4	<i>filij</i> 8.7
<i>Viri constantis etatis Perfici: vide Perficorum virorum constantis etatis.</i>	<i>qua expetat</i> 449.33	<i>forma</i> 2.24, & 6.16
<i>Virorum vestes variate, contumeliose</i> 314.6	<i>Vulgi & optimatum differentia</i> 449.11	<i>historia philosophorum, liber</i> 3.15
<i>virtute sapientiæque illustrium vita morisque quare referendi.</i> 1.23	<i>Vxor qua cuique conueniat, iocose differitur</i> 267.1	<i>institutum in uisus mendicantibus conscribenda</i> 293.18
<i>Vita inhonorata est molestissima</i> 75.12	X	<i>Rhetorica</i> 10.29
<i>Vitiuorum actiones voluntariae an sint</i> 331.13, 332.333.334	<i>Xanthus historia scriptor</i> 291.9	<i>Xenophonti de Rep. Lacedaemoniorum libellus ad scriptum cuius sit</i> 479.1
<i>correctorum exempla</i> 347.35	<i>Xenocrates</i> 348.2	<i>in Xenophontem epigrammata</i> 13.23, & 28.8
<i>35</i>	<i>Xenophon apicula nominatus</i> 10.1	<i>Xenophonteorum scripturarum genus</i> 19
<i>35</i>	<i>contra Athenæum</i> 13.7,	<i>Xenophonteorum scripturarum</i> 19
<i>35</i>	<i>& contra Pollucem defensus</i> 14.4	<i>Xenophonteorum scripturarum</i> 19
<i>35</i>	<i>Musa Attica nominatur</i>	<i>Xenophonteorum scripturarum</i> 19

Pag. 336.7. lib. 37. dicitur Nabuch. 395.33. perit.

Membres de la paroisse

et assises

Ny platen

Mu' anginas abbas Gopin

Ny assault

Ny l'abbé

Ny poul

Ny Galin

deux castels

leux landrum a primum

trud abris

trud de l'ue

~~quatre castels~~

ouen Coulthun de la paroisse de St. ...

ouen de la paroisse de St. ...

quatre de la paroisse de St. ...

de la paroisse de St. ...

de la paroisse de St. ...

de la paroisse de St. ...

de la paroisse de St. ...

XENOPHONTEOR.

<i>Virtutum actiones in nostris</i>	<i>Urbani qui dicendi</i>	68.23	<i>mutua emulatio</i>
<i>num sint potestate</i>	<i>ad Vinam profundendam secedere, turpe apud Persas</i>	331.13,	tio 11.9, &
332.333.334			Xenophontis &
<i>Virum qui prosperam fortunam pulchrè ferat, difficilius est inuenire, quam qui aduersam</i>		24.25	bi mutuo ob-
	<i>Vulgus optimatibus aduersarium</i>	458.4	gismus
	<i>qua expetat</i>	449.33	filij
<i>Viri constantis etatis Persici: vide Persicorum virorum constantis etatis.</i>	<i>Vulgi & optimatum differentia</i>	449.11	forma
<i>Virorum vestes variate, contumeliose</i>	<i>Vxor qua cuique conueniat, iocose differitur</i>	267.1	historie philo- ber
314.6			institutum in
<i>virtute sapientiæque illustrium vita morèsq; quare referendi.</i>			conscribenda
1.23			Rhetorica
<i>Vita inhonorata est molestissima</i>			Xenophonti de R-
75.12			moniorum libe-
<i>Vitiorum actiones voluntariae an sint</i>			ptus cuius sit
331.13.332.333.334			in Xenophontem
<i>correctorum exempla</i>			mata 13.23, &
347.			Xenophonteorum
35			araggenus genu-
<i>vulgares defensionez</i>			19
226.			

X
X Anthus historie scri-
 ptor 291.9
 Xenocrates 348.2
 Xenophon apicula nominatus
 10.1
 contra Athenæum 13.7,
 & contra Pollucem defen-
 sus 14.4
 Musa Attica nominatur

356.7. lib. 37.
 Nabuch. 395. 33. pta.

Membres de la Cour

et assises

Un plat

Un armoire en bois de sapin

Un armoire

Un lit de bois

Un poêle

Un fauteuil

Un canapé

Leux laudon a prunelle

Un brod d'or

Un brod de lin

~~Un poêle de fer~~

Un canapé de cuir de couleur rouge

Un armoire de bois

Un poêle de fer

Un lit de bois

Un poêle de fer

Un armoire de bois

Un poêle de fer

